UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

FACULTAS THEOLOGICA.
1885—86.

N° DLXXV.

Eximio Doctissimo Domino Mercier
Professori Philosophiæ ad mentem D. Thomæ
peritissimo
In perenne gratæ ac observantis animi
testimonium
D. D.
Venerabundus Auctor.

CRETS

DE DIVINA BIBLIORUM INSPIRATIONE.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

DE

DIVINA BIBLIORUM

INSPIRATIONE

DISSERTATIO DOGMATICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CONSTANTINI FRANC. JOS. PIERAERTS,

SS. D. N. PRÆLATI DOMESTICI,

ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCT.,

ORD. LEOP. BELGII DEC., ORD. FRANCISCI-JOSEPHI AUSTRIÆ

ET ORD. D. N. J. C. BRASILIÆ COMMEND.,

ACAD. RELIG. CATH. SOCII,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS S. THEOLOGIÆ,

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,

PUBLICE PROPUGNABIT,

ASSENTIENTIBUS ORDINIS SUI SUPERIORIBUS,

GUMMARUS JOSEPHUS CRETS, EX BROECHEM,

CANONICUS REGULARIS

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ABBATIÆ AVERBODIENSIS,

S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS,

Diebus X, XIV et XVII mensis Julii, ab hora X ad I,

anno MDCCCLXXXVI.

LOVANII,

EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

ALMA COLLEGE
220.15
LIBRARY
C865
Alma, California

27361

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO
DOMINO · DOMINO

SIGISMUNDO STARY

SACRI · AC · CAN. · ORD. · PRÆMONSTRATENSIS
REG. · CANONIÆ · STRAHOVIENSIS
IN · MONTE · SION · PRAGÆ · ABBATI
TOTIUSQUE · ORD. · PRÆM. · ABBATI · GENERALI
PRÆLATO · REGNI · BOHEMIÆ · INFULATO
ELEEMOSYNARIO · AD · AULAM · REGIAM · PERPETUO
IN · COMITIIS · REGNI · BOHEM. · DEPUTATO
PIETATE · FORTITUDINE, · DOCTRINA · SPECTATISSIMO
DISCIPLINÆ · REGULARIS · FAUTORI · STRENUISSIMO

&

AMPLISSIMO · AC · REVERENDISSIMO
DOMINO · DOMINO

LEOPOLDO NELO

ABBATI · AVERBODIENSI · ORD. · PRÆM. · DIGNISSIMO
PATRI · DILECTISSIMO
OB · SINGULAREM · PIETATEM · RELIGIOSAMQUE · MODESTIAM
DEO · HOMINIBUSQUE · CHARO
SUOS · *ZELO* · *ET* · *CHARITATE* · ÆDIFICANTI
IN · PERENNE · DEVOTI · ANIMI · AC · FILIALIS · AMORIS
TESTIMONIUM.

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO

DOMINO

CONSTANTINO · FRANCISCO · JOSEPHO · PIERAERTS

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ORD. · LEOP. · BELGII · DECURIONI

ORD. · FRANCISCI · JOSEPHI · AUSTRIÆ

ET · ORD. · D. · N. · J. · C. · BRASILIÆ · COMMENDATORI

ACADEMIÆ · RELIGIONIS · CATHOLICÆ · SOCIO

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ

RECTORI · MAGNIFICO · MERITISSIMO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

FERDINANDO · JOSEPHO · LEDOUX

PHILOSOPHIÆ · ET · SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

ECCL. · CATH. · LEODIENSIS · CANONICO · HONORARIO

THEOLOGIÆ · DOGMATICÆ · GENERALIS

ANTECESSORI · PERITISSIMO

SUORUM · STUDIORUM · MODERATORI

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

VENERABUNDUS AUCTOR.

PRÆFATIO.

Dissertationem inauguralem paraturus, qua debito academico ad gradum sacri Doctoratus consequendum facerem satis, consilium suscepi disserendi de divina Bibliorum inspiratione. Quod ut argumentum deligerem, hisce permotus fui rationibus.

Rem nec plane inutilem, nec nostræ ætati prorsus incongruam me tentaturum judicavi, si, quæ circa hoc fundamentale dogma ex doctrina et sensu Ecclesiæ tenenda sint, hac lucubratione explorare, vindicare ac expolire pro viribus conarer. Omnium profecto, qui sacris quibusvis disciplinis colendis operam navant, summopere referre indubium est, istud probe novisse, quo sensu, qua ratione quave extensione divinus sit « cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus maxima liberalitate hominibus tradidit. » (Conc. Trid. sess. V, Decr. de Ref. cap. I). Licet quidem in genere ac indistincte ii omnes, qui Christiani nomen gerunt, de auctoritate sacrorum librorum inter se conveniant, ubi tamen magis explicate de dignitate atque prærogativis Scripturarum seu de propria inspirationis ratione inquiritur, non solum comperimus, ante hos annos viros oppido doctos vel cæspitasse vel mirum quantum a

recta via aberrasse, sed et sesquiori ætate deprehendimus theologos haud imi subsellii de notione inspirationis minus accurate locutos. Illud adeo verum est, ut nuperrime Concilium Vaticanum contra invalescentes inter catholicos erroneas peregrinasque opiniones genuinam hac de re Ecclesiæ doctrinam declarandam censuerit. Haud quidem diffitendum, nonnullos theologos, quos ceu duces sequi contigit, tam ante quam post hujus Synodi ætatem de re nostra accuratissime luculentissimeque edisseruisse; at eos rei denuo tentandæ officio posteros nos solvisse, qui recentissimas hoc de dogmate controversias noverit, inficias ibit nemo. Quare illud non omiserim, inde potissimum confirmandi animi occasionem mihi aliquam esse obortam, quod suspicarer, non modo, vestigiis antecessorum inhærendo, hanc principem veritatem pleniori luce perfundi posse, et salebrosas intricatasque quæstiones ad eam spectantes manifestius complanari; sed et non pauca in medium proferri, quæ a nonnullis aut pressa silentio, aut levissime solum perstricta, digna tamen sunt, hac maxime ætate, quæ et explorentur intimius validiusque stabiliantur.

En habes, benevole lector, hujus libelli et argumentum et scopum. Quæ de methodo adhibita deque materiarum distributione monenda habebam, invenies in mox sequenti introductione. Utrum autem ex sententia rem gesserim conataque perfecerim, ipse judices. Unum te rogo, ut ubicumque detegeris in hoc opusculo hospitis in theologicis elucubrationibus imperitiam, quam ipsemet sæpius persensi, memineris tyronis opusculum te versare; nævos occurrentes ne, amabo, desidiæ tribuas, sed juvenilia studia causeris. Hoc animo perlegas, mihi faveas, ipse valeas.

INDEX.

PAG.

INTRODUCTIO. 1

SECTIO PRIMA.

DE MEDIO COGNOSCENDI DIVINAM BIBLIORUM INSPIRATIONEM.

Præambula et status quæstionis. 8
Caput I. De ineptis et falsis criteriis 11
Art. I. De criteriis ex ipso libro desumptis 11
Art. II. De criterio subjectivo seu psycologico 17
Art. III. De criterio desumpto ex munere Apostolatus in scriptore 20
Caput II. Inspiratio Sacrarum Scripturarum non innotescit nisi formali testimonio divino 32
Art. I. Immediata revelatio divina non impertitur singulis. 34
Art. II. Testimonium divinum non sufficienter servatum fuit traditione humana 37
Art. III. Utrum in ipsis sacris litteris reperiatur sufficiens testimonium divinum de earum inspiratione. . 40
Art. IV. In sola divina traditione catholica conservatur integrum et completum testimonium de Bibliorum inspiratione 45

SECTIO SECUNDA.

DE FACTO INSPIRATIONIS SACRARUM SCRIPTURARUM.

Caput I. Brevis historia hujus dogmatis 48
Caput II. Demonstratur factum inspirationis Scripturarum . . 51
Art. I. Præmittitur doctrina Ecclesiæ solemni judicio definita. 51

Art. II. Proponuntur argumenta ex ipsis Scripturis . . . 56
§ 1. Argumentum indirectum desumptum ex fide et persuasione judæorum a Christo Domino confirmata. 56
§ 2. Proponitur aliud argumentum, immediate affirmans, illudque multiplex, ex Scripturis Nov. Test. depromptum 70
Art. III. Adumbratur argumentum desumptum ex Traditione Ecclesiastica 80
Epilogus 88

SECTIO TERTIA.

DE GENUINO INSPIRATIONIS CONCEPTU EJUSQUE PROPRIA RATIONE.

Status quæstionis ac tractandorum conspectus. . 93
Caput I. Præcipuæ indigitantur sententiæ circa inspirationis naturam. 94
Caput II. Definitur vera et rejiciuntur falsæ notiones divinæ inspirationis 105
Art. I. Instituitur analysis formulæ dogmaticæ : *Deus est auctor librorum Sacræ Scripturæ* 105
Art. II. Rejiciuntur opiniones erroneæ circa inspirationis naturam. 116
§ 1. Simplex divina assistentia ad inspirationem non sufficit 117
§ 2 Subsequens approbatio non sufficit ad libri inspirationem 121
Caput III. Distinctius declarantur inspirationis *activæ* elementa. 127
Art I. Quomodo Spiritus S. influit in Scriptoris mentem? 129
Art. II. Quomodo Spiritus S. movet Scriptoris voluntatem? 156
Caput IV. De habitudine hominis inspirationis charismate ornati seu de inspiratione *passive* spectata 167
Art. I. Ad inspirationem non requiritur suspensio usus rationis vel libertatis 168
Art. II. De dispositionibus et facultatibus naturalibus hominis inspirati 173
Caput V. De inspiratione *terminative* spectata seu ipsius libri . 179
Art. I. De locis in quibus hagiographus de seipso et ex propria auctoritate verba facit 181
§ 1. De personalibus actualibusque hagiographi affectibus. 182
§ 2. De mandatis et consiliis, quæ Apostoli suo nomine in sacris litteris tradunt. 186

Art. II. De verbis aliorum in Scriptura relatis. 190
§ 1. Quænam personæ in Scripturis loquentes divinam habeant auctoritatem. 193
§ 2. De sermonibus aliorum divinitus approbatis . . . 197

SECTIO QUARTA.

DE EXTENSIONE INSPIRATIONIS IN SACRIS LIBRIS.

Præambula 204
Caput I. De inspiratione verbali 208
Art. I. Synopsis historica et expositio hujus sententiæ. . 208
Art. II. Rejicitur sententia de inspiratione verbali . . . 210
§ 1. Proponuntur et refutantur adversariorum argumenta. 210
§ 2. Proponuntur argumenta nostræ sententiæ 228
Epilogus 239
Art. III. De elocutionis indole et eloquentia sacrorum librorum 242
Art. IV. De ordine quo sensa inspirata referuntur . . . 250
Caput II. De extensione divinæ inspirationis ad omnes res et sententias 257
Art. I. Synoptica hujus controversiæ historia 257
Art. II. Probatur nostra sententia 262
§ 1. Rationes theologicæ ex sensu et doctrina Ecclesiæ petitæ 265
§ 2. Argumenta ex Scriptura et Patrum Traditione. . . 277
Art. III. Generalia quædam principia ad difficultates solvendas 290
§ 1. Testimonia Patrum nobis ob ecta explanantur. . . 291
§ 2. Finis adæquatus in Bibliorum inspiratione a Deo intentus. 296
§ 3. De habitudine Scripturarum ad scientias profanas . 307
§ 4. Sacri scriptores communem et vulgarem adhibent loquendi modum 311
§ 5. De decretis Concilii Tridentini et de relatione Scripturæ ad infallibile Ecclesiæ magisterium. . . 323

ERRATA.

Pag.	11,	lin.	27,	*loco* abortis	*lege*	obortis
»	46,	»	8,	» autoritatem	»	auctoritatem.
»	49,	»	5,	» inveniuntur	»	inveniantur
»	52,	»	34,	» his	»	hic
»	72,	»	26,	» præ	»	pro
»	83,	»	ult.	» cathurno	»	cothurno
»	100,	»	9,	» qui annis	»	quæ annis
»	139,	»	20,	» describeret	»	descripsisset
»	164,	»	4,	» vocarent	»	vocabant
»	165,	»	12,	» homines	»	hominis
»	216,	»	29,	» propria	»	proprio
»	247,	»	5,	» derivata	»	derivata est
»	247,	»	7,	» exprimuntur	»	expressa fuere
»	256,	»	4,	in not. *post* eodem *adde* Augustini		
»	261,	»		in nota, *Proscript*	*lege*	*Postscript*

INTRODUCTIO.

Antequam hujus nostræ fidei dogmatis, de quo disserere statuimus, vindicias declarationemque auspicemur, haud inutile nobis visum est pauca introductionis instar prænotasse, quibus dissertationis objectum probe determinetur ejusque limites accurate circumscribantur. Hunc in finem præmonemus inter omnes characteres, quibus nostra Biblia libris profanis antecellunt, unum esse, quo non gradu tantum sed sua intrinseca ratione alios dignitate et auctoritate superant, ipsam videlicet divinam eorum originem per divinam inspirationem. Deinde summatim recensitis erroribus, qui hanc prærogativam plus minusve directe impetunt vel ejus naturam præpostere declarant, conspectum tractandorum, quibus hæc refutantur, eo ordine, quem sequemur, per summa capita ob oculos ponemus.

I. Nomen illud *Scripturæ*, præsertim cum addito *sacræ*, penes societates christianas catalogum designat librorum, quos ipsæ venerantur ceu sacros ac divinos. Ambigi sane nequit summæ præstantiæ illos esse, etiamsi philosophice tantum, seu, quod idem est, critice et humano modo considerentur. Non uno enim titulo præstant scriptis quibuslibet profanis : et quidem tum antiquitate, siquidem summa ætate majorem suam partem antecedunt quotquot supersunt antiquitatis libros; tum authentia atque veracitate : abunde enim probatum invenitur apud veteres recentesque apologetas sacros libros plenam habere auctoritatem summamque

mereri fidem, non minus imo multo magis quam quælibet ex optimis probatissimisque scriptis profanis; tum ipsa sua forma, quæ verborum fastum pompamque negligens, styli candore, simplicitate ac idearum copia quamdam præ se fert majestatem, quam humana eloquentia assequi nequit.

Verum præter hos characteres, qui eos apud incredulos etiam et sub critico solum respectu venerandos omnique exceptione majores reddunt, libri nostri insigniti sunt supernaturali etiam et divina prærogativa, quæ illos immenso velut intervallo super quælibet humani ingenii monumenta extollit. Sunt nimirum et vocantur libri *divini* et hæc propria Scripturarum appellatio evasit. Josephus Flavius affirmat libros veteris Testamenti ut *divinos* (θειους) apud Judæos fuisse habitos, atque nihil frequentius apud christianos scriptores occurrit, quam hæ Scripturæ denominationes : *Divina scriptura*, *divini libri*, *verbum Dei*.

Ast sedulo animadvertatur duplici potissimum modo librum aliquem esse ac dici posse divinum. Primo nempe, ratione materiæ quam continet : quo sensu theologia *scientia divina* dicitur, quia de Deo deque veritatibus divinis disserit. Verum secundo potest liber aliquis esse ac dici divinus etiam ratione originis seu scriptionis, quando videlicet ipsum Deum auctorem habet. Illud vero duobus rursus modis fieri potest : vel enim potest Deus immediate per se absque intermedia causa scriptum exarare, vel etiam ad scriptionem adhibere humanum scriptorem veluti causam instrumentalem, eidem scribenda suggerendo. Alter hic modus divinæ operationis in ordine ad librum exarandum, apto et ab ipsis Scripturis mutuato vocabulo dici assolet *divina inspiratio* θεοπνευστια. In utroque casu liber vere divinus erit, non solum ratione materiæ, sed etiam ratione originis atque scriptionis.

Porro contendimus libros sacros non tantum divinos esse ratione materiæ quam universim continent, sed etiam ratione originis seu principalis auctoris.

Quoad primum autem, abunde demonstratur ab apologetis Christianæ religionis divinam revelationem aliquando esse

factam hominibus tam ante Salvatoris adventum, protoparentibus, patriarchis et prophetis, in quibus Deus multifariam multisque modis olim est locutus, quam denique per Christum ipsum, in quo Deus novissime nobis locutus est ac per quem divinarum veritatum pleniorem uberioremque notitiam hominibus subministravit. Hanc vero divinam revelationem contineri in libris Veteris ac Novi Testamenti ex demonstrata historica eorum veracitate logice infertur. Quod autem spectat eorum originem, juxta doctrinam christianam pariter tuemur eos Deum habere auctorem et quidem posteriori modo supra indicato; hocce quidem titulo eos specifice ab omnibus aliis libris, etiam qui de rebus divinis tractant, sub nomine excellentiæ *Scripturæ Sacræ* vel *Scripturæ* simpliciter discriminari. Itaque affirmamus in conficiendis libris sacris talem obtinuisse Spiritus Sancti actionem seu concursum in ipso actu scriptionis, ut Scriptura ad ipsum tamquam auctorem referri debeat, proindeque scriptorem non sola humana industria sive viribus solum naturalibus, sed supernaturali lumine ac motione Spiritus Sancti munitum istos libros exarasse.

II. Quamdiu sub hoc *generico* respectu Scripturam origine *divinam* appellamus, nullus est inter catholicos, admodum paucis exceptis, qui huic doctrinæ umquam sit refragatus. Ubi vero *speciatim* et accurate indicanda est ipsa propria inspirationis notio seu quando determinandæ veniunt partes, quas Deus quasque homo habent in hac conscriptione, parum consentientes invenimus theologos, non solum antiquiores, sed et recentiores. Et re sane vera ex omnium confesso difficile est et intricatum valde probe definire, quomodo Deus causa princeps operari debeat in hominem causam instrumentalem, adeo ut Deus dici possit ac debeat auctor libri sub tali influxu conscripti. Inde factum est, ut tot et tam variæ in hac quæstione inveniantur opiniones, quarum aliæ jam olim merito explodebantur, nuncque expresse sunt damnatæ in Concilio Vaticano, aliæ vero, licet non explicite repudiatæ, tamen argumentis deductis ex modo loquendi sanctorum Patrum vel ex iis, quæ authen-

tico Ecclesiæ magisterio jam sunt declarata, non immerito rejici videntur. Alii enim ita angustis limitibus influxum Dei in scriptorem humanum circumscribunt, ut hic amplius dici nequeat conscribere Spiritu S. inspirante, neque Deus auctor libri vere haberi possit; alii vero adeo coarctant partes hominis in conscriptione, ut rationem instrumenti in homine nimium exaggerando, talem operationem Deo tribuant, quæ modo ordinario, quo Deus operatur in ens ratione ac voluntate præditum, haud congruere videatur.

Verum recentissimis hisce temporibus aliæ in lucem prodierunt opiniones peregrinæ, necnon periculosæ, alio ex capite prorsus rejiciendæ. Quum nimirum ex ipsa natura inspiratæ scriptionis omnium consensu, etiam illorum, qui de ejus propria ratione non rite sentiunt, necessario consequatur, ut quæcumque scriptor inspiratus sub divino hoc influxu scripto consignet, plane sint vera omnique ab errore immunia, inde factum est ut pauci quidam, optima certe intentione sed absque rationibus sufficientibus, asseruerint primum dubitanter, deinde asseveranter, non omnia quæ in Scripturis continentur, divinitus esse inspirata. Eo animo ad hanc opinionem amplectendam adducti fuere, ut expeditiore ratione difficultates solverent, quæ vel ex prætensis contradictionibus vel ex jactatis oppositionibus cum scientiis profanis, puta historia, geographia, chronologia aliisque, contra auctoritatem Scripturarum undique oggeruntur. Nimirum oppositiones illas, quas sancti Patres et theologi communiter habuerunt ut apparentes solum, vel, si reales utcumque erant, ex alio capite, sive ex incertitudine conclusionis scientificæ, sive ex obscuritate textus, sive ex codicum mendis ac corruptelis enodare studuerunt, ipsi potius concedunt, atque difficultatem tollunt statuendo Scripturam Sacram esse solummodo inspiratam in sententiis ex sese pertinentibus ad fidem vel mores, non vero in iis quæ pertinent ad scientias, uti dicunt, profanas. Sane compendiosa et facilis est hæc solutio, et si illa opinio probari ejusque pars restrictiva probe determinari posset, jam nulla amplius supperet ratio cur interpretes diligentem operam in hoc impen-

derent, ut, retenta divina auctoritate etiam talium partium, alia ratione evincant dissensum realem non esse sive in ipsis Scripturis sive cum scientiis profanis. At sicut in practicis, ita etiam in speculativis commodiores sententiæ non semper sunt veriores. Quapropter quid de hac opinione sentiendum videatur, speciatim indagare oportebit.

Quæ hucusque delibavimus, supponunt veluti fundamentum plane stabilitum ipsum factum inspirationis Bibliorum. Verum haud supervacaneum nobis videtur illud ipsum opportunis argumentis communire. Non desunt namque qui illud dogma vel præfracte negent vel in dubium revocent, utique non inter catholicos, verum inter eos, qui turpi schismate ab Ecclesia defecerunt. Neminem profecto latet quantam stragem ediderit in Anglia, præsertim vero in Germania, rationalismus ille biblicus inde a duobus ferme sæculis. Quando nempe Protestantes sese ab Ecclesia separarunt sæculo decimo sexto, ceu dogma fundamentale sibi constituerunt Scripturam esse unicum revelationis fontem, omnem vero aliam auctoritativam testificationem prorsus esse repudiandam. Quamobrem sub initia suæ defectionis, spreta traditione catholica, auctoritatem Scripturæ mirum quantum extollebant, eamque non solum inspiratam quoad sensa et quoad verba perhibebant, sed et quamcumque alterationem evidenter accidentalem, in voce aliqua vel in aliquo numero, plane impossibilem prædicabant. Ast brevi hæc exaggerata veneratio saltem in plerisque deferbuit moxque finem habuit. Jamjam currente sæculo decimo septimo Hugo Grotius protestans in Germania audacter eam attenuare (1), Spinoza vero eam in dubium revocare sunt aggressi (2). Non ita diu post rationalismus biblicus ab his aliisque præformatus et ex ipso protestantismo sponte obortus, in plurimas scholas et Universitates protestanticas per Germaniam, Angliam, Americam septentrionalem aliasque regiones invectus est atque effecit, ut multi ex protestantium

(1) In op. *Votum pro pace Ecclesiæ*, tit. *de canonicis scripturis. Opera. Amstel.* 1679. (2) In op. *Tractatus theologico-politicus*. c. XI, edit. 1674,

doctoribus non solum deuterocanonicos, sed et protocanonicos libros utriusque Testamenti sint aggressi, eorumque non solum divinam sed et humanam auctoritatem præfracte impugnaverint.

Huic malo protestantes, ut audiunt, orthodoxi efficax remedium adferre minime possunt. Dum enim dogma suum fundamentale omni argumentorum apparatu stabilire conantur, manifesto in delectu criteriorum misere hallucinantur. Sane quum ex principe sui systematis capite doctrinæ præter Sacram Scripturam nullum alium admittant divinæ revelationis fontem seu divinæ testificationis instrumentum, cumque in solis Bibliis præ scopo suo sufficiens testimonium non inveniant, confugere coguntur ad criteria sive indicia vel subjectiva vel objectiva sive interna sive externa, quæ rem non certo conficiunt et nimis pro arbitratu ab ipsis assumuntur, quam ut suos adversarios de veritate convincant. Antequam igitur demonstremus libros sacros sub divino afflatu fuisse exaratos, subtiliusque inquiramus in naturam et extensionem illius supernaturalis concursus, non abs re esse censemus paucis præmittere disputationem de medio, quod nobis unicum suppetit ad existentiam inspiratæ scriptionis aliaque huc spectantia demonstranda atque probanda.

III. Unum adhuc animadvertimus, nos videlicet in tota præsenti tractatione non agere de inspiratione hujus vel illius libri, neque tamen etiam de inspiratione prorsus in abstracto, sed de ipsa prout refertur in concreto et de facto ad illos libros Vet. et Nov. Testamenti in genere et in complexu spectatos, quos cum plerisque societatibus christianis communes habemus. Enimvero speciatim vindicare haud suscipimus canonem librorum sacrorum, quos Conc. Trid. recensuit atque sacros et canonicos definivit. Et re sane vera illa duo dogmata de inspiratione et de canone sacrorum librorum sunt quidem intime inter se connexa, cum alterum declaret divinam originem et intrinsecam Scripturarum dignitatem, alterum vero determinet earum numerum; sunt tamen ab invicem distincta, adeo ut, sicut unum sine altero

negari ita separatim ab altero tractari queat. Sic qui negat ex. gr. librum Ecclesiastici habendum esse in censu librorum sacrorum, formaliter et directe solum impugnat dogma de canone Scripturarum, non vero item dogma de earum inspiratione. Pariter ex adverso potest quis cum Ecclesia convenire de numero, ab ea vero circa inspirationis modum ac naturam dissentire. Quapropter, licet ad completam hujus materiæ tractationem ea quæstio locum suum hic habeat, ne tamen plus æquo dissertationis limites extendere cogamur, eam hic omittimus, et, ubi opus est, eam præhabitam supponimus.

Ut ergo compendiose et ordine quem sequemur, tractandorum conspectum exhibeamus, in prima sectione inquiremus *de criterio quo nobis innotescere possit divinæ inspirationis factum;* quo declarato probabimus in secunda sectione *existentiam librorum divinitus inspiratorum;* denique in sectione tertia investigabimus *divinæ inspirationis naturam atque modum;* tandem in quarta sectione statuemus *quousque supernaturalis ille Dei concursus in libris sacris quos habemus, sese protendat.*

SECTIO PRIMA.

De Medio cognoscendi divinam Bibliorum Inspirationem.

PRÆAMBULA ET STATUS QUÆSTIONIS.

Quoniam nonnisi in exitu tractationis notitia distincta et adæquata naturæ inspirationis habebitur, et nihilominus jam hic aliquatenus cognosci debet, quænam sit illa res, de qua sumus disputaturi, præmittenda necessario est aliqua inspirationis notio per eam, quam vocant, definitionem nominalem. Ne autem ea quæ postliminio propriis argumentis stabilienda sunt, jam hic præoccupare videremur, eam hic loci tradimus notitiam, quam ipsum nomen confuse saltem ingerit et cui tum catholici tum ii qui inter protestantes orthodoxi audiunt, pariter adstipulantur. Nomine itaque divinæ inspirationis active spectatæ et prout refertur ad libros sacros, eum intelligimus influxum Spiritus Sancti in scriptorem humanum, quo liber, quem hic exarat, sit ratione talis scriptionis in se verbum Dei, Deumque habeat auctorem.

In sectione vero quam modo exordimur, inquirendum suscipimus, quo pacto nobis tuto possit innotescere, aliquem librum sub tali operatione fuisse conscriptum seu pressius, in concreto et positive, qua ratione constare nobis queat libros illos generatim sumptos, quos ceu sacros ac divinos veneramur, sub tali divina operatione fuisse exaratos. Ejusmodi criterium propter rei gravitatem necessario statuendum esse per se patet, idque eo magis, quod non solum primis Ecclesiæ sæculis, teste Irenæo (1), hæretici « inenar-

(1) L. I. c. 20. n. 1.

rabilem multitudinem apocrypharum et perperarum scripturarum quas ipsi finxerunt » in Ecclesiam intulerint, verum et nostra ætate omnes sectæ christianæ acatholicæ in agnoscendis libris inspiratis tum ab Ecclesia catholica dissentiant, tum inter se discordes existant (1). Ob idem rei momentum in istiusmodi criterii inquisitione non qualicumque contenti sumus, verum tale exigimus, quo tuto, authentice, modo omnibus accommodato, quoad omnes Scripturæ partes certi de inspiratione reddamur.

Jamvero oppido liquet librum inspiratum a libro humana solum industria conscripto nequaquam posse discerni *a priori* et *ex ipsa rei natura :* inspiratio namque est operatio Dei in hominem prorsus supernaturalis ac libera. Quapropter si generice spectatur, seu formaliter prout est aliquod factum, innotescere ipsa potest et debet, sicut quodcumque aliud factum sive naturale sive supernaturale. Quod si vero specifice consideratur, prout est factum internum, psycologicum in mente hominis, spirituale ac invisibile, evidens est illud non iisdem innotescere criteriis quibus agnoscitur factum aliquod externum et sensibile. Immerito igitur affirmant Palmer (2) aliique genuinitatem, authenticitatem et inspirationem Scripturæ Sacræ ab omnibus credentibus iisdem argumentis contra incredulos atque deistas propugnari. Illa tria equidem factis continentur atque in hoc generice conveniunt, sed factum quo continetur theopneustia a duobus prioribus specie diversum est, quum hæc factis externis et sensibilibus, illa vero facto interno et invisibili

(1) Neque his quæ dicimus de necessitate criterii ad dignoscendum librum inspiratum refragatur S. Augustinus, quando lib. VI Confess. cap. V dicit « non audiendos esse, si qui forte dicant : unde scis illos libros unius Dei et veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos ». Loquitur enim ibi adversus Manichæos, qui (ut ex libro *De utilitate credendi*, cap. XIV, apparet) non secus ac hodierni rationalistæ omnem fidem respuebant nihilque admittendum volebant absque argumentis, quæ scientiam evidentiamque parerent, necnon eos qui aliter crederent, temeritatis incusabant.

(2) Tract. de Ecclesia Christi. vol. II, part. III, cap. I.

constituatur. Divina igitur inspiratio alicujus libri non ex sese innotescere potest, sed vel ex suis externis effectibus, si distinctivi dentur, vel ex testimonio fide digno evinci debet.

Hucusque plerique Protestantes cum catholicis consentiunt. Ubi vero eo devenitur, ut positive ac definite criteria indicentur, quibus probetur sacrorum librorum divina inspiratio, minime nobiscum conveniunt, atque in diversissimas abeunt sententias Et sane ex ipsis suis principiis fundamentalibus docent ex una parte Sacram Scripturam esse divinitus inspiratam ac porro immediatam locutionem Dei, ex altera vero parte præter Scripturam non aliam admittunt divinam testificationem ac porro respuunt divinam Traditionem sensu catholico intellectam. Quum vero nullibi in Sacris Scripturis affirmetur divina inspiratio omnium quos in suo canone retinuerunt librorum, et nihilominus a necessitate reperiendi criterium extra Scripturas, quo harum inspiratio utcumque probetur, aliqua ratione expedire se debeant, spreta Traditione catholica, ad varia ineptaque criteria atque gratuitas conjecturas recurrunt, quibus res haudquaquam conficitur.

Adhibendo itaque methodum tam negantem exclusionis, quam affirmantem positionis, *in priori capite* rejiciemus præcipua criteria inepta vel erronea sive a protestantibus sive etiam a catholicis (licet non sensu exclusivo) adhibita; *in posteriori vero capite* stabiliemus doctrinam catholicam, quam hic claritatis gratia jam innuimus. Nos scilicet docemus dogma revelatum de divina Bibliorum inspiratione certo et modo quo oportet innotescere non posse, nisi *testimonio divino in sola divina et catholica traditione plene et adæquate conservato* (1).

(1) Consulto hic abstinemus ab indicandis criteriis *negativis*, iis nempe quæ, si in libro aliquo inveniuntur, aperte ostendunt, librum illum ceu inspiratum haberi minime posse. Ita v. gr. evidens est, librum qui errores aut doctrinas perversas continet, vel tractat de rebus scurrilibus aut obscœnis, sub divino afflatu haud fuisse conscriptum. Ideo hæc prætermittimus, quia ista sponte fluunt ex iis quæ infra de inspirationis natura et effectibus sumus dicturi.

CAPUT I.

DE INEPTIS ET FALSIS CRITERIIS.

Indicia seu criteria quæ adversarii comminiscuntur plerumque ex tribus desumuntur : nimirum vel 1° ex ipso inspirationis termino seu effectu ultimo, qui est ipse liber scriptus ; vel 2° ex miris effectibus, quos lectoris animum ex vi et efficacia verbi Dei experiri dictitant; vel 3° ex ipso scriptoris munere, cui charisma inspirationis ad scribendum annexum esse perhibent. De his tribus nunc ex ordine erit agendum.

ART. I. DE CRITERIIS EX IPSO LIBRO DESUMPTIS.

Haud pauci inter protestantes, præsertim Anglicani (1), criteria libri inspirati desumunt ex materia seu natura ipsius libri. Potissimum nempe appellant *a)* ad indicium quod vocant *internum* quodque melius diceretur *dogmaticum*, positum videlicet *in sanctitate, præstantia, sublimitate ac harmonia doctrinæ*, quæ in libris sacris refertur. Aliqui addunt *b)* argumentum quod apte vocatur *æstheticum* quodque collocant in scribendi ratione gravi et auctoritate plena, cum quadam styli simplicitate et sobrietate, excludente quamlibet redundantiam vanamque artem. Provocant etiam *c)* ad miracula et vaticinia aliaque facta supernaturalia quæ in sacris libris consignata inveniuntur. Hæc porro criteria humanam seu naturalem certitudinem, quæ omnem removeat dubitationem, parere nequeunt, nedum sufficiens præbeant fundamentum fidei supernaturalis, qua de omnimoda rerum dictorumque veritate, abortis quibusvis difficultatibus etiam gravissimis, ne levissime dubitare cuiquam liceat.

I. Imprimis, si solum *generatim* spectentur, evidens est

(1) V. Horn. in sua Introductione.

ejusmodi criteria talia non esse ex quibus certe ac legitime inferri possit divina sacrorum librorum inspiratio. Etenim hujusmodi argumenta, præterquam quod sunt indeterminata et vaga, destituuntur necessaria tum *intensione* tum *extensione*. Per *intensionem* intelligimus vim, qua intellectus consideratis præmissis ad consequentiam admittendam adducatur. Jamvero criteria illa tali vi prorsus carent, cum libri alicujus divina inspiratio logice haud consequatur ex sublimitate et sanctitate doctrinæ, quæ in ea refertur, neque ex dictionis majestate, aptitudine et perfectione, neque ex relatione miraculorum et prophetiarum. Ut enim ex hujusmodi characteribus certo deduci quiret libri alicujus inspiratio, constare deberet harum notarum non aliam posse esse causam quam divinam ejus inspirationem. Atqui hoc manifesto falsum ostenditur. Vel enim characteres enumerati omnes simul sumpti et quatenus insunt gradu eminenti dicuntur tamquam effectus demonstrare inspirationem ut sui causam, vel id præstare possunt singuli et quovis gradu libris insint. Atqui hoc alterum est evidenter absurdum, siquidem hoc posito non tantum libri comprehensi in canone sed multi alii habendi essent sacri et divini, quippe qui talibus characteribus haud careant : hoc vero repudiant et ipsi protestantes. Si autem affirmetur primum, determinari deberet eminens ille gradus et modus quo hæ notæ inesse debeant, quod nec a priori seu ex ipsa rei natura, nec a posteriori seu ex aliqua positiva Dei revelatione fieri potest, cum hujusmodi revelationis nullibi vestigium exstet.

Præterea criteria illa carent debita *extensione*, siquidem tum per defectum tum per excessum peccant. Imprimis namque vel omnia illa indicia vel unum saltem ex illis protestantes contendunt inesse singulis libris, quos ut divinos admittunt. Utrumque porro est oppido falsum. Quod enim spectat illud prius, quis demonstrabit omnes illas notas simul sumptas inesse libris quos nobiscum venerantur tamquam Sacram Scripturam, ex gr. libris mere historicis et communia facta referentibus. Deinde neque valet illud secundum, cum nullum ex illis criteriis insit, v. g. libris

Paralipomenon, qui neque sublimitate doctrinæ quam referunt, neque styli perfectione, neque miraculorum prophetiarumve relatione per se sunt commendandi, utpote qui toti fere genealogiis rebusque chronologicis sunt referti. Peccant secundo per excessum. Admissis enim istis criteriis fieret amplificatio minime admittenda librorum inspiratorum. Quot enim dantur qui ut sacri ac divini forent habendi, si ex illis notis probari posset divina ipsorum origo? Quot nempe inveniuntur tractatus sanctorum Patrum, acta Conciliorum in quibus facunde dilucideque proponitur ac declaratur sublimis et sanctissima doctrina divinitus revelata? Quot libri vitas sanctorum texentes miraculis et prophetiis referciuntur? Quot alii qui styli candore, dignitate et simplicitate inveniuntur commendabiles?

II. Quod vero *speciatim* spectat 1° sublimitatem et sanctitatem doctrinæ quam liber aliquis continet, illa in argumentum sufficiens divinæ illius libri originis assumi prorsus nequit. Nam sedulo distinguenda est, ut jam dictum fuit, divinitas alicujus libri ratione materiæ, quam continet vel versat, a divinitate auctoris seu originis, quæ habetur per inspiratam scriptionem. Libri porro Sacræ Scripturæ divini sunt non solummodo ratione materiæ seu veritatum quas continent, sed etiam ratione suæ originis seu principalis auctoris. Qui igitur ex doctrina cœlesti quam comprehendunt, criterium petit ad probandam divinam eorum inspirationem, confundit rationem genericam libri divini cum ejusdem ratione specifica. Ex inspecta doctrina in libro consignata ad summum inferri potest divinitas vel sublimitas doctrinæ ac porro libri divinitas ratione objecti, nullatenus vero ratione scriptionis. Et re quidem vera quid prohibet quominus quis sublimem ac sanctam doctrinam, quam immediate vel mediate divinitus accepit, proprio marte atque per meram industriam humanam litteris mandet? Denique si illud criterium ceu unicum vel saltem necessario adhibendum statuatur, quis, quæso, ignorans divinam Bibliorum originem, permovebitur sublimitate ac sanctitate doctrinæ illorum librorum qui fere unice facta referunt? Quin, in

ipsis Bibliis plurima occurrunt quæ primo aspectu absona, ridicula vel discrepantia videri cuiquam possent, etiam ei qui sublimitatem ac cœlestem quamdam indolem aliquarum ejus partium agnosceret. Tandem in tota hac argumentatione confundi rursus videtur authentia alicujus libri cum ejusdem divina inspiratione. Liber quippe cœlestem divinamque comprehendens doctrinam, eamque complectens sincere ac genuine est liber authenticus et veritate insignis, at non idcirco est liber divinitus inspiratus, seu non habet specialem illam authentiam quam habent libri sacri quorum Deus est auctor.

Quando vero SS. Patres et apologetæ religionis Christianæ provocant ad sanctitatem, puritatem sublimitatemque doctrinæ vel ad harmoniam concentumque librorum sacrorum, *a)* ex illis internis criteriis non probare intendunt generatim divinam horum inspirationem, sed plerumque solum contra incredulos factum revelationis stabiliunt, idque potissimum sensu *negante*, ostendendo nempe in doctrina nil offendi, quod huic facto aliunde jam demonstrato repugnet, simulque demonstrando doctrinæ hujus præstantiam super doctrinas absurdas et impuras paganorum. Si quando autem *b)* hisce criteriis etiam ipsam librorum inspirationem videntur communire, imprimis nullus eorum hujusmodi notis probandum suscepit omnes et solos libros Sacræ Scripturæ divinitus esse inspiratos. Sed *c)* iis utuntur rursus maxime sensu *negativo*, ut nimirum contra oppugnationes inspirationis dogma defendant atque impedimenta removeant quæ obstare possent demonstrationi ex testimonio divino repetendæ. Talis enim consideratio indolis librorum sacrorum arcet plerumque difficultates et præjudicia quæ impedire nata sunt intelligentiam demonstrationis. Hoc pacto ipsa etiam Ecclesia in *examine Traditionis* de aliquo libro inspirato, utrum ea genuina sit et apostolica, potuit ad instar criterii negativi in subsidium vocare considerationem characterum intrinsecorum. Aliquando vero *d)* illa criteria adhibentur sensu *affirmante*, sed ita ut, supposita jam aliunde certa librorum inspiratione, aliquam probabili-

tatem per se afferant vimque habeant confirmativam probationis prævie jam ex divino testimonio institutæ. Hoc sensu accipi debent verba S. Augustini, qui universim divinitatem librorum sacrorum ex Traditionis testimonio repetens, aliquando ad doctrinæ consensionem appellat in oppositione ad dissensiones et contradictiones philosophorum, ut exinde inferat libros nostros sacros a Deo esse conscriptos. « Auctores nostri, inquit, in quibus non frustra sacrarum litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent eis Deum vel per eos locutum cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt » (1). Postremo *e)* inspirationem latiori sensu non raro sumunt pro revelatione. Inde fit ut illas partes Scripturæ dicant inspiratas, in quibus veritates supernaturales vel præternaturales referuntur. Hunc vero loquendi modum adhibent ut significent, scriptorem illas veritates neque solis rationis viribus neque experientia compertas habuisse, sed eos a Deo per mediatam vel immediatam revelationem accepisse.

Quod 2° attinet criterium depromptum ex dictionis perfectione et styli majestate, cum simplicitate quadam et brevitate conjuncta, ex eo nil aliud effici potest, nisi quod res et doctrinæ sive revelatæ sive aliunde cognitæ verbis et locutionibus aptis et materiæ scribendæ conformibus expressæ fuerint : illud autem nonnisi sub divino afflatu fieri potuisse, neque evidens est neque ullo pacto demonstrari potest, quin illud ipsum præsupponatur, quod est in quæsitione. Nemo præterea nescit styli perfectionem in omnibus libris sacris non reperiri ejusmodi notis insignem, adeo ut sacri ipsi scriptores aliquando suam sermonis profiteantur imperitiam (2). Illud ipsum probe confirmatur ex persuasione majorum, qui Scripturæ stylum in nonnullis libris habent valde humilem, imo nonnumquam sub respectu grammatico plus minusve imperfectum (3). Hunc loquendi modum

(1) De Civ. Dei. l. XVIII, c. 41, n. 1. (2) V. II Cor. X, 6. (3) S. Chrysost. Hom. VI in I Cor ; S. Hieron. in Ephes. l II et in Gal. l. III.; Orig. l. IV de principiis, cap. I.

vulgarem et communem cohærere docent cum charactere scriptorum atque cum divina œconomia : cum scriptoribus nempe, utpote qui erant homines plerumque rudes et illiterati ; cum œconomia divina vero, quatenus Deus voluerit, ut verbum divinum in humilitate et humanis blanditiis destitutum manifestaretur, ad hujus mundi superbiam confundendam. Tandem, qui hoc criterio utuntur, confundunt id quod cum re aliunde comperta apte cohæret, cum eo quod rem ex sese primum patefacit atque demonstrat. Verum sane est lectorem christianum, qui divinam librorum inspirationem prævie jam compertam habet, quum in nonnullis locis tantam sublimitatem rerum cœlestium tanta humilitate et formæ simplicitate expressam videt, non posse non admirari opus divinum. Verum si infideli vel incredulo Sacra Scriptura legenda traditur, vel nihil vel plane aliud intelliget quam fidelis, qui inspirationem jam credens ad Scripturas accedit. Aliud profecto est, luce præeunte in sacris libris reperire vestigia quædam divinitatis, aliud vero ex sola inspecta scribendi forma colligere hunc librum alium requirere auctorem, quam qui sit simpliciter homo.

Tandem 3° ultimum criterium objectivum et internum ex miraculis et vaticiniis desumptum, si intelligatur eo sensu, quo a protestantibus videtur proponi (1), ita ut ex narratione miraculorum et prophetiarum inferant librum in quo scripta sunt, esse divinitus inspiratum, evidenter est absurdum. Quod si vero illud adducant ceu criterium historicum, quatenus scilicet veritatem inspirationis librorum velint evincere ex istis prophetiis et miraculis tamquam ex realibus Dei verbis, inepte confundunt simplicem prodigiorum narrationem cum signorum operatione ad aliquam veritatem comprobandam. Ex eo enim quod in aliquo scripto miracula et prophetiæ referuntur, nondum sequitur ea revera fuisse patrata et edita ; dein, etiamsi de veracitate scriptoris constet, colligi exinde adhuc nequit ea miracula in hunc finem esse patrata sive ut comprobent doctrinam in scripto

(1) V. Stillingfleet's Works v 4.

traditam, sive ut nominatim patefaciant istius libri divinam inspirationem. Utrumque igitur sedulo est probandum ut ex signis et prodigiis in libro consignatis, veritas inspirationis libri demonstrari queat. Jamvero inficiamur supernaturalia illa signa hunc in finem patrata esse vel referri in sacris libris, ut probent divinam originem librorum in quibus consignata habentur.

Ad oculum itaque patet indicia illa objectiva, sive singillatim libris insint, sive etiam simul adesse supponantur, cum per argumentorum cumulationem eorum natura non mutetur, talia prorsus non esse, quæ de divina Bibliorum inspiratione indubiam fidem certamque persuasionem gignere valeant. Insulsum igitur est dicere, quod nonnulli regerunt protestantes, divinam fidem de inspiratione Scripturarum niti posse istiusmodi indiciis objectivis, tamquam *credibilitatis motivis*, non secus ac catholicorum fidem de auctoritate Ecclesiæ. Hujus enim divina origo et conservatio certissimis constat notis, quæ etiam humanitus perpensæ, omne prudens dubium tollunt.

ART. II. DE CRITERIO SUBJECTIVO SEU PSYCOLOGICO.

Jam agendum de alio criterio, quod vocant *psycologicum* seu *empiricum*, quia depromitur ex phænomenis conscientiæ, quæ in lectoris animo producuntur. Hoc criterio potissime utuntur Lutherani, illudque ponunt tum in miro animi gustu internoque sapore necnon in suavi quadam consolatione, qua anima lectoris perfunditur et ad iteratam lectionem allicitur, tum in aliis motibus purissimis ac sanctissimis quos Bibliorum lectio producit, quales sunt terrenarum rerum contemptus, ardens cœlestium bonorum desiderium, flagrans in Deum charitas eique serviendi ac placendi cupido. Inde est, aiunt, quod Scripturarum lectio miram exerat vim flectendi corda atque multiplices producat ad Deum conversiones, qualis fuit subita conversio eunuchi Candacis reginæ (Act. VIII). Contendunt porro ipsi se ex illis effectibus subjectivis

librum inspiratum a non inspirato, veluti cibum diversum ex gustu et sapore, certo ac tuto discernere (1).

At vero hæc pseudomystica doctrina nullam vim habet ad veram demonstrationem conficiendam, cum jam imprimis hæc phænomena alteri probari atque obtrudi nullatenus queant. Multum quidem abest quominus nostram faciamus frigidam illam Michaëlisii declarationem, qua se numquam aliquem ex lectione Scripturæ gustum in animo percepisse attestatur (2). Qui enim cum pio et reverenti animo illos libros perlegit, identidem inimitabile ac divinum quid in se experitur (3). Nihilominus illi affectus tales non sunt, qui clara præbeant fundamenta alicujus judicii indubitati vel qui aliam causam habere nequeant nisi divinam librorum originem. Enimvero multiplici ex capite hujus criterii insufficientia demonstratur. Virtus namque excitandi suaves illos sensus, neque omnibus neque solis Scripturæ libris propria est. Sane quidam exstant libri sacri, imprimis in Vet. Test., qui mere historici sunt ac lectoribus satis aridi

(1) Lege inter alios *Reinhard.* Dogm. § 22; *Calvinum.* Institut. l. I. c. c. 7 et 8. Cfr. *Denzinger.* Vier Bücher v. d. Relig. Erkenntniss. B. II, n. 146.

(2) In *Compendio dogmatico* a. 1760. En ejus verba juxta versionem Gallicam D. Chenevière : « Une sensation intérieure des effets du St. Esprit, et la conviction de l'utilité de ces écrits pour améliorer le cœur et nous purifier, sont des critères aussi incertains que le précédent. Quant à cette sensation intérieure, je dois avouer que je ne l'ai jamais éprouvée, et ceux qui la ressentent, ne sont ni dignes d'envie, ni plus près de la vérité, puisque les Mahométans l'éprouvent aussi bien que les Chrétiens... L'autre caractère est également insuffisant, puisque de pieux sentiments peuvent être excités par des ouvrages purement humains, par les écrits de philosophes, ou même par des doctrines fondées sur l'erreur. »

(3) Hoc sensu intelligi possunt verba Origenis l. IV de princip. cap. 1, in quibus cæterum non agit nisi de prophetiis Vet. Test. : « Sed et si quis, cum omni studio et reverentia qua dignum est, prophetica dicta consideret : in eo ipso dum legit et diligentius intuetur, certum est quod aliquo divinore spiramine mentem sensumque pulsatus agnoscet non humanitus esse prolatos eos quos legit, sed Dei esse sermones : et ex semetipso sentiet non humana arte, nec mortali eloquio, sed divina (ut ita dicam) cothurno libros conscriptos. »

vix non possunt apparere, utpote genealogiis vel brevibus adnotationibus referti, quales sunt v. g. libri Paralipomenon ab hæreticis nihilominus admissi. E contra illa delectationum suavitas et vis flexanima procul dubio agnoscenda est pluribus aliis libris, qui tamen Deum auctorem non habent, v. g. libris de Imitatione Christi, scriptis quibusdam S. Bernardi, non paucis homiliis et epistolis SS. Patrum. Neque opponant hos libros aliunde innotescere minime inspiratos, quippe qui scripti sint post ætatem Apostolicam. Nam præterquam quod id verum non est de omnibus illis, puta mirabilibus epistolis Ignatii, Polycarpi et Clementis, nunc non quæritur de horum inspiratione, imo supponitur eos non esse inspiratos; sed cum non appareat, notam hanc, quam indicem ponunt divinæ inspirationis, his aliisque scriptis humanis deesse, imo cum longe magis inesse videantur, quam pluribus libris librorumque partibus, quos illi in suo canone asservarunt ceu inspiratos, evidens est, ex phænomenis illis subjectivis, quæ proferunt, hos libros canonicos a libris mere humanis distingui minime posse. Et ut contra adversarios hic obiter argumentum ad hominem proferamus, liber Sapientiæ et liber Ecclesiastici, quos illi ex numero sacrorum librorum expunxerunt, multo magis internam consolationem saporemque suavem animo instillare nati sunt, quam plures alii ab ipsis inter sacros recepti. Tandem, quod hic non est prætermittendum, criterium illud subjectivum est atque adeo vagum, ut nequeat hallucinationibus plurimis necnon arbitrariis et inter se pugnantibus judiciis latam non aperire januam. Pendet enim plurimum a voluntate et dispositionibus lectoris, utrum affectus illi in ipso excitentur necne. Quam ab causam usus istiusmodi criterii, objectivo valore destituti, periculis est plenus planamque sternit viam fanatismo et subjectivismo. Illud dilucide adparet in hæreticorum historia, quorum alii alios pro lubitu actualibusque dispositionibus libros sacros susceperunt vel rejecerunt : videlicet quos una secta veneratur ut sanctos, utpote sublimibus sensibus doctrinisve excelsissimis refertos, alia ex adverso ceu insulsa, inepta ac straminea figmenta repudiat.

Scholion. Longe aliud quid significat Bellarminus, quando scribit : « Ecclesia potest declarare, quis sit liber habendus canonicus, et hoc non temere nec pro arbitratu, sed ex veterum testimoniis, et similitudine librorum de quibus ambigitur, cum illis de quibus non ambigitur, ac demum ex communi sensu et *quasi gustu populi christiani* » (1). Non agit enim de *gustu* Lutheri qui libros inspiratos admittebat aut repudiabat, prout in iis ex suo privato judicio sibi *gustare* videbatur conformitatem vel difformitatem cum suo præconcepto systemate doctrinæ ; sed agit *de gustu populi christiani*, scilicet de intellectu catholico seu unanimi fidelium persuasione, quæ secundum doctrinam catholicam est unum ex criteriis, quibus dignoscitur divina Traditio. Bellarminus itaque solum asserit Ecclesiam in examine Traditionis de alicujus libri inspiratione, utrum ea genuina sit et apostolica, præter alia in subsidium vocare ipsum fidelium testimonium seu sensum de charactere hujus libri.

ART. III. DE CRITERIO DESUMPTO EX MUNERE APOSTOLATUS IN SCRIPTORE.

I. Quamplures auctores heterodoxi, inter quos eminet Joannes David Michaëlis (2), cum persentirent infirmitatem et insufficientiam criteriorum de quibus jam egimus, et nihilominus divinam Traditionem cum Ecclesia catholica admittere detrectarent, ad aliud criterium confugerunt, ex quo librorum Nov. Test. inspirationem demonstrare conantur. Quum videlicet divinitas librorum Vet. Test. saltem protocanonicorum probari possit ex Christi et Apostolorum testimonio in horum scriptis conservato, ut infra ex professo declarabitur, sola vel saltem longe præcipua difficultas ipsis erat in probanda inspiratione librorum Nov. Test. Idcirco relate ad hos libros statuerunt munus apostolatus, quo illorum scriptores insigniti erant, velut criterium uni-

(1) De Verbo Dei l. I, c. 10, ad 2.
(2) Introd. in N. Test. T. I, cap. 3.

cum ex quo illorum divinitas innotescere queat. Eorum quippe sententia est inter dotes apostolatus ipsum etiam inspirationis ad scribendum charisma fuisse comprehensum, adeo ut quoties Apostoli de rebus religiosis ad instruendam Ecclesiam aliquid scripto exararent, toties eis afflaret cœlestis θεοπνευστίας aura. Hanc suam opinionem adeo compertam arbitratur Michaëlis, ut nullum sibi præsto esse testetur potius criterium quo libri inspirati ab humanis discriminentur. Quos autem unanimis totius antiquitatis consensus ceu libros canonicos est veneratus, videlicet Evangelia S. Lucæ et S. Marci necnon Actus Apostolorum, quippe ab Apostolis haud conscriptos, ipse audacter statuit, probari non posse divinæ originis ac porro eos e catalogo librorum sacrorum ablegavit. Ex sola hac istius opinionis sequela jam concludere fas est criterium illud, in hoc sensu negativo et exclusivo acceptum, indubitanter esse rejiciendum ac porro a nemine umquam catholicorum hocce sensu fuisse adhibitum.

Ast vero haud paucis nec minimæ notæ theologis catholicis etiam insedit et adhuc nonnullis insidet hæc opinio, inspirationis charisma in illorum album esse referendum, quibus apostoli eminuere, ac consequenter illi ipsi tenent, quamvis sensu solum positivo, apostolatus munus adhiberi posse ceu criterium divinæ originis librorum ab Apostolis concinnatorum (1). Ut vero illud demonstrent, struunt argumentationem ex paritate vel etiam a minori ad majus. Statuunt nempe præprimis Apostolos in obeundo munere prædicandi et propagandi Christi Domini doctrinam a Spiritu S. inspiratos fuisse, illudque evincunt ex promissionibus Christi Apostolis factis : « Ego rogabo Patrem et alium

(1) Inter illos ad manus sunt Marchini. *De divin et canonic. SS Bibl.* P. I, art. 4, § IV; Liebermann. *Dem. Cathol.* P. II, c. I; De Vence. *Sᵉ Bible. Disc. prélim. sur la divinité des SS. Ecrit.*; Gabr. Güntner. *Hermen. bibl. gener.* Prol. c. II, § 12. Janssens, in sua *Introd.*; aliique, præsertim recentissime Ubaldi in sua *Introd.* vol. II, th. 44, ubi suam opinionem nervose defendit et rationes « subtiliores quam solidas » illi oppositas non minus argute refutare satagit. Nuperrime eam contra cl. Schmid tuitus est Ex. D. Schanz, in *Quartalschrift*, Tübingen, 1885, s. 666.

Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum... Paracletus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo *ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia* quæcumque dixero vobis » (1); « cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : *Non enim vos estis qui loquimini : sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* » (2). Ex his oraculis porro concludunt promissum esse Spiritum S. qui permanenter Apostolis adesset ut eos doceret omnem veritatem eisque *suggereret* quæcumque sive verbo sive scripto prædicari oporteret. Hoc autem nihil aliud esse dicunt quam veri nominis inspirationem per modum charismatis permanentis Apostolis concessi (3). Hanc autem promissionem impletam fuisse ostendunt ex illapsu Spiritus S. in Apostolos sub visibili ignis symbolo die Pentecostes, quando eos replevit multiplicibus charismatibus, inter quæ præcipuum tenet locum charisma inspirationis in munere apostolatus obeundo. Illud autem charisma de facto ad eos pertinuisse efficiunt ex verbis Apostoli : « Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed *Spiritum qui ex Deo est,* ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : quæ et *loquimur* non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed *in doctrina Spiritus* » (4). Item « An experimentum quæritis ejus, *qui in me loquitur Christus...?* » (5). Igitur Apostoli in docendis ac proponendis veritatibus fidei instructi fuerunt supernaturali charismate inspirationis, ita ut *a Spiritu Sancto loquerentur* seu *Spiritus vel Christus per ipsos vere ac proprie loqueretur.*

Hoc jam posito, ita ipsimet argumentantur. Absonum foret dicere Spiritum S. constanter Apostolis adfuisse atque afflasse, quando fidelibus de veritatibus fidei loquebantur evangeliumque prædicabant, sese vero illico subtraxisse eosque propriæ industriæ reliquisse, ubi manum admovebant ad conscribenda Evangelia vel Epistolas in Ecclesia-

(1) Joan. XIV, 16, 26, coll. XVI, 13. (2) Matth. X, 19, 20.
(3) Ubaldi, l. c. (4) I Cor. II, 12, 13. (5) II Cor. XIII, 3.

rum instructionem vel ædificationem. Eo vel magis illud præposterum adparet, quod hæc documenta eo fine fuerint conscripta, ut iisdem fideles omnium retro sæculorum instruerentur, eaque essent veluti instrumenta doctrinæ revelatæ ac norma fidei morumque in universa Ecclesia perpetuo conservanda. Quodsi enim in loquendo et ad loquendum divinitus fuerunt inspirati, a fortiori divinum illud charisma eis non defuisse in scribendo merito se concludere opinantur.

II. Antequam de hoc criterio nostram sententiam promamus, animadvertimus denuo illud alia plane ratione ab his catholicis theologis usurpari, quam a Michaëlisio aliisque protestantibus. Illi namque *a)* non istud adhibent ceu unicum medium probandi inspirationem librorum N. T.; etiam *b)* ejus valorem prorsus negant in sensu *exclusivo*, perinde ac si inspirationis charisma sub N. T. fuisset solis Apostolis reservatum; denique *c)* eorum nonnulli illud adducunt non quidem ut per se solum et peremptorie inspirationem demonstrans, sed tantummodo veluti argumentum convenientiæ, per sese magnam probabilitatem afferens, ac propterea illud conjungunt ac veluti immiscent cum aliis, quorum præcipuum et pro tota librorum collectione unice validum est divinum testimonium in divina Traditione conservatum (1). Sane illud equidem non nego, conveniens fuisse ut, si quæ Spiritus S. in nova œconomia documenta inspirata condere voluit, ad ea scribenda inspiraret ipsos authenticos legatos a Christo electos. Ast quoniam catholici quidam argumentum hoc vehementius urgent pluribusque persequuntur, uti nuperrime Ubaldi, atque, ut fatear, quo penitius illud expendo diligentiusque excutio, eo magis convincor illud serio valore probativo esse privum, paulo fusius huic immorandum duxi.

Igitur (pace loquar tantorum virorum) censeo cum pluribus aliis theologis non minus doctis (2) charisma inspira-

(1) V. De Vence l. c.

(2) Præcipui sunt : Carol. Passaglia. *De Ecclesia Christi*, l. III, c XV; Schrader, in Thesibus theolog. a. 1862, p. 67; Hurter. *Theol. compend.*

tionis ad scribendum inter prærogativas Apostolorum recenseri haud posse. Illud probandum nunc suscipimus.

Charisma inspirationis ad scribendum neque 1° refunditur in apostolatum formaliter spectatum, neque 2° in unum ex charismatibus ex voluntate Christi illi annexis, neque 3° probari potest distinctim a Christo cum eo fuisse connexum, imo neque 4° revera pertinuit ad communia apostolorum decora.

Etenim 1° non refunditur in apostolatum formaliter spectatum. Illa enim duo charismata apostolatus et θεοπνευστιας ad scribendum *logice* et *ontologice* differunt. *Logice* quidem, quandoquidem apostolatus dicit authenticam pro Christo legationem, ut S. Paulus docet (1), et speciatim infallibilem ædificandæ et struendæ Ecclesiæ potestatem. Eadem scilicet missione qua Christus missus est a Patre, ipse instruxit suos discipulos qui mandatum traditum a Patre continuarent. Sicut porro missio Christi non eo spectabat ut librorum ope omnia quæ a Patre audiverat, hominibus nota faceret, ita munus illud ædificandæ struendæque Ecclesiæ in fide non necessario exerceri debuit ope librorum inspiratorum (2). Potuit namque Christus Dominus, prouti reapse præstitit, deputare legatos qui post ejus discessum integram doctrinam divina revelatione acceptam infallibiliter cunctis gentibus prædicarent et a quibus singuli veritates credendas acciperent; vel, si etiam hypothesis fiat Christum assumere voluisse libros, per quos tamquam per instrumenta doctrinæ revelatæ, fides integra et pura conservaretur, nondum inde consequeretur, illos fuisse conscriptos sub divino afflatu : satis namque fuisset, si ab Apostolis conscriberentur sub

tom. I, Tr. II, sect. II, c. II; Em. Card. Franzelin. *Tr. de div. Scripturis*, th. V; Scheeben, *Handbuch der Kath. Dogmatik*, I B. 3 Haupt. n. 253; Cl. Schmid. *De Inspirationis Bibliorum vi et ratione*, l. VII, c. II, art. II punct. 1m.

(1) II Cor. V. 20.

(2) « Neque curæ illis (Apostolis) erat, inquit Eusebius, libros scribere quippe qui longe præstantiore ministerio et supra humanas vires posito fungerentur. » Hist. Eccl. lib. III, cap. XXIV.

assistentia Spiritus Sancti præservantis ab errore. Age jam patet apostolatus munus per se spectatum non complecti θεοπνευστιαν, quæ in sensu activo et specifice accepta pro inspiratione ad scribendum, dicit supernaturalem motionem ad veritates divinitus communicatas scripto excipiendas. Differunt denique *ontologice*, quum Apostolus motione et inspiratione ad scribendum possit esse destitutus absque ullo suæ dignitatis detrimento; id vero claret ex eo quod reapse duo illa charismata sejuncta fuerint : plures enim Apostoli illo priore non fuerunt adaucti, dum Marcus et Lucas, qui non erant Apostoli, inspirati tamen fuerint.

Deinde 2° neque refunditur charisma θεοπνευστιας in unam ex prærogativis, quas Christus, secundum omnium doctrinam, cum munere apostolico devinctas voluit. Etenim omnes in hoc conveniunt, quod, præter prærogativas immediatæ missionis, charismatis miraculorum, jurisdictionis in qualibet terræ parte, de quibus hic non potest esse quæstio, Apostoli tum constituti fuerint organa novarum revelationum, necnon infallibiles in veritatibus salutis antea a Christo vel post hujus discessum a Spiritu Sancto acceptis populo annuntiandis. Atqui charisma inspirationis ab hisce duobus est plane distinctum et separabile, ut evidens est ex ipsa notione inspirationis superius a nobis data. Utroque enim vel alterutro ex illis posito, nondum habetur inspiratio ad scribendum, ut manifestum est in pluribus apostolis, quibus illa charismata non deerant, et qui nihilominus scriptores θεοπνευστοι minime fuerunt. Vicissim potest quis esse inspiratus ad scribendum, quin uno ex illis charismatibus aliunde sit ornatus. Quomodo enim probabitur scriptorem ex. gr. libri Estheris necessario instructum fuisse uno ex illis donis? Charisma inspirationis nulli muneri aut conditioni est alligatum, et si ullo alio, certo hoc dono, quamdiu revelatio non est completa, « Spiritus, ubi vult, spirat ».

Denique 3° probari nequit ex promissione et institutione Christi muneri apostolatus *præter* jam laudatas dotes etiam vinctum junctumque fuisse charisma inspirationis ad libros conscribendos. Enimvero legimus quidem Apostolis promissum esse Spiritum Sanctum docentem omnem veritatem,

ut testimonium perhiberent de Christo, et promissam esse tutelam ac præsentiam Christi in munere illis demandato docendi omnes gentes ac prædicandi evangelium omni creaturæ, sed nusquam legimus eisdem inspirationis charisma ad scribendum fuisse promissum. Sicut nempe mandata omnia a Christo versante in terris facta Apostolis unice ad prædicationem referuntur, ita eodem etiam spectant promissa cum mandatis conjuncta; ista namque procul dubio talia non sunt ex quibus inspirationis hagiographorum promissio erui ullatenus valeat. Et re sane vera Scripturæ oracula quæ a Michaëlisio (1) et etiam a catholicis adducuntur, non evincunt inspirationem ad scribendum fuisse ex Christi institutione dotem apostolatus propriam, quod satis patet ex inspectione textuum. Adducuntur verba Christi, Jo. XIV, 16, 17, quæ, prout ad solos Apostolos personaliter spectatos directe referuntur, tantummodo probant charismata immediatæ revelationis et personalis infallibilitatis esse illis conferenda, idque efficiunt solum, collatis locis parallelis et spectatis peculiaribus adjunctis in quibus primi Christi legati erant constituti (2). Quod attinet porro ad Matth. X, 19, 20, non agitur ibi de inspiratione ad scribendum, vel de inspiratione generice accepta, sed de inspiratione specifica ad loquendum, quæ ab illa priore est plane distincta. Neque illa absolute et permanenter promittitur, sed circumscribitur tempore et adjunctis, cum restringatur ad illa tempora, quibus discipuli exponerentur vexationibus persecutorum (3).

(1) Mirari revera subit a Michaëlisio afferri etiam textum Matth. XVI, 18, 19 « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... quodcunque ligaveris super terram etc. » in quo luculentissime adstruitur primatus jurisdictionis in universam Christi Ecclesiam Petro promissus, et in quo de inspiratione ad scribendum nulla prorsus fit mentio. Priorem illam significationem manifestissimam ipse negat, hanc alteram intrudit. Hæc scilicet est, ut apposite notat Emo Card. Franzelin, ars hermeneutica « immunis a præjudiciis », ut sensum obvium, qui non congruit præjudiciis, tenebris involvant, sensum, qui placet, confingant.

(2) Cfr. Franzelin, *Tr. de Trad* Thes. V.

(3) Melchior Canus scribit in hæc verba : « Hoc vero Spiritus Sancti donum, toto vitæ decursu non habebant : sed tantisper dum lingua eorum calamus erat scribæ velociter scribentis ». De loc. theol. l. II, cap. 18.

Ast nequidem illa permanens θεοπνευστια ad loquendum significatur in aliis oraculis ab adversariis conquisitis, nam in his Christus promittit Apostolis vel hi sibi adscribunt tantummodo authenticam et infallibilem prædicationem veritatum fidei, quas immediate a Deo acceperant. Itaque ex his Christi promissionibus Ubaldi non mihi videtur legitime inferre Apostolis fuisse collatum charisma inspirationis *generatim et indeterminate sumptum sive ad loquendum sive ad scribendum*, quod « non utcumque, ut ipse dicit, aut ad hoc vel ad illud determinatum, aut hoc vel illo tempore definitum possidebant, sed juge, continuum ac perenne, quod sese ad universum apostolici muneris exercitium porrigebat ». Confundit nempe duo charismata apprime distinguenda scilicet inspirationis et infallibilitatis. Illo priore nec omnes nec continuo gaudebant Apostoli, hoc vero posteriore singuli ac perenniter erant ornati ad doctrinam Christi sive ore sive scripto promulgandam. Quapropter Apostoli suo munere fungentes poterant pro occurrentibus adjunctis, in subsidium prædicationis, capita quædam doctrinæ revelatæ infallibiliter litteris consignare absque ulla scriptionis inspiratione. Ruit ergo fundamentum totius argumentationis adversariorum, quum ex charismate infallibilitatis a Christo promissæ, vel quum ex perennitate inspirationis ad loquendum, quam ipsi Apostolis adscribunt, concludunt a pari vel a fortiori ad charisma inspirationis ad scribendum, quoties utile vel necessarium foret, ut doctrina aliqua scripto consignaretur.

Tandem 4° constat a posteriori seu ab eventu charisma θεοπνευστιας ad scribendum haud fuisse prærogativam Apostolatus, neque sensu *exclusivo*, nam et alii præter illos, scilicet Lucas et Marcus, fuerunt scriptores inspirati; neque sensu *positivo* et *affirmante* : inspiratio enim necessario includit motionem ad scribendum, ut ex ipsa natura rei patet et infra affatim demonstrabitur; jamvero non omnes Apostoli libros inspiratos conscripserunt. Nemo porro sapiens dixerit Spiritum S. omnibus quidem afflasse, sed majorem eorum numerum Deo excitanti et moventi ad scribendum fuisse immorigerum. Qui vero contenderet, in sensu solum hypo-

thetico munus scribendi libros inspiratos eis fuisse concessum, ita scilicet ut, si scriberent de rebus ad religionem christianam pertinentibus, sub divino afflatu scriberent, revera absurde et tautologice loqueretur. Nam idem esset ac dicere Apostolos ex voluntate Christi semper fuisse ad scribendum inspiratos, quoties a Spiritu Sancto supernaturaliter moverentur ad ejus sensa scripto consignanda.

Igitur concludimus *infallibilitatem in scribendo* de doctrina christiana communem quidem fuisse Apostolorum dotem hancque non fuisse specifice distinctam a charismate quo *infallibiliter verbo docebant; charisma* vero *inspirationis ad scribendum* neque *iis omnibus*, neque *iis solis* fuisse promissum vel collatum, ideoque recenseri non posse inter prærogativas sive insignia propria Apostolorum. Itaque ex *genuinitate* libri apostolici de veritatibus religiosis conscripti sequitur profecto infallibilitas et divinitas doctrinæ, quæ in eo proponitur, at minime ex charactere Apostoli in libri scriptore inferri per se potest argumentum ad probandam divinam hujus libri originem seu inspirationem.

III. Quod attinet ad doctrinam Patrum, quam quidem nostræ sententiæ adversari volunt, hi numquam arbitrati sunt in Nov. Test. charisma inspirationis *exclusive* concessum fuisse Apostolis, adeo ut eo ipso quod constaret aliquem librum non fuisse conscriptum ab aliquo Apostolo, eum ut inspiratum minime haberent. Id dilucide patet ex universali, perpetuo et constanti Patrum consensu in admittendis Evangeliis S. Lucæ et S. Marci necnon Actibus Apostolorum qua divinitus inspiratis. Accedit quod Patres haud pauci, inter quos Dionysius Alexandrinus, librum Apocalypseos Joanni Apostolo abjudicaverint et nihilominus eum venerati sint ut librum hominis « sancti et divinitus inspirati » (1). Præterea neque probari valet ipsos apostolatum habuisse velut criterium *positivum* ita ut, simul ac alicujus libri origo apostolica comprobata esset, illum idcirco sine ulteriore inquisitione ut inspiratum acciperent. Etenim, ut

(1) Ap. Euseb. l. VII, c. 24.

illam assertionem illico firmemus, Patres doctoresque Ecclesiæ communiter habuerunt symbolum Apostolorum ceu ab Apostolis confectum et Ecclesiæ traditum (1), quin tamen ipsi, si unum alterumve excipias, illud Scripturis inspiratis accensendum duxerint. Pariter quando S. Hieronymus divinam inspirationem epistolæ S. Pauli ad Philemonem vindicandam suscepit ab argutiis nonnullorum, haudquaquam recursum habuit ad apostolicum munus, quo ejus scriptor insignitus erat (2).

Difficultas tamen hic movetur ex constanti praxi qua apud Veteres inquisitio circa inspirationem seu divinam alicujus libri N. T. originem, de qua dubium movebatur, semper reduceretur ad examen de apostolica ejus origine, adeo ut cum hac origine divinam ejus inspirationem consertam credidisse videantur. Ita ex. gr. valde et fere unice sollicitos eos invenimus de stabilienda apostolica origine Epistolæ ad Hebræos et libri Apocalypseos, ad horum canonicitatem contra impugnatores vindicandam; et quidem tam sedulo huic inquisitioni operam navant, perinde ac si pro retinenda canonicitate istorum librorum omnino necessaria foret.

Huic difficultati imprimis opponimus quæ modo ex Patribus adduximus, quæque illud saltem probant hanc persuasionem de essentiali nexu inter charismata apostolatus et divinæ inspirationis nequaquam fuisse universalem. Deinde, ut directe huic objecto occurramus, animadvertimus apostolicam originem alicujus libri non ab ipsis adhiberi consuevisse tamquam criterium, ex quo solo, seclusa Traditione, peremptorie probaretur divina alicujus libri inspiratio, sed ex quo solummodo pro statu controversiæ existens traditio de canonicitate alicujus libri confirmaretur. Quocirca notetur testificationem de librorum Nov. Test. canonicitate (si tres enumeratos exceperis) intime semper in Ecclesiæ sensu connexam fuisse cum apostolica eorum origine : eadem

(1) Videsis Suarez, *De fide*. Disp. II, sect. V, n. 3.
(2) V. Proleg. ad ep. Philem.

namque traditione, qua illi libri transmittebantur ceu sacri et canonici, etiam docebantur fideles apostolicam eorum originem. Unde orta est hæc doctrina traditionalis libros omnes ab Apostolis conscriptos et ab eis Ecclesiæ relictos, sub divino afflatu fuisse conscriptos. Quum vero primis Ecclesiæ sæculis multi libri apocryphi scriberentur falsoque Apostolis supponerentur, non pauci decipiebantur, quia dum ex traditione existente compertum haberent libros Apostolorum Ecclesiæ traditos divinitus fuisse inspiratos, istos pariter ceu canonicos venerabantur. Ex his fraudibus quæ facile detegebantur, orta est inter fideles quædam diffidentia etiam circa libros genuinos et canonicos. Inde porro viri hæretici ansam ceperunt, ut dubia moverent circa canonicitatem librorum Nov. Test., nominatim Apocalypseos et Epistolæ ad Hebræos, illique nil expeditius duxerunt, quam ut illos Apostolis scriptoribus abjudicarent ac tamquam suppositítios et ab impostoribus confictos traducerent. Ita quidem Apocalypsim adtribuebant Cerintho.

Hisce expositis jamjam intelligitur, cur veteres pro statu controversiæ in id præcipuam operam contulerint, ut probarent genuinitatem illorum librorum, ostendendo nempe illos reapse fuisse ab apostolicis viris conscriptos, non vero ab impostoribus in Ecclesiam invectos. Hoc ferme probato, sufficienter stabilitam pro tempore autumabant inspirationem illorum librorum, non quidem ideo quod ex ipsa rei natura, posìta conscriptione alicujus libri per Apostolum, posset quis certo concludere ad ejus divinam inspirationem, sed quod ex authentica traditione historice constaret libros omnes ab Apostolis conscriptos et Ecclesiæ traditos sub divino afflatu fuisse concinnatos (1).

Scholion. Quod diximus de munere apostolatus valet etiam de *munere prophetico*. Hoc nempe charisma in auctore alicujus libri, non est criterium, quo per se certo innotescit hujus libri inspiratio, quia θεοπνευστια ad scribendum non est necessario vinctum cum munere prophetico, sicut nec cum

(1) Cfr. Em. Card. Franzel. l. c. th. V, coll. th. XVI; Schmid, l. c.

munere apostolico. Si quando igitur Michaëlis ex inscriptionibus librorum propheticorum, v. g. *ego propheta Isaias*, ad eorum inspirationem concludit, et a pari ex geminis inscriptionibus epistolarum Nov. Test. *Petrus Apostolus Jesu Christi*, *Paulus Apostolus Jesu Christi*, inferendam dicit divinam harum epistolarum originem, nil aliud negotii facit quam petere principium. Quod enim supponit prophetas ad scribendum divinitus motos fuisse ex ipso munere prophetico, hoc ipsum versatur in quæstione. Poterant enim viri prophetici absque actuali Spiritus S. influxu scriptis consignare ea, quæ antea per revelationem acceperant vel oretenus sub divina inspiratione jam populo annuntiaverant. Hisce non abludit S. Augustinus qui accurate distinguit inter hæc duo charismata « Plurima... in libris aliis inveniri dicuntur, quos prophetæ scripserunt, et alicubi eorum quoque prophetarum nomina non tacentur; nec tamen inveniuntur in canone, quem recepit populus Dei. Cujus rei, fateor, causa me latet; nisi quod existimo, etiam ipsos, quibus ea quæ in auctoritate religionis esse deberent Sanctus utique Spiritus revelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut prophetas inspiratione divina scribere potuisse; atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tamquam ipsis, ista vero tamquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon » (1). Si quando vero cum aliis infra ad probandam librorum sacrorum divinam originem appellamus ad testimonia Veterum, quibus Biblia divina esse dicuntur, eo quod fuerint a prophetis conscripta, illa semper intelligimus in sensu formali, et prout denominatio *propheta* generica est seu æque indicat inspirationem ad scribendum quam ad loquendum : ita scriptio inspirata vocatur in sensu biblico *scriptio prophetica*.

Corollarium I. Præpostere ergo illi agunt, qui propterea Marci et Lucæ Evangelia ex censu librorum canonicorum

(1) De civ. Dei, l. XVIII, c. 38.

expungunt, quod illi scriptores ornati non fuerint charismate apostolatus. At etiam illi errant, qui cum Cellerier (1) ideo eos in canonem referunt, quod Marcus et Lucas, utpote immediati et primarii Apostolorum Petri et Pauli discipuli, sub horum oculis apostolicam paradosin litteris consignarint. Nam, præterquam quod istud non sit nimis urgendum, hoc pacto haud solvitur difficultas quoad Actus Apostolorum, qui majorem partem non Apostolorum doctrinam sed dumtaxat historiam institutionis Ecclesiæ complectuntur. Ad hæc, cur non etiam ut inspirata habentur scripta SS. Barnabæ, Clementis, Polycarpi, qui et ipsi Apostolorum fuere discipuli? Idcirco hanc charismatis extensionem ad Apostolorum discipulos plerumque etiam illi negant, qui ad Apostolorum ornamenta pertinere arbitrantur inspirationis charisma, et ideo concludunt argumentum completum et adæquatum pro inspiratione omnium librorum N. T. non reperiri nisi in testimonio divino Traditione conservato.

Corollarium II. Apposite infert etiam Card. Franzelin charisma inspirationis *extraordinarium* fuisse in Apostolis non solum in comparatione cum successoribus, eo quod non esset ordinaria aliqua successione propagandum; sed etiam in comparatione cum ipso apostolatu, quatenus cum munere apostolico non erat necessario consertum.

CAPUT II.

INSPIRATIO SACRARUM SCRIPTURARUM NON INNOTESCIT NISI FORMALI TESTIMONIO DIVINO.

Missis jam præcipuis notis seu criteriis quæ ab hæreticis adducuntur, quæque ad inspirationem sacrorum librorum probandam insufficientia vel prorsus inepta sunt, conclu-

(1) In op. : *Essai d'une introduction critique au N. T.*, 2me partie, sect. VIII.

dendum est, quod in limine præcedentis capitis dicebamus, illud factum divinæ inspirationis nonnisi testimonio fide digno posse certo innotescere. Porro illud non mere humanum sed divinum esse oportere, non est cur pluribus stabiliamus. Enimvero si ponamus illud esse mere humanum, cum inspiratio sit supernaturalis operatio Dei in hominem, interna ac suprasensibilis, necessario in serie testantium primus testis est homo inspiratus, cæteri autem nonnisi ipso mediante et testante, notitiam facti accepere. Jamvero cum veritas inspirationis Scripturarum habeatur tam a protestantibus quam a catholicis ceu dogma revelatum ab omnibus fide divina credendum, et ita quidem, ut hæc ipsa sola ratio, quod aliquis liber conscriptus sit sub divino afflatu, sufficere debeat, ut quæcumque sententia, in isto libro expressa, etiam suborientibus difficultatibus utut gravissimis, fide supernaturali teneri debeat tamquam verbum Dei ac in se prorsus vera, necessario opus est, ut illam ipsam divinam originem libri teneamus firmissimo assensu fidei supernaturalis. Quodsi namque solummodo auctoritate humana compertum haberemus librum talem divinitus esse inspiratum, non tantum hanc veritatem teneremus fide dumtaxat humana, sed etiam fides in ipsas veritates in libro contentas ultimatim resolveretur in assensum propter auctoritatem hominis. Jamvero motivum formale cujuslibet actus fidei divinæ nequit esse nisi auctoritas Dei revelantis, ideoque hæc ipsa veritas, quam fide divina tenemus, nobis sufficienter revelata sit oportet, hoc est formali testimonio divino manifestata.

Præterea, testimonium quo hujusmodi factum certo resciatur, mere humanum esse nequit. Cum enim inspiratio sit operatio Dei occulta et suprasensibilis, patet eam sive ipsi hagiographo sive alteri non innotescere, nisi per mediatam vel immediatam Dei testificationem.

Porro manifestum est, si dantur libri divinitus inspirati ab universa Ecclesia suscipiendi et credendi divini, illud testimonium Dei de eorum divina origine necessario pertinere ad veritates revelatas atque ad credendum omnibus pro-

positas. Quæritur autem nunc, quo pacto illud testimonium ad omnes et singulos pertingat : utrum videlicet locutio Dei singulis immediate per peculiarem revelationem proponatur, vel, si illud negandum videatur, quomodo locutio ante multa sæcula a Deo profecta seu existens divinum testimonium ad nos usque conservatum sit, nobisque singulis sufficienter applicetur.

ART. I. IMMEDIATA REVELATIO DIVINA NON IMPERTITUR SINGULIS.

Quum plurimi inter hæresiarchas, maxime Calvinistæ et Pietistæ, probe perspicerent criteria desumpta ex ipsis characteribus librorum haud certo demonstrare θεοπνευστιαν Scripturarum, atque nihilominus admittere detrectarent publicum Ecclesiæ catholicæ magisterium a Christo institutum, ad privatam et internam recurrerunt Spiritus Sancti revelationem. Confingunt itaque præter revelationem publicam et externam, aliam singulis fieri occultam testificationem, quæ priorem confirmet quæque consistat in illustratione aliqua Spiritus Sancti omnibus concessa. Hac nominatim locutione divina singulis clare et indubie aperiri imprimis tam existentiam quam numerum librorum inspiratorum (1).

(1) Illud vero testimonium ita declarat Calvinus : *Institut.* l. I c 7, § 7 : « Maneat ergo hoc fixum quod Spiritus Sanctus intus docuit, solide acquiescere in Scriptura, et hanc quidem esse αὐτοπιστον, neque demonstrationi et rationibus subjici eam fas esse : quam tamen meretur apud nos certitudinem, Spiritus testimonio consequi ». Idem tenet privatarum revelationum amans Zwinglius : *De vera et falsa religione.* T. II. Syn. vero Dordracena, sess. VI, art. 5 hæc decernit . « Hos solos libros pro sacris et canonicis recipimus, idque non tam quod Ecclesia eos approbet vel recipiat, sed quod Spiritus Sanctus in cordibus nostris testetur a Deo profectos esse ». Mirum tamen est quam obscure ac diversimode ipsi hujus revelationis modum definiant, quam tamen unumquemque clare et reflexe in se percipere mentiuntur. Vide hæc latius exposita apud Denzinger. *Relig. Erkenntniss* vol. II, nn. 146 seqq. ubi videre est ad quas miseras inscitias frigidasque argutias Protestantes ex ipso suo fundamentali principio de Scriptura velut unica regula fidei redacti fuerint, quantumque jam ab initio suæ defectionis viam planam straverint ad putidum rationalismum.

Jamvero quamvis a priori et absolute haud repugnet, Deum per privatas revelationes per modum generalis regulæ singulos docere omnem veritatem, et speciatim dogma de inspiratione Scripturarum, neminem tamen, qui religionem christianam, prout a Christo instituta est, aliquanto propius perspexerit, latere potest hanc non esse œconomiam divinitus institutam, ac proinde prætensam revelationem unicuique concessam non esse nisi figmentum unice in favorem malæ causæ adinventum.

Enimvero 1° hæretici nullatenus probare possunt, Spiritum Sanctum singulis fidelibus interna et immediata revelatione manifestare quid credendum sit et, pro re nostra, existentiam et numerum librorum sacrorum. Sane testimonia quæ afferunt ex Evangeliis et scriptis apostolocis, ex. gr. Jo. VII, 17; I Jo. IV, 1; I Cor. II, 14, 15 aliaque similia, minime evincunt quod volunt adversarii, cum evidens sit ea non intelligenda esse ad exclusionem externi magisterii Ecclesiæ, sed supposito infallibili hoc magisterio, cujus existentiam et necessitatem alia Scripturarum testimonia clarissime adstruunt. Sane, quando Christus Dominus misit Apostolos suos ut docerent omnes gentes et quidem omnia quæ ipsis mandaverat, pariter quando S. Paulus loquens de necessitate fidei pro omnibus, quærit : quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? (1), profecto nullatenus insinuant fidei veritates singulis manifestari per internam revelationem, sed clare adstruunt institui vel institutum esse munus prædicatorum authenticorum, a quibus fideles ex auditu fidem acciperent. Deinde 2° ipsa natura Ecclesiæ testimonium privatum, tamquam ordinarium manifestationis divinæ medium, prorsus excludit. Ecclesia enim, juxta ipsam Scripturam, societas est maxime visibilis, cujus basis est fides, in qua omnes interna et externa professionne convenire debent *ut omnes unum sint*, omnesque *idipsum dicant perfecti in eodem sensu eademque sententia*. Fides itaque non est aliquid privatum et mere

(1) Rom. X. 14.

internum, sed aliquid sociale, externum et publicum ab authentico magisterio determinatum et stabilitum, quod proinde fideles formatum inveniant cuique sese subjiciant, ut possint ad veram Christi Ecclesiam pertinere (1). Tandem 3° ipsi Reformatores suis gestis totaque sua historia luculentissime demonstrarunt, hanc immediatam revelationem tamquam ordinarium singulorum charisma ita efficax, ut ad fidei universalitatem ac unitatem authenticum magisterium non sit necessarium, non esse nisi commentum. Sane vigent inter istos homines inspiratos diversissimæ invicemque adversantes sententiæ quoad gravissima christianæ doctrinæ capita. Et nominatim quod spectat ad doctrinam de libris sacris, nullum aliud est dogma, in quo melius perspicitur hæresiarchas solummodo præjudiciis et spiritu mendacii agi ac manuduci. Idem nempe triste spectaculum, quo prisci hæretici Marcionitæ, Gnostici et Manichæi aliique Ecclesiam desolabantur, nostris diebus videre est apud Protestantes. Hi nempe in suo e paterna domo Ecclesiæ discessu, libros quos habet Ecclesia catholica secum asportarunt, sed brevi, facta etiam hac in re selectione, libros qui suis placitis adversari videbantur, turpiter rejecerunt; circa alios vero inconstantes et dubii fluctuarunt, modo eos retinentes, modo eos repudiantes (2). Eccur loquor de hæreticis? Nonne intra ipsos fines Ecclesiæ dubitatio aliquando incidit de aliquot Vet. et Novi Testamenti libris et aliqua semper exstitit hæsitatio, usquedum Ecclesia solemni judicio dissipavit tenebras, quæ constantem et unanimem apostolicam Traditionem apud nonnullos quibusdam in locis obnubilaverant (3). Dicendumne igitur erit, Spiritum Sanctum diversa diversis revelare, vel ita obscure loqui, ut non sit omnino apertum,

(1) Vide hæc data opera explanata ap. Palmieri. *Tr. de Rom. Pont.* et Franzelin. *Tr. de Div. Traditione.*

(2) Cfr. Perrone. *De locis Theologicis*, p. II, cap. I, prop. II; Janssens. in *Herm. sacra*, tom. I, cap. I, § 5. Bonfrerius. *Prælog. in totam Sacram Scripturam*, cap. IV, sect. I.

(3) V. de hac re Em. Franzelin, Illust. Lamy, Ubaldi, Perrone aliosque ubi ex professo tractant de canone librorum sacrorum.

quosnam libros tamquam sacros designet? Illud prius vel cogitare, impia est blasphemia, posterius vero est absurdum, quia in hoc casu alia rursum revelatio esset necessaria ad priorem declarandam et ita in indefinitum procederetur.

ART. II. TESTIMONIUM DIVINUM NON SUFFICIENTER SERVATUM FUIT TRADITIONE HUMANA.

Quoniam ex una parte jam constat factum inspirationis alicujus libri Sacræ Scripturæ haud innotescere posse, ita ut fide divina teneatur, nisi testimonio divino, ex altera vero parte ex modo disceptatis consequitur et cum plerisque christianis tenendum omnino est, revelationem completam esse per Christum et per Spiritum S. in Apostolis, adeo ut post horum discessum nulla amplius facta vel præstolanda sit nova et publica revelatio, illud testimonium seu illa revelatio de Scripturarum inspiratione non subsequenti demum Ecclesiæ ætate tradi potuit, sed inde a Christo ejusque legatis ad nos usque pervenire debuit (1). Quæritur nunc an sola traditione humana et historica illud testimonium ad nos usque propagari ac conservari potuerit, ita ut sufficienter nobis applicetur.

I. Jamvero, distincta testificatione infallibili ab historice certa, concedimus per se loquendo certo constare posse de inspiratione alicujus libri ex testimonio humano et traditione historica. Etenim, quamvis factum inspirationis sit supernaturale et per se occultum, illud nihilominus innotescere potest vel ipsi scriptori inspirato vel etiam aliis per immediatam Dei revelationem. Non est autem cur negemus abso-

(1) Hinc infertur nullum nunc dari posse librum qui pro Ecclesia inspiratus sit, quin hujus inspirationis jam inde ab ætate apostolica exstet publicum testimonium divinum. Sub Vet. autem Testamento poterant per se loquendo exstare libri, de quorum inspiratione ex divina testificatione non constaret ante revelationem christianam, siquidem hæc œconomia imperfectionis adhuc complenda et explicanda erat per novas revelationes. Cfr. Em. Franzelin, *Tr. de Scripturis*, Th. VII, coll *Tr. de Traditione*, Th. XXV.

lute fieri posse, ut alii illud factum *certo* resciant, sive immediate ab ipso qui revelationem nactus est, vel mediate ex serie testium. Enimvero in primo testante adesse possunt tum singularis morum integritas, tum sufficiens intellectus capacitas, abesse vero fundata suspicio fraudis, commodi temporalis aut inanis præjudicii; qua profecto in hypothesi nonnisi immerito ac injuriose fides humana eidem denegaretur. Quod attinet ad cognitionem mediatam seu derivatam a primo testante, dari pariter potest series testium, qui ornati sint characteribus, quibus sibi fidem humanam vindicent. Ast vero, licet illud absolute impossibile non sit, ambigendum tamen non est, illam testificationem humanam nonnisi rarissime et difficillime talis esse ponderis posse, ut ob illam solam firmum assensum veritati inspirationis alicujus libri præbeamus. Illud tunc præsertim verum esset, ubi testis, qui ex immediata Dei revelatione loqueretur, unicus esset, quia fere semper suspicio aliqua oboriri posset fraudis, deceptionis aut hallucinationis, potissimum ubi a primo testante jam plurium annorum intervallis separaremur, quia in serie testium continuo augerentur rationes dubitandi de supradictorum defectuum absentia.

Quidquid vero sit de possibilitate hujus modi servandi et propagandi divinam testificationem circa divinam alicujus libri originem, animadvertimus illam testificationem humanam seu traditionem historicam minime per se sufficere tamquam fundamentum assensus supernaturalis fidei divinæ. Hæc enim propagationis ratio ad summum pareret certitudinem humanam de existentia testimonii divini, numquam autem haberetur certitudo infallibilis, quæ necessaria est, ut non humana et fallibili, sed divina fide credantur tamquam verbum Dei ea quæ in Scripturis continentur. Sicut namque, ut supra ostendimus, testimonium mere humanum, si datur, de divina alicujus libri origine insufficiens est, ut quis fide divina huic veritati assentiat, quia hic assensus ultimatim niteretur auctoritate humana, ita pariter si ob solam auctoritatem humanam et fallibilem assentiremur existentiæ divini testimonii de tali libri alicujus prærogativa,

numquam assentiri vel inhærere possemus supernaturali firmitate existentiæ hujus locutionis divinæ, neque consequenter ipsi veritati inspirationis. Etiamsi enim quis diceret se credere hunc librum esse divinitus inspiratum, quia humana testificatione cognoscit Deum hujus libri divinam originem revelasse, atque ideo se credere hunc librum esse divinitus inspiratum, quia tamen hoc ipsum, Deum revelasse hujus libri divinam prærogativam, non aliunde novit, nisi ope testimonii humani et fallibilis, evidens est ultimum hujus fidei fundamentum fore auctoritatem mere humanam.

Denique notatum volumus *de facto* frustra a quibusdam, qui velis nolis a necessitate Traditionis divinæ in sensu catholico sese subducere moliuntur, recurri ad traditionem mere humanam. Confingunt nempe isti, scriptores hagiographos ex divina revelatione notitiam certam et infallibilem habuisse se sub divina inspiratione libros suos conscripsisse, hanc notitiam de divina horum origine ad alios propagasse ac istam porro humana solum traditione pure atque integre ad nos usque pervenisse. Hisce vero præter jam dicta reponimus; nequidem ad certitudinem humanam gignendam sufficientem esse *pro toto complexu* librorum sacrorum hanc traditionem mere historicam, qua nobis applicaretur divinum illud testimonium. Non enim in hac re satis est major vel minor probabilitas qua omne dubium non excluditur; agitur enim de re maximi momenti, cujusmodi est verbum Dei a puro verbo hominum tuto discernere. Nec dicant in antiquitatis documentis illud testimonium primi testantis illibate fuisse servatum : qui enim Ecclesiæ catholicæ auctoritatem rejiciunt et unice criteriis humanis nituntur, in eodem ferme censu habere debent antiquitatis documenta, quæ ab hæreticis, et quæ a catholicis auctoribus promanant. At vero nemo nescit priscos hæreticos Ebionitas, Cerinthianos, Gnosticos, Marcionitas plures libros Scripturarum Deo abjudicasse. Præterea controversiæ, quæ olim intra fines Ecclesiæ inciderunt de Scripturarum canone, sunt veluti nebulæ quibus traditio illa humana plus minusve obscuratur. Ad hæc satis difficile ex illis monumentis histo-

ricis omnimoda certitudine constare potest de perfecta integritate et identitate apographorum vel de fidelitate versionum, quas præ manibus habemus. Difficultates enim hac in re non paucæ occurrunt, quæ nonnisi auctoritate infallibili Ecclesiæ efficaci exitu possunt removeri et quæ adhuc longe majores essent, nisi ab initio ipsa Ecclesia, sive suo usu, sive authentica declaratione, directe pro suis membris et indirecte pro hæreticis integritatem textuum posteriorum et fidelitatem versionum declarasset. Ut ergo nunc omittamus, statuto hoc criterio manifesto destrui dogma fundamentale protestantium de exclusione omnis auctoritatis extrinsecæ et de judicio privato ceu regula fidei, merito dici potest historicis illis documentis ipsam plenam auctoritatem, integritatem et identitatem omnium librorum et partium librorum Scripturæ non solum non infallibiliter, sed ne certitudine quidem historica atque scientifica, quantum res ipsa postulat, innotescere posse.

Quodsi vero ulterius quæras, utrum humana solum traditio non sufficeret ad quorumdam saltem librorum inspirationem fide divina amplectendum, si prima promulgatio locutionis et testificationis divinæ confirmata atque obsignata esset miraculis, prodigiis aliisque motivis credibilitatis a Deo ipso positis, quæ ex gr. in monumentis evidenter genuinis et veracibus consignata haberentur, huic quæstioni nunc statim respondendi locus erit.

ART. III. UTRUM IN IPSIS SACRIS LITTERIS REPERIATUR SUFFICIENS TESTIMONIUM DIVINUM DE EARUM INSPIRATIONE.

Duplex hic solvenda quæstio sese offert. Imprimis utrum nempe in ipsis sacris litteris reperiantur testimonia, quibus aliquot saltem librorum divina inspiratio adstruatur vel sufficienter indicetur, adeo ut ex iis evinci possit scriptores v. g. librorum Nov. Test. omnes vel saltem aliquos libros Vet. Test. habuisse ceu divinos, vel etiam ut in disciplina apologetica contra eos, qui librorum Nov. Test. veracitatem

vel divinam auctoritatem (v. g. propter Apostolorum infallibilitatem) admittunt, librorum Vet. Test. *θεοπνευστια* demonstrari queat. Deinde quæritur utrum, si quod testimonium divinum de Scripturarum inspiratione in his ipsis consignatum reperiatur, illud adhiberi possit ad illud dogma probandum certitudine fidei divinæ etiam contra incredulos, quin incurratur in vitium petitionis principii. Aliis verbis quæritur utrum quis, præcisione facta a Traditione authentica sensu catholico intellecta, ex illis Scripturarum testimoniis certitudine supernaturali cognoscere et fide divina (adjuvante utique gratia) credere possit divinam librorum inspirationem, quin necessario jam prævie supponat illos libros esse divinitus inspiratos.

I. Priori quæstioni respondemus in sacris libris Nov. Test. profecto reperiri testimonia, in quibus tum Scripturarum *in genere* sumptarum, tum *speciatim* aliquot librorum divina origo adstruitur vel supponitur; non tamen ex eis evinci posse divinam originem omnium et singulorum librorum, quos catholici vel etiam protestantes in suo canone habent. Ut illud assertum paucis evolvamus, animadvertimus iis, quæ in Scripturis reperiuntur, vel *indirecte et implicite*, vel *directe et explicite* Bibliorum *θεοπνευστιαν* significari. *Indirecte* quidem et *implicite*, quatenus ex Scripturis constat Christum et Apostolos frequenter Scripturas agnovisse et adhibuisse ceu ipsum Dei verbum. Hujusmodi argumentum sumitur potissimum ex fide Judæorum in divinitatem sacrorum librorum illiusque diserta approbatione et confirmatione Christi Domini. Videlicet ex Scriptura Sacra necnon ex historia profana discimus Judæos nonnullos Vet. Test. libros ceu sacros ac divinitus inspiratos quovis tempore esse veneratos; porro in scriptis apostolicis comperimus Christum et Apostolos hanc fidem non solum non reprobasse, sed imo multiplici ratione confirmasse. *Directe* vero Scriptura illud dogma adstruit, quatenus diserta et explicita continet testimonia, quibus hæc divina prærogativa sacris libris adscribitur. Illorum præcipua sunt II Tim. III, 15, 16 et II Petri I, 20, 21, coll. ibid. III, 16. Sufficiet hæc testi-

monia, quæ ex Scripturis depromuntur, hic loci solummodo indicasse, ea porro in sequenti sectione adhibebimus et enucleabimus.

Quod vero attinet ad eorum valorem extensivum, hæc teneas : illis quidem affirmari divinitatem Scripturarum generatim et universim sumptarum, non vero omnium et singulorum, quos catholici venerantur, imo etiam quos protestantes retinuerunt, librorum stabiliri posse. Quod enim spectat argumentum indirectum desumptum ex fide Judæorum, ex eo hoc unum conficitur, universam Scripturam tempore Christi a synagoga admissam confirmari et proponi veluti inspiratam testimonio Christi ipsius et Apostolorum in scriptis apostolicis conservato; at facile patet totum hoc argumentum esse dumtaxat *affirmans* libros a Judæis tunc temporis receptos, quosque nunc protocanicos Vet. Test. compellamus, esse certo propositos ut Scripturam inspiratam; non vero *excludens*, ac si non alii forent etiam in Vet. Test. divinitus inspirati, de quorum divina origine aliunde constare potest. Idem etiam dicendum de citationibus, quæ in scriptis apostolicis occurrunt ex libris Vet. Test., quod abunde claret ex eo, quod nequidem in Nov. Test. disertæ citationes omnium librorum protocanicorum Vet. Test. reperiantur (1). Similiter verba S. Pauli alloquentis Timotheum, ex matre Judæa oriundum, non præbent testimonium nisi pro inspiratione totius collectionis librorum, qui ea ætate a Judæis agnoscebantur velut pertinentes ad canonem Scripturarum, nullatenus autem valent pro aliis libris, qui nondum erant conscripti vel qui, licet jam exstantes, a Judæis haud recipiebantur. Tandem insufficiens est testimonium S. Petri (II Pet. III, 16), quo solum Epistolæ S. Pauli jam tum evulgatæ (scilicet vel plane omnes vel omnes una II Tim. excepta) testimonio legati divini Bibliis annumerantur et consequentur declarantur inspiratæ. Verum hoc oraculo alios Nov. Test. libros etiam accenseri Scripturis,

(1) Numquam citantur libri Judicum, Ecclesiastis, Canticum, Estheris, duo Esdræ.

suaderi nequit, imo eos omnes accenseri non potuisse plane evidens est, cum plures necdum scripti tunc temporis essent (1). In solis igitur Scripturis non consignatum reperitur testimonium divinum, quod determinate designet, quinam omnes et soli ceu divinitus inspirati sint habendi.

II. Ut jam modo alteri quæstioni respondeamus, absolute negare non audemus divinum testimonium in Scripturis conservatum alicui ita applicari posse ut, seclusa Traditione catholica sumpta formaliter ut divina, sufficiens præbeat fundamentum, ut cum adjutorio gratiæ actu supernaturalis fidei divinæ amplectatur inspirationem aliquot saltem librorum Scripturæ. Sane probatio genuinitatis et integritatis aliquot librorum N.T. institui potet ex historica traditione, imo relate ad nonnullos libros, quales certo sunt Evangelia et Pauli epistolæ, ipsa hæc demonstratio historica et critica evidens reddi potest. Porro, probata horum librorum genuinitate, jam pariter constabit de eorum veracitate, saltem quoad præcipua quæque, ac proin ex hac consequitur divinitas Christi, ejusque doctrinæ ac promissionum, quæ in Evangeliis leguntur. Ex hac denique divinitate doctrinæ et promissionum Christi infertur, saltem quoad rei summam, divinitas doctrinæ Apostolorum in eorum scriptis consignatæ. Quando itaque tum in Evangeliis, tum in epistolis Apostolorum, non semel sed pluries, modo implicite ac velut actu exercito, modo disertis verbis seu actu signato a Christo ejusque authenticis legatis significatur aliquot librorum divina origo per θεοπνευστιαν, illud testimonium, quatenus inibi consideratur formaliter ut miraculis Christi conjunctum eisque veluti insignitum, sese exhibet intellectui tamquam locutionem certo divinam atque ipsam veritatem proponit ceu evidenter credibilem.

Quum porro historica pariter evidentia constet libros, quos Judæi adhucdum in suo canone habent, tempore Christi et Apostolorum in canone synagogæ exstitisse, evidens est

(1) Petrus hanc epistolam scripsit paulo ante suum martyrium anno 66 vel 67 æræ vulgaris, dum Joannis scripta, nempe Evangelium, Epistolæ et Apocalypsis nonnisi viginti annis post prodierint.

illam testificationem divinam hosce libros pro objecto habere eorumque divinam inspirationem portendere. Itaque ex testimonio divino in apostolicis scriptis conservato, etiam præcisione facta a Traditione catholica, constare alicui potest de divina origine aliquot librorum V. T. eorumque inspiratio divina fide, accedente gratia, credi potest.

Verumtamen sedulo hic notetur, hanc ipsam demonstrationem sacrarum Scripturarum ex divina testificatione, prout continetur in scriptis apostolicis 1° *non esse omnibus accommodatam*, quia illud examen characterum genuinitatis, veracitatis divinitatisque librorum non est in facultate eorum omnium, qui credere tenentur; imo major eorum pars nequidem idonea est tali demonstrationi ab aliis institutæ sufficienter percipiendæ; deinde 2° neque *valere pro omnibus adjunctis ad peremptorie et ad omnium captum dirimendas controversias*, quæ in hac re suboriri possunt; neque 3° suppetere testimonium, quod, ut jam diximus, valeat *pro omnibus libris*, qui sive in canone catholico continentur, sive etiam a protestantibus retenti fuere, multoque minus *pro singulis librorum partibus et textibus*, qui ab omnibus tamen credendi sunt hac prærogativa inspirationis insignes. Quamvis igitur ex scriptis apostolicis aliquorum librorum divina origo probari queat ab iis, qui demonstrationi capiendæ sint idonei, quique doctrinam apostolicam ut divinam sive admittant sive ob motiva credibilitatis accipiant, illud tamen dogma inspirationis sufficienti certitudine et modo omnibus accommodato, qui unitati fidei in catholicitate servandæ aptus sit, innotescere nequit nisi ex authentica Traditione sensu catholico intellecta (1).

Corollarium. Quando in mox instituenda demonstratione dogmatis divinæ inspirationis, recurrimus ad testimonia consignata in scriptis apostolicis, hæc non assumimus velut libros divinitus inspiratos, verum dumtaxat tamquam documenta genuina Apostolorum quibus tribuuntur : ex hoc enim ipso veracitas et divinitas doctrinæ in plerisque satis constat.

(1) Cfr. Franzelin. *Tr. de Script.* th. VII, coll. *Tr. de Tradit.* th. XXI.

ART. IV. IN SOLA DIVINA TRADITIONE CATHOLICA CONSERVATUR INTEGRUM ET COMPLETUM TESTIMONIUM DE BIBLIORUM INSPIRATIONE.

Quod hic dicimus non est nisi consectarium eorum, quæ in præcedenti articulo enucleata fuere. Scientifica nimirum illa demonstratio ex solis Scripturis desumpta pertinensque præcipue ad disciplinam apologeticam sine dubio confert, imo hypothetice necessaria est ad defensionem fidei; ast certo non est œconomia a Christo immediate instituta ad fidem integram et nominatim ad doctrinam de existentia et natura instrumentorum fidei, quoad omnes suas partes, pro omnibus, pro quavis conditione, tuto et sine errandi periculo conservandam. Hunc namque in finem Christus instituit in Apostolis eorumque legitimis successoribus magisterium authenticum, sub promissa tutela et assistentia Spiritus S. infallibile, cui tradidit doctrinam revelatam et nominatim revelationem de sacrorum librorum inspiratione conservandam ac declarandam : illud porro in continua successione consideratum est ipsa divina et catholica Traditio. Hæc itaque active et formaliter spectata nil aliud est quam continua testificatio per manus tradita, et infallibilis custoditio sub assistentia divina veritatum revelatarum, tum in membris Ecclesiæ, tum præcipue in authenticis fidei magistris. Igitur quando dicimus in sola hac Traditione catholica sufficiens, certissimum et universale criterium divinæ inspirationis Scripturarum omnium et singularum reperiri, significamus illud dogma primitus a Christo vel a Spiritu S. in Apostolis fuisse integre revelatum, hancque porro revelationem divinumque testimonium non fuisse in scriptis apostolicis consignatum, sed solum Traditione fuisse conservatum et propagatum in Ecclesia, quæ illud purum et integrum sub assistentia Spiritus S. servat nobisque singulis authentico suo magisterio juridice et infallibiliter applicat (1).

(1) Hac ratione testatur S. Hier. *De scriptor Ecclesiast.* S. Petrum

Ecclesia ergo testimonium reddit de inspiratione et de divina auctoritate omnium et singulorum librorum Sacræ Scripturæ, ac nonnisi dependenter ab hac testificatione hi libri, in sua universalitate considerati, divinam auctoritatem quoad nos habent et authenticam regulam fidei constituunt. Scriptura itaque pro catholicis est verus thesaurus a Domino in Ecclesia depositus, pro protestantibus vero qui omnem externam autoritatem respuunt, est potius *bonum derelictum*, cujus valor intrinsecus incognitus manet et quo uti nemini tuto licet. Nec dicant in sententia catholicorum Scripturarum dignitatem plus æquo deprimi, dum ab extrinseco testimonium suæ auctoritatis necessario mutuare debeant : illa enim Ecclesiæ testificatio non confert intrinsecum valorem Scripturis, quem ex sua origine habent, sed cum non constet nobis eas esse a Deo, neque pateat, an hi aut illi codices pro divinis habendi sint, oportet ut authentico magisterio divinitus instituto declaretur tam divina inspiratio librorum sacrorum, quam eorum numerus. Hac autem testificatione extrinseca dumtaxat eis conciliatur valor, ab ipsa sua origine eis proprius.

Hanc relationem Scripturæ ad aliud extrinsecum magisterium, quod est Ecclesia seu successio legatorum Dei, optime intellexerunt et vindicarunt prisci Ecclesiæ Patres ; inde celebre illud dictum S. Augustini : « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas »; et ibidem loquens de Actibus Apostolorum ait : « Cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio : quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas » (1). Ea semper viguit consuetudo ut,

Evangelium S. Marci probasse ejusque divinam auctoritatem promulgasse : « Quod cum Petrus audisset, et probavit et Ecclesiis legendum sua auctoritate dedit. » — Pariter Conc. Vat. postquam definivit libros Scripturæ ideo esse sacros quod « Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem », statim subjungit : « *atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt.* »

(1) Lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 5. Videsis de hoc Augustini effato Serrarium. *Proleg. Biblic.* cap. VII, quæst. 6, ubi sensum ab Augustino intentum tuetur, necnon tenebras dissipat, quas varii hæretici huic claro testimonio offundunt.

quando inter eos qui christiani esse aut videri vellent, incideret de libris divinis quæstio, utrum hic vel ille esset divinus, ad Ecclesiæ judicium vel sensum traditionalem continuo provocarent (1). Ipsi Reformatores optime persenserunt, Scripturam per se solam non posse sibi divinitatem sufficienti amplitudine et universalitate tribuere, seu divinam suam originem modo sufficienti probare et consequenter ad aliam fidei regulam esse recurrendum. Hinc alii recurrerunt ad alia criteria, quibus nullum valorem probativum inesse supra demonstravimus.

Evidens igitur est doctrinam catholicam de existentia alterius fontis revelationis seu magisterii divinitus instituti non solum probari disertis testimoniis ex ipsis Scripturis desumptis, et etiam speciatim ipsa necessitate authentici custodis et interpretis Sacrarum Scripturarum, sed etiam luculenter confirmari ex hac particulari quæstione de divina Scripturarum origine; probatum cum sit de inspiratione omnium quos etiam protestantes retinuerunt librorum, certitudine fidei constare non posse nisi testimonio divino *sola Traditione* conservato.

(1) Iren. l. III, capp. 1 et 4; Origenes ap. Euseb. lib. VI, cap. 25; S. Cyr. Hier. In *Catech.* 4; S. Aug. *Contra Faust.* l. XIII, cap. 4, l. XVIII, c. 7; l. XXII, c. 29.

SECTIO SECUNDA.

De facto Inspirationis Sacrarum Scripturarum.

Assignatis jam fontibus, ex quibus argumenta petenda sint ad ea, quæ ad Bibliorum inspirationem spectant, stabilienda, imprimis ipsam existentiam librorum inspiratorum vindicandam assumimus. Quo autem lucidius jam in antecessum præ oculis habeatur, quid nobis ex Scripturæ oraculis necnon ex Traditionis monumentis evincendum sit, non abs re erit enarrationem præmittere eorum, quæ recentiori ætate Ecclesia catholica, quæ testis est et magistra fidei ac sola divinæ Traditionis depositum habet, solemni suo judicio in tribus consequenter Conciliis, quoad hoc dogma definivit ac porro declaravit. Prius tamen quam eo transeamus, brevem tradimus notitiam historicam hæreseon, quæ in decursu ætatum hoc dogma impugnarunt, cum ut tractatio nostra sit completa, tum ut pateat illud nonnisi recentioribus temporibus agminatim fuisse impetitum vel etiam negatum.

CAPUT I.

BREVIS HISTORIA HUJUS DOGMATIS.

Sacrorum librorum divina origo per inspiratam scriptionem unum est ex illis fidei dogmatibus, quæ primis christianismi sæculis in tranquilla et pacifica fuere Ecclesiæ professione. Sicut Judæi sub synagoga, ita christiani doctores omnesque fideles Scripturæ libros ceu divinos usque venerati sunt; imo plerique hæretici ad sua nova placita stabilienda nil satius antiquiusve habuerunt, quam ut ea ex Scripturæ oraculis tamquam ex irrefragabili Dei verbo, demonstrare molirentur. Inde illud contigit, ut penes Patres

Ecclesiæ, dum amplissimos tractatus conscripserunt de aliis primariis fidei christianæ veritatibus, puta de Divinitate Christi Domini, de Trinitate Personarum, de unitate Personæ in Christo, nonnisi paucissima de hoc dogmate, multo minus de intestina ejus ratione, tractata inveniuntur. Siquando communem fidem identidem apertius declarare vehementiusque inculcare sunt coacti, plerumque non tam directe dimicabant adversus hæreticos, qui divinam Scripturarum originem universim impugnarent, quam potius contra eos, qui falsis suis principiis innixi alicui speciali libro vel parti librorum canonicam auctoritatem abjudicarent. Tales porro hæreticos non defuisse priscis Ecclesiæ sæculis ex historia Ecclesiastica novimus. Ita libros sacros Vet. Test., veluti a principio malo originem ducentes, repudiabant Basilidiani, Simoniani, Marcionitæ (1), et imprimis Manichæi (2). Ebionitæ e contra Epistolas S. Pauli, et alii alios libros Nov. Test. ut profanos ac Deo indignos rejiciebant. Aëtiani verum et Anomæi, ne ex Scripturis revincerentur, docebant sacros scriptores in multis ut homines esse locutos. Mox tamen isti errores in oblivionem abierunt et, nisi excipiatur controversia illa minoris momenti, quæ viguit sæculo nono inter Agobardum Lugdunensem et Fredegisum abbatem, circa extensionem inspirationis etiam ad singula verba, publice de hoc dogmate agitata non est quæstio usque ad tempora Pseudoreformationis.

Inde ab hac ætate tum inter catholicos, tum inter protestantes variæ exortæ sunt controversiæ circa doctrinam de Scripturarum inspiratione. Inter catholicos quidem semper admissa est inspiratio Scripturarum, ast diversæ sententiæ a nonnullis prolatæ fuere, ab aliisque impugnatæ, circa ejus naturam et limites, de quibus infra dicendi erit locus. Apud Protestantes vero, diversæ illæ sectæ sub initia reformationis concordes erant in rejicienda Traditione Ecclesiastica et in admittenda Scriptura ceu divinitus inspirata. Conjunctis nempe viribus illam deprimebant explodebantque,

(1) Ap. Iren. l. I, c.c. 20, 22, 29. (2) Ap. Epiph. Hær. 66.

hanc autem, modo antea inaudito efferebant, et quidem adeo strictissimum ejus conceptum tuebantur, ut non modo sententias et stylum, sed singula quæque verba minimosque apices a Spiritu Sancto repeterent. Illa exaggerata veneratio perduravit usque ad initia sæculi decimi octavi. Simul ac enim post bella usque ad illud tempus contra catholicos indesinenter gesta, tranquillam tandem existentiam erant nacti, amplius pullulare cœperunt illa germina mortis, quæ in suo sinu Pseudoreformatio gerebat. Excusso namque suavi jugo Ecclesiæ, superba eorum ratio omnis auctoritatis impatiens, audacter ab ipsis Bibliis rationem suæ auctoritatis expostulare occepit, seque ab ejus jugo adhuc molestiori expedire est conata. Protestantes videlicet antehac solo Lutheri Calvinique testimonio innixi, investigare jamjam sunt ausi, undenam et illi ipsi Scripturarum divinam originem infallibilemque auctoritatem tenerent. Jam tum liberiorum quorumdam criticorum argumentis pedetentim labefactata fides Protestantium et in hac re cœpit titubare. Plures ex eorum doctoribus in Anglia, Gallia et Germania, qui, vi dogmatis fundamentalis de judicio privato tamquam unica et suprema fidei regula, rationalismo nomen dederant, indirecte jam dogma inspirationis, pluribus operibus in lucem editis, impugnabant. Verum mox directe eam impetierunt Samuel Raymarus in opere, quod post ejus mortem sub nomine *Fragmentorum Wolfenbüttel* editum est a Lessing, annis 1774 et seqq., tum Tölner in suo opere de *Inspiratione Sacræ Scripturæ*, a. 1772 et Semler in suo *Examine canonis* a. 1771-1773 (1). Sub idem tempus plures e castris protestantium in Germania exorti sunt, qui sub nomine Arminianorum, Socinianorum vel Unitariorum, rationalismum aut deismum profitentes, omnem inspirationem, quinimo omnem divinam revelationem veluti impossibilem e medio sustulerunt. Alii vero, rationalismo non ita addicti, inspirationem Scripturæ nominetenus dumtaxat servarunt, ejusque

(1) Cfr., sis. Vigouroux. *La Bible et les découvertes modernes*, T. 1. *Esquisse de l'histoire du rationalisme biblique;* Ubaldi, T. II, cap. II, a. I.

divinitatem eo solum sensu defenderunt, quod ipsa veritates a Deo revelatas contineat. Qui vero inter eos Bibliorum inspirationem secundum priscum conceptum genuinum, quamvis exaggeratum, adhucdum credunt, sunt relative admodum pauci et inter illos *orthodoxi* audiunt.

In Anglia eadem ratione illud dogma supremam pene cladem subiit. Paley, in suo op. *Evidences of Christianity*, asserit haud admittendam inspirationem librorum Vet. Test. nisi iis in locis, quibus Christus diserte divinam originem tribuit. Chillingworth animadvertens, neque ex Bibliis ipsis, neque aliunde constare inspirationem posse, concludit Biblia non esse objectum fidei, posseque obtineri salutem, quamvis non credatur in ipsis haberi verbum Dei. Imo, ut neotericos rationalistas biblicos, ut aiunt, omittam, qui modo unum, modo alterum, modo omnes sacros libros rejiciunt, illud solum addiderim, in ipsa hierarchia anglica Episcopum Colenso, nescio quem christianorum secutum, paucis abhinc annis librorum historicorum Vet. Test. non solum inspirationem divinam, sed ipsam historicam veracitatem audacter pernegasse : ipsum nihilominus sedem suam episcopalem Natal in Africa meridionali servasse, haud sine scandalo omnes didicerunt. En jam quousque Protestantes, rejecta Ecclesiæ auctoritate, devenerint. Verum quidem est, protestantes orthodoxos ab hujusmodi excessibus abhorrere, ast, sublato Traditionis fulcro, ruenti ædificio nullum efficax columen adferre valent, destituti quippe omni ecclesiastica potestate et magisterio infallibili, quo primitiva doctrina et conservatur et declaratur, et obortæ controversiæ dirimuntur.

CAPUT II.

DEMONSTRATUR FACTUM INSPIRATIONIS SCRIPTURARUM.

ART. I. PRÆMITTITUR DOCTRINA ECCLESIÆ SOLEMNI JUDICIO DEFINITA.

Ecclesia semper publica professione et quotidiana praxi agnovit et vindicavit sacris Litteris divinam auctoritatem,

non autem qualicumque de causa, sed propter specialem earum originem a Spiritu Sancto. Hanc autem doctrinam usque expressit hac vel æquivalenti formula : *Deus est auctor librorum Sacræ Scripturæ*. Quo autem disertius excluderet erroneas peregrinasve opiniones hic illic invalescentes, successu temporum hanc formulam magis declarandam expoliendamque duxit. Ut autem pateat Ecclesiam Romanam doctrinam suam nullatenus mutasse inde a tempore reformationis, adducimus præter duo posteriora Concilia œcumenica etiam definitionem Concilii Florentini, quod ante illam ætatem celebratum fuit.

Itaque 1° Concilium Florentinum sequentibus verbis proponit doctrinam Ecclesiæ circa Bibliorum inspirationem in decreto Eug. IV *Cantate Domino* pro Jacobitis : « *Unum atque eumdem Deum Vet. ac Nov. Testamenti*, hoc est : *Legis, Prophetarum ac Evangelii profitetur* (Ecclesia) *auctorem :* quoniam eodem *Spiritu Sancto inspirante* utriusque Testamenti Sancti locuti sunt : quorum libros suscipit et veneratur », etc. Jamvero illud incisum : *Deum esse auctorem V. et N. Test.*, hic indicare Deum auctorem *librorum* utriusque fœderis est manifestum, *a*) ex adjecta explicatione : auctor Legis, Prophetarum atque Evangelii, quæ solemnem exprimit distributionem librorum sacrorum, et quæ præterea alium sensum haud patitur. Istud præsertim evidens est ex secundo membro « *auctor Prophetarum* », quandoquidem Deus *speciali illa ratione* auctor Prophetarum dici nequeat, nisi inquantum sunt formaliter Prophetæ seu inquantum Deus est auctor vaticiniorum, ab ipsis ore prolatorum vel scripto consignatorum. Dein *b*) illud ostendunt verba sequentia, quibus nempe Synodus explicat, quomodo Deus sit auctor legis, quia, dicit, « eodem Spiritu Sancto inspirante utriusque Testamenti Sancti locuti sunt »; atqui hæc formula desumpta ex II Petri 1, 20 intelligi *potest* de locutione ore vel scripto edita, et quidem illam intelligi his *debere* de locutione per scriptum, patet ex contextu et nominatim ex verbis immediate sequentibus : « quorum *libros* suscipit et veneratur ». Ratio nempe, cur Synodus illos *libros* suscipiat, est quod utriusque Testamenti auctor sit Deus.

2° Patres Tridentini professionem fidei Concilii Florentini renovantes, gemina habent verba in suo decreto *de canonicis Scripturis*, sess. IV : « Omnes libros, aiunt, tam V. quam N. Testamenti, *cum utriusque unus Deus sit auctor*, necnon Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, vel *a Spiritu Sancto dictatas*... pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur » Tridentina synodus. Porro illud « *cum utriusque unus Deus sit auctor* » rursus hic intelligendum esse de Deo causa efficiente librorum, multiplici ratione probatur. Etenim *a*) synodus Tridentina renovare voluit Decretum Florentinum, ut constat ex illius historia (1). Patet *b*) ex contextu illud incisum rationem reddere, cur libri utriusque Testamenti *pari* pietatis affectu et reverentia suscipiantur ac Traditiones. Siquidem vero Traditionibus mox agnoscitur origo divina, quippe *a Christo vel a Spiritu Sancto dictatis*, eadem dignitas seu origo Scripturis adscribitur. Hoc igitur incisum in isto contextu, extra quem posset utique protendi ad universa instituta utriusque Testamenti, supponit dumtaxat pro libris, quorum itaque auctorem seu causam efficientem enuntiat esse Deum. Confirmatur *c*) ex verbis Concilii in ejusdem decreti initio, ubi dicit Evangelium fuisse « *promissum ante per prophetas in Scripturis Sanctis* » : quæ verba commode alio sensu intelligi nequeunt, nisi quod Scripturarum auctores in ipsa scriptione *prophetaverint* seu fuerint divinitus inspirati.

Præterea in hoc decreto alius subindicatur et sancitur terminus veluti technicus, tam ante, quam post hujus synodi ætatem sæpenumero usurpatus, ad dignitatem et divinam originem Scripturarum enuntiandam : videlicet *eas fuisse a Spiritu Sancto dictatas*. Nimirum hæ phrases : « *Spiritu Sancto dictante, a Spiritu Sancto dictatas* » quæ in hoc decreto occurrunt, grammatice quidem ad solas Traditiones, quæ a Christo vel Apostolis promanarunt, refertur, logice tamen et realiter etiam ad Scripturas pertinere manifestum est. Illud oppido

(1) V. Pallavicini. *Hist. Conc. Trid.* l. VI, c. XI, nn. 11-15.

evincitur, tum ex objecto primario hujus decreti, quod sane sunt canonicæ Scripturæ, ut elucet ex ejus inscriptione : *De canonicis Scripturis;* tum ex scopo, quem sibi Patres Tridentini in hoc decreto condendo præfigunt. Hi namque, teste Pallavicino (1), plane hoc spectabant, ut indicarent fontes divinæ revelationis, scilicet Traditiones et Scripturas, atque ut libros ad has vere pertinentes, authentice determinarent, quo videlicet « omnes intelligant..., quibus potissimum testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus (synodus) sit usura. » Patres nimirum Tridentini imprimis declarant, monumenta fidei catholicæ haud esse solas Scripturas, prout Novatores pertinaciter contendebant, verum non minus Traditiones, quas *pari* pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac venerandas statuunt. Hanc porro paritatem enarrant, definiendo sacras Traditiones non minus quam Scripturas habere Deum auctorem, utpote « oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto *dictatas*. » *Unicum* discrimen quod ponunt inter utrasque, illud est, quod Biblia fuerint *scripta*, Traditiones *sine scripto* fuerint « ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto *dictante*, quasi per manus traditæ ». Igitur ideo solum Tridentina synodus hanc vocem *dictante* vel *dictatas*, quæ in sensu proprio *soli* inspiratæ scriptioni quadrat, etiam in sensu translato adhibuit ad divinitatem Traditionum oralium portendendam, ut eamdem, quam Scripturis agnoscit, originem divinam, ac proin parilem auctoritatem divinis Traditionibus vindicaret. Has itaque divinitus *dictatas* esse significat directe et grammatice, illas vero indirecte, implicite ac præsuppositive. En ratio nostræ conclusionis : qui negat divinam dictationem seu inspirationem relate ad Scripturas, eo ipso destruit majorem præmissam argumentationis Tridentinæ, ex qua, mediante minore : « *pari* pietatis affectu, etc. » concludit ad divinam *dictationem* Traditionum. Quinimo ille ipse assumere debet, Patres in mente habuisse illud inauditum : Verbum Dei non

(1) Lib. VI, cap. XI, n. 4.

scriptum (Traditio) est a Spiritu S. dictatum; sed verbum Dei scriptum (Scriptura) a Spiritu S. non est dictatum. Quamvis itaque phrasis : « *a Spiritu Sancto dictatas* » spectata grammatice et avulsa a contextu, haud referatur ad Scripturas, sed solum ad Traditiones, si tamen consideratur sensus logicus et realis, quem postulant processus idearum et scopus decreti, non ad Traditiones solas, sed et ad Scripturas mediate et realiter, ac quidem in sensu proprio applicari est dicenda (1).

Tandem 3° recentissima hac nostra ætate illud dogma denuo authentice definitum et in clariori luce positum fuit per definitionem Concilii Vaticani. In Constitutione videlicet dogmatica *Dei Filius*, cap. II. loquens de libris sacris, sic fatur : « Qui quidem Veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus... pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed *propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ tradidi sunt* ». Et ibidem in canone 4° de Revelatione : « Si quis Sacræ Scripturæ libros... pro sacris et canonicis non susceperit, *aut eos divinitus inspiratos esse* negaverit; anathema sit. » Hisce verbis synodus enucleate indigitat sensum formulæ : *Deus est auctor librorum sacrorum*, quatenus illius divinæ originis modum hunc fuisse declarat, quod *Spiritu Sancto inspirante fuerint conscripti*. Enimvero hæc formula complexa : « *Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem* » in sensu composito et causali evidenter intelligenda est, ita ut sensus sit, *illos* libros *ideo* Deum habere auctorem, quod fuerint sub tali influxu concinnati. Præterea in hoc duplici Ecclesiæ oraculo bis occurrit vox *inspiratio* a Tridentino omissa : in primo quidem, sensu *activo* : « *Spiritu Sancto inspirante* », ubi indi-

(1) Cfr. Wilh. Dehm. in period.: *Der Katholik* a. 1868 December. *Zur Inspirationslehre des H. Concils von Trient.*

catur ipsa supernaturalis actio Spiritus Sancti in hominem, qua hic evehitur ac movetur ad scribenda ea, quæ vult Deus; eoque ipso sufficienter innuitur scriptores humanos sub illa actione Spiritus S. fuisse *passive inspiratos*. Dein in canone subjecto indicatur terminus mediatus illius divinæ operationis in hominem, seu terminus immediatus actionis hominis inspirati, dicunturque *libri divinitus inspirati terminative*. Itaque libri sacri declarantur divini, non modo ratione materiæ vel doctrinæ quam comprehendunt, neque ratione scriptionis, quæ quomodocumque sit divina, verum quæ divina sit sensu *positivo*, ob supernaturalem operationem Spiritus S. in hominem, vi cujus Deus vere sit atque haberi debeat auctor librorum.

Illud equidem Ecclesiæ oraculum nobis catholicis sufficiens est, ut certitudine supernaturali hanc veritatem teneamus. Ut tamen exigentiæ apologeticæ et scientificæ faciamus satis, simulque Ecclesiæ catholicæ doctrinam comprobemus, ex præstitutis argumentorum fontibus, hoc dogma divinitus esse revelatum demonstrabimus. Quod vero spectat errores, quos Vaticanum excludit, tum ea, quibus accuratius naturam et conceptum hujus charismatis definit, illa explanandi opportunior infra locus erit.

ART. II. PROPONUNTUR ARGUMENTA EX IPSIS SCRIPTURIS.

§ 1. *Argumentum indirectum desumptum ex fide et persuasione Judæorum a Christo Domino confirmata.*

Varia prostant in Scripturis momenta, in quibus earum *Θεοπνευστια* adstrui vel supponi probatur. Argumentum quod hic primo proponimus, est quidem immediate *negans*, sed *affirmanti* mediate æquipollet. Depromitur videlicet ex fide Judæorum, a Christo Domino multiplici ratione confirmata et comprobata. Ætate nempe Christi rata erat Judæorum persuasio et unanimis confessio, determinatos quosdam libros, quos ipsi sub nomine *Scripturæ* et *Scripturæ Sacræ* constanti et invicta fide custodiebant, divinitus esse in-

spiratos. Jamvero si fides illa fuisset erronea, Christus et Apostoli errorem in re gravissima, nedum comprobassent, eum sedulo notare, in eumque animadvertere haudquaquam omisissent. Judice ergo Christo recta fuit persuasio et fides Judæorum. Hæc paucis declaremus.

I. Ex monumentis historicis evidenter constat, tum ante Christum, tum tempore Christi penes Judæos in summa veneratione fuisse aliquam determinatam librorum collectionem, quibus singulis et solis unam eamdemque divinam auctoritatem tribuebant, et quos nomine Scripturæ Sacræ ab quibuslibet aliis libris profanis studiose distinguebant. Enimvero monumenta omnia quæ supersunt, testantur plures ex his libris, quos Vet. Test. Scripturas compellamus, diu ante Christum, imo inde a sua conscriptione collectos fuisse a Judæis in unum censum, cui nomen Scripturæ tribuebant. Quamvis porro nonnulli ex illis libris in *unam collectionem* convenire possent, quatenus nempe vel eumdem scopum habeant, describendi scilicet historiam populi Judaïci, vel unum veluti corpus constituant, destinatum ad usum publicum in tota vita religiosa et civili illius populi, tamen illos omnes libros non ea ratione unam collectionem effecisse, quod ejusdem speciei vel indolis haberentur, manifesto elucet ex solemni distinctione horum librorum, quæ in iis monumentis occurrit. Jam enim, auctor ille, qui tertio sæculo ante Christum Prologum scripsit ad librum Ecclesiastici, bis in eo memorat distinctionem librorum sacrorum in *legem*, *prophetas* et *alios libros* seu *cætera aliorum librorum* « qui nobis a parentibus nostris traditi sunt ». Simillima est collectionis distributio tempore Christi in *legem*, *prophetas* et *psalmos* (1). Eadem reperitur apud Philonem in *legem*, *prophetarum oracula divinitus prodita et hymnos* (2). Prolixius illam exponit Josephus, simulque docet in quanam veneratione illi libri a Judæis fuerint habiti (3). Eamdem partitio-

(1) Math. XXII, 40; Luc. XXIV, 27, 44. (2) *De Vita contemplativa*. In edit. Coloniæ Allobr. an. 1613, p. 691.

(3) « Apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo, dis-

nem librorum ad unam collectionem pertinentium offendimus in Talmude, penes Massorethas, et adhuc hodiedum in Bibliis hebraicis, dum libros Vet. Test. distribuunt in *legem*, *prophetas* et *hagiographa* : תּוֹרָה נְבִיאִים כְּתוּבִים.

Quamvis itaque sub aliquo respectu libri, qui ad hanc collectionem pertinebant, inter se distingui possent et reapse distinguerentur, nihilominus sub alia ratione unitas illius collectionis librorumque discretio ab omnibus aliis, qui non essent Sacra Scriptura, non minus manifesto in confesso erat penes Judæos. Formalis porro ratio hujus unitatis alia a synagoga haud assignatur, nisi sacra et divina horum librorum auctoritas. Hæc vero auctoritas omnibus et solis libris singulisque eorum partibus erat communis et identica, ac ipso excellentiæ nomine *Scripturæ* significabatur. Sane Philo in omnibus suis operibus continuo provocat sive ad totam librorum collectionem, sive ad determinatos libros vel textus, eosque appellat *Scripturas sacras*, *libros sacros*, *verba prophetica*, *divina eloquia*, *divina mandata*, *propheticas sententias*, *leges ex oraculis acceptas* (1). Eodem modo eos nuncupat *sacros libros* (2), *illos sacrarum Scripturarum libros* (3), *qui merito credantur divini* (4) *et quorum causa*, *si opus fuerit*, *libenter mortem perferant* (5). Similiter sub communi nomine *sacrorum librorum* recenset libros Moysi et libros Regum, dum dicit : « Verum de Elia et de Enocho, qui ante diluvium vixit, in sacris libris scriptum est, quod evanuerint, et de morte illorum nemo quidquam pro comperto habet » (6). Indubium autem est, Josephum et Philonem non suam privatam, sed communem fidem Judæo-

sentientium atque inter se pugnantium : sed duo dumtaxat et viginti libri, totius temporis historiam complectentes, qui merito creduntur divini. » τα δικαιως θεῖα πεπιστευμενα. Contra Appion. lib. I, n. 8. (Edit. Paris. 1865).

(1) V. varia ejus opera, præsertim : *De confusione linguarum*. lib. II; *De vita Moysi* ; *De nominum mutatione*.

(2) Antiq. Jud. l. III cap. 5. n. 2. (3) Contra Appion. l. II, n. 4.

(4) In textu 1°. (5) Ibid. (6) Antiq. IX, c. 2. n. 2. Cfr. etiam ibid. V, c. 1. n. 17; X. c. 10, n 4.

rum expressisse : prior namque Palæstinensis ex genere sacerdotali, alter Judæus Hellenista evidenter ita plerumque loquuntur, ut circa hoc caput notoriam et publicam totius populi fidem proponere intelligantur. Istud etiam diserte asserit Josephus in supra citato textu, ubi dicit : « *omnibus Judæis* statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum esse, Dei ut hæc esse præcepta credant *θεου δογματα*. » Illud confirmatur ex modo, quo in Evangelio Judæi provocant ad Scripturas, ut arguant eos, qui affirmant Jesum esse Messiam promissum. Textus nimirum adferunt ex libro Psalmorum et ex Michæa, perinde ac si essent ex uno eodemque libro sub hac communi formula *scriptura dicit* : « Nonne scriptura dicit : quia ex semine David (Ps. CXXXI, 11), et de Bethlehem castello (Mich. V, 2) venit Christus » (1). Constat itaque, ex repetitis illis appellationibus et ex modo provocandi ad Scripturas, tamquam ad corpus divini juris, Judæos tum toti collectioni, tum singulis libris partibusque librorum, quos nomine Scripturæ designabant, parem et exsortem auctoritatem tribuisse, et quidem talem cui refragari nemini tuto licet.

II. Verum inquirendum nunc est, undenam secundum fidem synagogæ sortiantur Scripturæ dignitatem sibi propriam ; nondum enim ostensum est, Judæos persuasum habuisse, illos libros sub divino afflatu fuisse conscriptos. Jamvero multiplici ex capite constat divinitatem, quam Scripturis tribuebant, non fuisse illam genericam, quæ habetur ex divinitate doctrinæ quam continent, verum eam fuisse specificam, quatenus videlicet eas haberent veluti divinæ originis seu sub divino impulsu exaratas.

Illud elucet, 1° ex ipsis appellationibus Scripturæ tributis. Etenim non solum ipsa verba Dei in sacris libris relata designant nomine *oraculorum*, *verborum propheticorum*, *divinorum præceptorum*, sed et ipsos libros historicos appellant divinos, imo particulares textus mere historicos, qui numquam fuerunt ore prolati ac consequenter considerantur

(1) Joan. VII, 42.

formaliter ut scripti *divina eloquia, propheticas sententias* (1), *oracula* nuncupant. Exemplum adfert Philo in libro *de profugis*, ubi ait : « Caïni vero impudentis fratricidæ mors nusquam in *lege* invenitur, imo exstat hoc *oraculum* de illo : Apposuit Dominus Deus Caïno signum, ne quis eum inventum interimeret » (2). Et in limine libri *de præmiis et pœnis* : « *Oracula* per Moysen *prophetam* mandata sacris litteris in tres dividuntur species : quarum prima ad *mundi opificium*, altera ad *historiam*, tertia ad leges latas pertinet » (3). Denique « declaraturus eum (Moysen) esse » (non tantum « optimum regem, legislatorem, pontificem » sed) « *et prophetam probatissimum* » inquit : « Nec ignoro *pondus oraculorum habere quidquid scriptum est in ejus voluminibus*, recensebo tamen magis propria, ubi prius distinxero, quædam oracula ex persona Dei proferri per *divinum interpretem*, quædam esse responsa sciscitanti reddita, quædam pronunciari ex persona Moysi *afflati numine* » (4). Ad hæc, tanta erat eorum veneratio erga istos libros sacros, ut nefas esse putarent quidquam in iis mutare, addere, vel detrahere, omnesque Judæi parati essent mori potius quam aliquid hujusmodi attentare (5). Atqui hæc omnia nonnisi de libris sub divino afflatu conscriptis intelligi possunt.

Verum 2° hæc persuasio de divina librorum scriptione elucet ex *disertis* testimoniis, quæ apud supra laudatos scriptores aliosque fidei Judæorum testes reperiuntur. Sane *a)* divinam auctoritatem, quam libris illis adscribunt, ex eo repetunt, quod conscripti sint a *prophetis ex divina inspiratione*, nec ullis aliis, quam prophetarum libris, potuerit in ea collectione esse locus. Sic Josephus aperte testatur solis « prophetis » penes Israelitas fuisse munus scribendi historiam populi : « neque subscribendi potestas omnibus data..., sed solummodo *prophetis*, qui antiquissima ac veterrima ex *inspiratione divina* cognita habuerint, suorum vero tempo-

(1) *De nominum mutatione*, p. 820 et p. 829. (2) P. 359. (3) P. 705. (4) Lib. III *de vita Moysi*, p. 527 (5) Josephus. *Contra Appion.* l. I, n. 8 et Philo. l. II *de vita Moysi*, p. 510.

rum res quo modo gestæ erant, perspicue conscripserint » (1). Ex defectu vero exploratæ successionis prophetarum repetit minorem auctoritatem posteriorum librorum, quos prioribus viginti duobus opponit. Causa ergo auctoritatis divinæ illorum librorum, et venerationis Judæorum erga illos est propheticus spiritus, quo scripti, prolati ac populo traditi sunt.

Quo vero clarius hujus argumenti valor perspectus habeatur, animadvertatur oportet, græcam vocem προφητης per se non illam latiorem significationem habere, quam habet vox hebraica נָבִיא. Vox namque προφητης *etymologice* spectata eum solummodo designat, qui προφησι seu prædicit ea quæ futura sunt; nomen vero hebraicum *nabi* seu *nebiim* in plurali magis est genericum et indicat non modo eos, qui futura prænuntiant, sed multo frequentius universim homines loquentes, agentes, scribentes sub supernaturali, extraordinaria operatione et inspiratione Dei ad divina consilia hominibus manifestanda (2). *Ex usu* tamen hæc utraque vox græca et hebraica in Bibliis eumdem fundit sensum latiorem. Ratio igitur prophetæ hic indicata non est illa specifica viri vaticinantis, verum generica viri, qui recipit την επιπνοιαν του θεου, estque vox synonyma vocis θεσπεσιος. Inde fit ut in N. T. *prophetæ* vocentur etiam illi, quorum

(1) Contr. Appion. l. I, n. 7. Notandum ad hunc textum, Josephum την απο του θεου επιπνοιαν non coarctare ad sola antiquissima et veterrima, quæ sacri scriptores ex documentis minus facile nota habere potuissent; evidens enim est Josephum hic nomine *inspirationis* subindicare *revelationem*, qua ignota vel incerta panduntur, ut ex contextu et rei natura patet. Eum vero auctoribus « suorum temporum res » conscribentibus inspirationem proprie dictam haud denegasse, perspicuum est ex eo, quod ex ipso eas litteris mandare non liceret nisi prophetis. Unde et Josue, Samuelem, Esdram aliosque, qui non res antiquissimas et veterrimas, sed res gestas sui temporis conscripserint, nihilominus etiam prophetis accenset. Non itaque inanis conjectura est dicere Josephum hic præsertim in mente habuisse *magnum prophetam* Moysen, qui non tam in futuris vaticinandis eminuit, quam in antiquissimis gestis referendis, quæ ex sola revelatione comperta habebat.

(2) Sic dicit Philo : *De præmiis et pœnis*, p. 711. « Propheta interpres est Dei, dictantis intus oracula ».

erat sacras litteras divino Numine explicare, eorumque munus designetur nomine *prophetiæ* (1).

Age jam quando Josephus et cum ipso Judæi Scripturis ideo summam et divinam tribuebant auctoritatem, quod conscriptæ essent a *prophetis*, hanc denominationem non strictiori illo, sed latiori hoc sensu usurpabant, ut indicarent exaratas illas fuisse non a scriptore tantum veraci, sola humana industria freto, verum ab homine divino munere fungente, ac supernaturali et positivo auxilio actualiter munito, id est, a propheta formaliter et reduplicative sumpto.

Imo *b)* multiplicia testimonia explicita quæ penes Philonem aliosque occurrunt, hanc conclusionem valide confirmant. Hic enim in suis operibus frequenter docet, eos libros scriptos esse a *prophetis* « *per quorum ora cælestis pater cecinit* » (2), quique « *divino spiritu pleni oracula ediderunt ex persona Dei* » (3). Locus insignis Philonis ad rem præsentem est in lib. II *de Vita Moysi*, ubi sacros libros a LXX Interpretibus in græcam linguam translatos appellat « leges ex oraculis acceptas, sacra volumina, leges, quarum exordium est mundi opificium »; interpretes vero illos transferentes ex ipso « tamquam *numine correpti prophetabant*, non alii alia, sed omnes ad verbum eadem, quasi *quopiam dictante invisibi-*

(1) V. I Cor. XIV. Cfr. Suarez. *De fide*, disp. VIII, sect. 3; Denzinger, II Buch, n. 166; Cl. Patrizzi. *In Evangel.* l. III. Dissert. 13, n. 12 et 5; Jo. Delitzsch (acath.) *De Inspiratione Scrip. Sac.*, p. 10.

(2) *De Profugis*, p. 374.

(3) *De Cherubim*, p. 89. Animadvertatur hic loci locutiones illas : *prophetarum ora, prophetæ canunt*, aliasve similes, non esse referendas ad sola vaticinia viva voce prolata, et postliminio sine inspiratione divina scripto consignata, sed per obviam metaphoram juxta sermonis contextum significare ipsa scripta, seu ipsas res formaliter ut scripto mandatas, quæ per prophetarum ora editæ dicuntur ob divinam inspirationem. Os igitur propheticum innuit generice manifestationem idearum sub divina inspiratione per sensibilia signa, sive verba sive scripta. Hic porro non agitur de sermonibus, sed de scriptis. Tales locutiones crebro occurrunt etiam in sacris libris, quod et in sequentibus erit attendendum. Hujusmodi est « *Scriptura prædicta per os David* » Act. I, 16 et Zacharias, pater Joannis, « postulans pugilarem *scripsit*, *dicens* : Joannes est nomen ejus » Luc I, 63.

liter ». Jamvero omissa quæstione de veritate facti, ad quod auctor alludit, sufficiat hic nobis argumentum inferre a minori ad majus : si juxta mentem Philonis aliorumque Judæorum Hellenistarum necesse fuit, ut interpretes Sacræ Scripturæ scribendo *prophetarent* seu essent a Deo inspirati, ne minoris dignitatis et auctoritatis existimaretur versio præ textu hebraico, quanto magis dicendi sunt persuasum habuisse ipsam originalem conscriptionem librorum fuisse *propheticam*, seu ipsos autographos numine correptos scripsisse?

Denique *c)* hæc persuasio quæ apud Judæos vigebat ante tempora Christi, etiam perduravit post Christum penes hebræos, ut perspicuum est ex libris Thalmudistarum, commentatorum Sacræ Scripturæ et auctorum Cabbalisticorum. Sufficiat hic afferre ea quæ leguntur in Thalmude : « Qui dicit : tota lex de cœlo est, excepto hoc uno versiculo, quem non *dixit Dominus* benedictus, sed Moyses ex semetipso, hic est abnegator verbi Dei et contemptor » (1). Aliud insuper testimonium de Inspiratione libri Pentateuchi reperimus in opere, quod vocatur *sepher Ikkarim* seu liber Fundamentorum, quod apud hebræos magna gaudet auctoritate : « Etenim Moyses a seipso non loquebatur, sed *superiore dictamine* verba proferebat, et linguam componebat prout suggerebat Deus » (2). Illud oppido confirmatur ex defectu omnis dissidii inter Christianos et Judæos, etiam prisca Ecclesiæ ætate. Apud vetustissimos apologetas nuspiam comparet vestigium dissidentiæ inter eos quoad illud dogma. Id luculenter colligitur ex Justino, viro philosopho et erudito, in controversiis cum Judæis exercitato. Is rem christianam contra perfidiam Judaicam hac ratione vindicat, ut capita, in quibus dissidebant, pleraque omnia aperiat, etiam ad doctrinam de Scripturis pertinentia, eosque impietate non semel arguit, numquam tamen eos corripit, quod depravassent ideam libri

(1) *Tract. Sanhedrin*, 99, ad num. XV, 13.

(2) Lib. III, cap. 22, apud Duvoisin, in observationibus ad procem. *Pugionis Fidei*.

inspirati vel falsam ideam haberent. Porro eos postea hanc doctrinam haud corrupisse elucet ex verbis Origenis contra Celsum : « Cæterum si nos accurate respondere oportet ad Celsum opinantem eamdem nostram esse ac Judæorum de his rebus sententiam, *dicemus in confesso esse apud utrosque, libros* (Vet. Test.) *divino spiritu esse conscriptos* » (1).

Evidens igitur est eam fuisse communem fidem et professionem gentis Judææ tempore Christi et Apostolorum, scriptores librorum sacrorum in scribendo fuisse constitutos sub supernaturali influxu, ita ut non modo doctrina et res scriptæ censeri debeant divinitus propositæ, sed etiam scriptio rerum tribuenda sit principaliter operationi Dei in hominem et per hominem agentis.

III. Hæc fides et persuasio synagogæ magni est facienda, quum admitti nequeat Deum in re tam gravi permisisse, ut populus suus electus unanimi et perpetuo consensu, nemine reclamante, turpissime aberraret. Verum ut argumentum vim habeat ineluctabilem, probabimus, quod initio diximus, hanc Judæorum confessionem multifariam fuisse a Christo ejusque discipulis adprobatam, tum nimirum negative eorum silentio, tum positive tota eorum agendi ratione.

Et jam 1° dogma inspirationis tempore Christi et Apostolorum erat capitale summique momenti penes Judæos, quia pertinebat quasi ad vitam intimam israeliticæ societatis. Profecto cum Deus ad populum suum non amplius mitteret identidem prophetas, qui eos a viis suis pessimis ad mandatorum Dei observantiam reducerent eorumdemque spem in futurum Redemptorem erigerent, præcipuum Dei commercium cum ipsis erat in scriptis illis documentis. Hæc namque ab ipsis considerabantur, non veluti monumenta mere profana, sed tamquam epistolæ ab ipso Deo sibi missæ, quibus hic præteritas revelationes, antiquas promissiones, prodigia in eorum favorem quondam patrata, leges et cæremonias olim impositas continuo ipsis in memoriam revocaret. Hæc autem persuasio populi istius theocratici pro vita sua tum

(3) L. V, n. 60.

theoretica tum practica erat gravissimi momenti : pro priore quidem, quatenus ipse hujusmodi libros ceu fidei regulam pervolvebat; pro posteriori vero, quatenus secundum hanc regulam totam vitam suam religiosam cum publicam et politicam, tum privatam et domesticam ordinabat. Quodsi igitur ponamus ea scripta, quæ ceu divina summæque auctoritatis amplectebatur, fuisse mere humana et fallibilia, gravissimo perniciosissimoque versatus fuisset in errore. Porro novimus ex Scriptis Nov. Test. Apostolos in rebus spectantibus doctrinam fidei non pepercisse falsis Judæorum opinionibus, sed eas denuntiasse et penitus extirpare studuisse. Exinde colligimus hanc fidem, si erronea fuisset, improbari saltem aliquando debuisse vel a Christo Domino vel ab Apostolis. Atqui nuspiam legimus hunc errorem fuisse umquam ab ipsis notatum.

Verum 2° Christus Salvator ejusque authentici legati hanc persuasionem synagogæ etiam luculenter et positive confirmarunt, eique suam conciliarunt auctoritatem. Enimvero, testantibus scriptis apostolicis, non modo servant librorum distinctionem in *legem*, *prophetas*, *et psalmos*, sed etiam sub nomine *Scripturæ* continuo ad eos provocant tamquam ad testificationem non humanam sed divinam, cui subjiciatur omnis intellectus. Nimirum supremam demonstrationem constituunt in formulis : *Scriptura dicit*, *Scriptura continet*, *scriptum est*. Porro clarum plane est, hæc testimonia haud allegari propter auctoritatem eorum a quibus prolata seu scripta fuere, sed simpliciter et præcise quatenus sunt scripta, ita ut tota vis argumenti in illis citationum formulis contineatur, et Scripturæ qua tali seu formaliter ut scriptæ divinam auctoritatem agnosci appareat. Quam vero late pateat hic usus æstimari inde potest, quod hæ formulæ vel æquivalentes in libris Nov. Test. centies quinquagies circiter occurrant.

a) Christus Dominus speciatim ad Scripturas frequenter sese recipit, uti legere est in libris Nov. Fœderis. Ita eas nominatim appellat, ut discipulos de sua futura passione

instruat (1), ut certos eos reddat de civitatis eversione (2), ut adversarios suos erudiat ac confundat (3), ut tentatorem superet victumque fuget (4), ut suam doctrinam omniaque quæ ipsum spectant confirmet (5). Ad illas appellat tamquam ad testimonium Dei, ubi contra incredulos Judæos suam divinitatem demonstrat : « Ego autem non ab homine testimonium accipio... Ego autem habeo testimonium majus Joanne (6) ». Hoc testimonium majus adfert triplex, opera quæ dedit ei Pater ut perficeret ea, vocem Patris et *Scripturas*. Hoc tertium pluribus declarat : « Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere ; et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me » ; et paulo post subdit : « si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : *de me enim ille scripsit*. Si autem illius litteris non creditis : quomodo verbis meis credetis ? » Tandem docet, ne apicem quidem legis posse præterire, sed omnia ad unguem esse implenda (7). Igitur manifestum est Christum non ad Scripturas alludere solum, sed iis firmiter insistere ; ad eas se recipere tam coram discipulis et amicis quam coram adversariis et inimicis, tum adversus homines tum adversus dæmones ; ad eas appellare modo polemice modo thetice, ut instruat et statuat, ut rejiciat et confutet.

b) Simili plane ratione Apostoli et Evangelistæ frequentissime sacras litteras Vet. Test. adhibent veluti documenta divinæ auctoritatis. Speciatim ex eis dogmata probant, vaticinia docent impleta vel adhuc implenda, Magistri sui divinitatem divinamque missionem demonstrant, sollicitam Dei providentiam stabiliunt : quæ sane omnia nonnisi testimoniis divinis efficere poterant (8). Porro licet non singula quæque loca Vet. Test. ab Apostolis afferantur, argumentum tamen

(1) Luc. XVIII, 31 ; Matth. XXVI, 31, coll. Luc. XXIV, 26.

(2) Matth. XXIV, 15. (3) Matth. XXI, 10 ; XXII, 31, 32. (4) Ib. IV, 4 seqq. (5) Ib. VII, 12 ; XXI, 42, 43 ; XXII, 29 seq. ; XXVI, 54 seq. Joan. X, 34, 35. (6) Jo. V, 34 seqq. (7) Matth. V, 18, 19. (8) Act. I, 16 ; II, 16, 17 et seqq. ; III, 18, 21 ; VIII, 32 seqq. ; XV, 15 ; XVII, 2, 3 ; XVIII, 28 ; Rom. I, 2 ; III. 10 seqq. ; IX, 17 ; X, 11 ; XV, 4 ; I Cor. XV, 34 ; Gal. III, 8 ; Ephes. V, 31 ; Hebr. IV, 4, 7 et capp. IX, X.

ad totam Scripturam, quæ tunc apud Hebræos in veneratione erat, necessario se porrigit. Nam hi textus pro data occasione ex omnibus libris Vet. Test. tum propheticis, tum moralibus, tum mere historicis promiscue et indiscriminatim allegantur tamquam æqualis auctoritatis certæ et irrefragabilis ad veritates probandas. Hac ratione Petrus sub communi formula *continet Scriptura* citat libros diversarum classium : « Continet Scriptura : ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum; et qui crediderit in eum non confundetur (Is. XXVIII, 16)... lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli (Ps. CXVII, 22) et lapis offensionis et petra scandali ». (Is. VIII, 14) (1). Adferuntur textus ex diversis libris sub formula : « *una Scriptura, alia Scriptura* » (2), et nomine *legis* proprio uni classi designatur tota collectio (3). Verbo : promiscue quoslibet libros Scripturæ appellant in quacumque materia quam versant et quidem ceu verbum Dei, cui serviat omnis intellectus, quodque non vi argumentorum, sed sola sua insita auctoritate valeat, quodque ad propositum probandum sincere attulisse sufficiat.

His itaque abunde probatum est, Christum Dominum ejusque Apostolos fidem synagogæ ratam probatamque habuisse : illorum quippe agendi ratio, quemadmodum supponit Judæos Scripturis divinam auctoritatem tribuisse, ita quoque confirmat eorum persuasionem de ratione propria seu causa formali illius irrefragabilis auctoritatis. Hanc porro ideo sacris Bibliis tribuunt, quod ea habeant *scripturas propheticas*, seu libros sub supernaturali Dei impulsu et lumine conscriptos, ita ut libri vi ipsius charismatis sub quo concinnati fuerunt, sint *Verbum Dei scriptum*, et Deus per homines a se inspiratos ad scribendum sit *librorum auctor* (4).

Corollarium I. Consideratis iis, quæ Judæi ad rationem libri inspirati postulant, plane evidens est a veritate disce-

(1) I Pet. II, 6-8. (2) Jo. XIX, 36, 37. (3) Jo. X, 34; XII, 34; I Cor. XIV, 21. (4) Cfr. Franzelin Th. II.

dere quosdam criticos modernos (1), qui docent priscos Judæos considerassə ceu inspiratos libros omnes, qui de rebus sacris vel historia populi Israëlitici tractarent. « Omnes libri, inquit Movers, qui de rebus divinis, de vita recte instituenda, de Judæorum historia singulari numinis providentia ordinata, ad institutionem pietatisque excitationem conscripti erant, divinitus inspirati credebantur. » Hujus sententiæ falsitatem valide evincunt testimonia, quæ supra adduximus, præsertim si attendantur ea, quibus Josephus testatur Judæos in admittendis Scripturis exegisse *manifestam successionem prophetarum*, et quibus exponit dubia circa libros editos post Artaxerxem (2).

Præpostere etiam nonnemo statuit libros deuterocanonicos, Vet. Test. qui post ætatem Artaxerxis conscripti sunt, ideo a Judæis fuisse expunctos e canone sacrorum librorum, quod ipsi persuasum haberent inspirationem requirere antiquitatem. Nam 1° gratis prorsus affirmatur synagogam aliquando in suo catalogo habuisse illas deuterocanonicas Scripturas, imo teste Josepho eas nequaquam receperunt, licet essent apud eos in magna veneratione; 2° hanc exclusionem improbabilem reddit reverentia, quam Judæi erga canonem habebant; sed et 3° ipse Josephus aliam hujus rei causam assignat, quæ apprime ostendit illius assertionis

(1) Movers. *Loci quidam historiæ canonis Vet. Test. illustrati;* J. A. Nickes, *De libro Judith*, ap. Card. Franzelin, in not. ad Th. II.

(2) Non est tamen cur contradicamus iis, qui advertunt in doctrina Josephi et Philonis sedulo distinguendum esse inter ea, quæ proferunt tamquam testes fidei synagogæ, et ea, quæ ipsi philosophando juxta conceptum gnosticismi aut rationalismi docent. Imbuti nonnihil erant doctrinis veterum gentilium : hi vero ex una parte ad hoc propendebant, ut inspirationem cum exstasi (μαντεια) confunderent, ex altera vero parte propter laxam et parum definitam, quæ apud illos obtinebat, divinitatis notionem, ad inspirationem plus æquo extendendam proclives erant. Nil igitur mirum, si Philo sibi ipsi, et omnibus viris bonis, quin et gentilibus prophetiam tribuerit. Talia nempe hauserat ex doctrinis platonicis philosophorum, ex quibus pariter Cicero illud desumpsit : « Nemo vir magnus sine aliquo afflatu umquam fuit. » (*De nat. Deorum* l. II, cap. 66.) Aliam vero doctrinam sanam Philo ex traditione sui populi acceperat.

falsitatem. Ideo enim secundum ipsum non « tantam fidem meruerunt » quantum illi viginti duo, « quod minus explorata fuit successio prophetarum », seu quia non constabat illos a *prophetis* munere suo fungentibus fuisse exaratos. Formale ergo discrimen non erat tempus conscriptionis, sed incertitudo de charactere scriptoris, utrum videlicet esset propheta seu scriptor inspiratus necne.

Corollarium II. Merito exploditur etiam illorum assertio, qui contendunt Christum ejusque legatos ad Scripturas ceu libros inspiratos solummodo provocasse, veluti adhibendo *argumenta ad hominem* contra Judæos, adeoque hanc illorum rationem agendi haberi non posse ut fidei synagogæ ratihabitionem. Etenim, cum nonnisi rarissime in communi et vulgari sermone ad hujusmodi argumenta recurratur, Christus vero et Apostoli in singulis ferme Sacræ Scripturæ paginis ad sacros libros appellent, dicendum foret eos continuo leges ordinarias locutionis humanæ violasse : hæc autem est gratuita et injuriosa assertio. Accedit quod recta ratio et æquitas naturalis quasdam dictent regulas in ipso usu talium argumentorum servandas, quæ in ista hypothesi fuissent infractæ. Nimirum *a)* qui talia adhibet argumenta, tenetur aliquo pacto vel explicite vel implicite in decursu orationis subindicare, se hac ratione arguere ; illudque præsertim verum est, quando id quod supponitur, est error fundamentalis maximi momenti. Porro Christus et Apostoli nullibi indicarunt se tali ratione argumentari, neque ullibi veram suam opinionem in hac hypothesi aperuissent, licet ageretur de doctrina fundamentali vitæ theoreticæ et practicæ Judæorum. *b)* Tale argumentum certo non adhibetur nisi adversus eos, qui falsam illam doctrinam amplectuntur. Quorsum igitur S. Paulus ex Scripturis gentes redarguit? *c)* Non ubique neque promiscue talis argumentandi ratio usuvenit, et nominatim in dogmatibus stabiliendis vel præceptis morum condendis nemo sanus ad talia recurret argumenta. Tandem *d)* S. Paulus discipulum suum Timotheum enixe hortatur ad lectionem Scripturarum, quas magnopere commendat, illudque potissimum in earum laudem adfert,

quod sint divinitus inspiratæ. Quali porro effugio adversarii se ex his Apostoli verbis extricabunt? Sed de hoc textu ampliora statim.

§ 2. *Proponitur aliud argumentum, immediate affirmans, illudque multiplex, ex Scripturis Nov. Test. depromptum.*

Quæ modo attulimus testimonia ex Scripturis Nov. Test., ut ostenderemus Christum Dominum ejusque Apostolos communivisse et adprobasse fidem et persuasionem Judæorum de divinitate Scripturarum, jam probe sufficerent ut ex eis, abstractione facta a traditione synagogæ, dogma inspirationis directe comprobaremus. Enimvero continuus ille recursus ad Scripturam, summa quæque probandi ergo, et quidem tamquam ad verbum Dei seu libros quorum Deus efficienter sit auctor, haud aliter intelligitur, nisi supposita in eorum animis firma persuasione, libros illos, si non immediate a solo Deo prodierint, saltem fuisse exaratos ab hominibus sub speciali impulsu et lumine divino scribentibus. Attamen non superfluum ducimus, ex iisdem fontibus alia quædam afferre, ex quibus disertius et modo ineluctabili inspirationis dogma stabiliatur.

I. Divini legati frequenter adducunt Scripturas in citationum formulis, quæ indicant Deum vel Spiritum S. esse principem earum auctorem, scriptorem vero humanum esse tantummodo instrumentum et causam subjugem in scribendo. Diserte dicitur Deus *in Scripturis* et *per Scripturas* loqui vel locutus esse, ita ut Deus ponatur in *recto*, homo ut instrumentum ponatur in *obliquo;* vel ordine inverso sacri scriptores dicuntur *in Spiritu S. scripsisse* vel *dixisse* textus sacros. Ad priorem classem pertinent præcipue hæc testimonia : « Oportet impleri Scripturam την γραφην ταυτην, *quam prædixit Spiritus Sanctus per os David* » (1). Item « Domine..., qui Spiritu Sancto per os patris nostri David pueri

(1) Act. I, 16.

tui dixisti : quare fremuerunt gentes etc. (1) » ; et iterum : « Deus promiserat (Evangelium) ante *per prophetas in Scripturis sanctis* » (2). Deinde : « dixit (Deus) *in quodam loco* de die septimo : et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis... Iterum terminat (ὁριζει determinat) diem quemdam : Hodie, in David dicendo » (3). Huc etiam faciunt formulæ « *dicit Deus*, *dicit Spiritus Sanctus*, *Spiritus Sanctus nos contestatur*, *dicens* » (4). Tandem Christus asserit Deum illa ipsa verba, quæ olim per prophetas locutus erat populo Israël, eadem adhuc Judæis Christo coævis dicere : « Non legistis quod dictum est *a Deo dicente vobis* : ego sum Deus Abraham, etc. » (5). At vero istis Judæis hæc verba non fuerunt a Deo dicta, nisi quatenus litteris fuerunt mandata, ergo Deus ea dicit, quatenus ea scripta sunt; sunt igitur *verbum Dei scriptum*. Ad posteriorem classem spectant præprimis verba Christi : « Quomodo ergo David *in Spiritu* vocat eum (Christum) Dominum dicens : Dixit Dominus Domino meo ? » (6) ubi notanda est forma præsentis indicativi *vocat*, *dicit*, quæ ostendit sermonem esse de verbis David formaliter prout scripta sunt in libro. Imo non modo scriptor secundarius, sed ipse liber scriptus seu ipsa Scriptura ponitur pro Deo loquente et prædicente : « Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ : quia benedicentur in te omnes gentes » (7). In his et similibus locis evidens est, Scripturam a Christo et a divinis legatis uti verbum Dei adhiberi, quatenus videlicet Deus hagiographis veluti instrumentis usus sit ad scribendum, sive quatenus scriptores in Spiritu scripserint, ita ut horum verba et libri sint vere ac proprie *verba et libri Dei*, seu *Deum habeant auctorem*.

II. Age jam, breviter nunc expendamus illa Scripturæ loca, ex quibus passim illud dogma probari assolet. Loca illa classica sunt duo insignia testimonia, quæ occurrunt aliud apud Petrum in altera ejus epistola cap. I, vv. 20, 21, aliud

(1) Act. IV, 25. (2) Rom. I, 2. (3) Heb. IV, 4, 7. (4) Hebr. I, 6; III, 7 X, 15; Rom. III, 2. (5) Matth. XXII, 31. (6) Ibid. 43. (7) Gal. III, 8.

apud S. Paulum in II Tim. III, 15-17. Ista vero eo præstantiora sunt, quod Scripturam expressis verbis a Deo *inspiratam* testentur, necnon quod hujus operationis Spiritus Sancti haud obscure modum indigitent.

Testimonium S. Petri ita se habet : « Habemus firmiorem propheticum sermonem : cui benefacitis attendentes..., hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ πασα προφητεια γραφης propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, ου γαρ θεληματι ανθρωπου ηνεχθη ποτε προφητεια, αλλ'υπο πνευματος αγιου φερομενοι ελαλησαν αγιοι θεου ανθρωποι. » Ad hujus loci intelligentiam animadvertisse juvat, divum Petrum in priore hujus capitis parte adhortari Christianos nuper e Judaïsmo conversos, ut firmiter in fide consistant, sedulo virtutum omnium culturæ incumbant, atque ita satagant « ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant ». Subdit deinde rationem ex hujus evangelicæ doctrinæ absoluta certitudine, quæ non perinde ac doctrina paganorum doctis fabulis innititur, sed certo et infallibili testimonio divino. Hoc porro testimonium duplex adfert, nempe testimonium Patris æterni, quod dedit in transfiguratione Christi Domini, quodque ipse Petrus cum aliis duobus Apostolis audierat in monte sancto; deinde vero testimonium Scripturarum. Jam autem de hoc ultimo scribit prælaudata verba, quæ nunc præ scopo nostro elucidanda veniunt.

Imprimis notari vix meretur, divum Petrum Scripturam vocare *firmius* testimonium *(firmiorem* propheticum sermonem), non quidem *in se*, nam nil firmius esse potest divino testimonio, quod propriis auribus in monte sancto audierat, sed subjective et relate ad Judæos, qui divinam auctoritatem Scripturarum admittebant, testificationem vero Petri falso rejicere poterant (1).

(1) S. Augustinus explicans citata verba Petri in sermone 27. *De verbis Domini*, cap. IV, hæc habet : « Certiorem (firmiorem) sane esse dicit, non

Aliis vero omissis huc non pertinentibus, quæ in hac pericopa minus clara occurrunt, quæque apud interpretes sacros varie explicantur, præcipue demonstrari hic debet S. Petrum agere de oraculis prophetarum, saltem etiam *quatenus scripta fuerunt*, hoc est, de ipsis prophetarum libris. Nisi enim hoc probe ostendatur, nil pro re nostra ex laudato testimonio conficeretur, sed solum affirmaretur antiquos prophetas sub divina inspiratione seu a Spiritu Sancto actos (υπο πνευματος αγιου φερομενους) oretenus edidisse oracula, quibus Christus ejusque œconomia præmonstretur, quæque deinde fuerint litteris mandata et usque tunc servata; qua vero ratione hoc factum fuerit, utrum sola humana industria, an Spiritu afflante ex hoc textu dijudicari haud posset. Hoc pacto simul ostensum erit, non agi solum de libris stricte et proprie propheticis, sed universim de libris sacris in quantum Christum portendunt.

Itaque dicimus S. Petrum provocasse *ad sermonem propheticum* seu ad Scripturas, non tamquam *materialiter solum propheticas*, utpote quæ solum continerent prophetarum oracula, verum tamquam formaliter divinas et propheticas, id est, quatenus sub divina inspiratione exaratæ fuerint. Etenim 1° scribit hanc epistolam ad fideles, præsertim Judæo Christianos, ut eos in fide confirmet. Hi porro, ut supra vidimus, omnes et singulos Scripturæ libros librorumque partes appellant *propheticas sententias*, *oracula ore prophetarum edita*, ideoque eo nomine etiam designant libros historicos et morales, ea nimirum continentes, quæ num-

meliorem, non veriorem (propheticum sermonem). Tam enim verus ille sermo de cœlo allatus quam sermo propheticus, tam bonus, tam utilis. Quid est ergo *certiorem* quam ille, in quo magis confirmatur auditor? Quare hoc? Quoniam sunt homines infideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quæ fecit. Possent ergo infideles etiam istam vocem delatam de cœlo per conjecturas et illicitas curiositates ad magicas artes referre, sed prophetæ ante fuerunt, non dico antea, ante istam vocem, sed ante Christi carnem. Nondum erat homo Christus, quando misit prophetas. Quisquis eum dicit magum fuisse : si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur et mortuus, numquid magus erat antequam natus? »

quam fuerunt ex Spiritu prophetico ore prolata. Dum igitur eos remittit Petrus ad sermonem propheticum Scripturæ, dicendus est alludere ad omnes Scripturæ libros et proin eos considerare formaliter ut scriptos. Illud confirmat 2° scopus Petri, qui, indicando ceu firmius testimonium sermonem propheticum (τον προφητικον λογον cum artic.), vel ut v. 20 dicit, *omnem prophetiam Scripturæ*, πασα προφητεια γραφης seu omnem Scripturam propheticam, evidenter appellat ad oracula Vet. Fœderis, quæ portendebant Christum ejusque œconomiam, in qua fideles roborare intendebat. Atqui secundum doctrinam Christi et Apostolorum ac persuasionem synagogæ non modo vaticinia prophetarum futura pandunt, sed et ipsi libri Moysi, libri morales ac historici, saltem secundum sensum eorum typicum vel mysticum, plura complectuntur oracula, quæ Christi et Evangelii mysteria præfigurant et confirmant. Illa omnia intendisse Petrum innuunt 3° locutiones quas adhibet : loquitur de *omni prophetia Scripturæ*, ubi in græco πασα absque articulo sensum distributivum indicat ; dein de allata *aliquando* prophetia, ubi προφητεια cum adverbio ποτε manifestat agi de *prophetia* sive ore sive scripto allata. Itaque S. Petrus nomen *prophetici sermonis* et *prophetiæ Scripturæ* sensu latiori more Judæorum hic usurpat, appellatque in genere ad universam Scripturam, quæ de Christo testimonium perhibet (1), licet magis directe ad loca prophetica, quæ in sacris litteris leguntur (2).

Itaque Apostolorum princeps tum negat ullam umquam prophetiam humana voluntate θεληματι ανθρωπου (3) allatam esse, tum affirmat Spiritu S. inspirante υπο πνευματος αγιου φερομενους locutos esse sanctos Dei homines. Imo prophetiæ proprium est non proferri voluntate humana, sed sub inspiratione divina seu ex singulari motione et actione Spiritus S. Quoniam igitur Petrus negative excludit lubitum hominis, et positive adstruit impulsum et excitationem divinam veluti

(1) Joan. V, 39. (2) Cf. in h. l. Corn. a lap., Salmeron, Cajetanum, Lorinum etc. (3) Ille dativus θεληματι est dativus *causæ*, uti notat Beelen in sua *Grammat. Græcit. N. T.* sect. III, § 31.

causam prophetici sermonis, Scriptura, quæ est illius operationis terminus, tribuenda est non auctori humano, causæ subjugi, verum Spiritui S. seu Deo tamquam causæ principi : est ergo proprie verbum Dei scriptum.

Nec obstat quod Petrus excludat solummodo propriam hominis *voluntatem* in prophetando, non vero proprium *ingenium*, adeoque videatur adstruere solum Spiritus S. operationem in voluntatem ac consequenter inspirationem proprie dictam non significare, quæ influxum etiam requirit in mentem scriptoris seu prophetæ. Illud enim nullam difficultatem facessere potest, si attendas, divinam illam motionem, etsi *directe* illum actum indicet, qui consistat in alterius voluntate movenda, *oblique* tamen atque *implicite* eum quoque notare, qui in docendo intellectu versatur, quum nemo quemquam ad aliquid agendum impellere queat, quin simul ea doceat, quæ agi ab ipso velit.

Difficultas quædam adhuc obvenire posset ex eo, quod Sancti Dei homines, dicantur hic Spiritu S. inspirante *locuti esse*, non vero *scripsisse*, quasi nempe id referendum solummodo sit ad oracula viva voce prolata, non autem ad libros sacros. Hæc namque formula et aliæ huic geminæ, ut jam notatum fuit, in sermone biblico, sicut et in vulgari, significant sæpe generatim manifestationem et prolationem idearum per vocem vel per scriptum. Ita dixit S. Paulus, procul dubio Scripturas designans : « Multifariam multisque modis Deus olim loquens Patribus in prophetis ». Hoc eodem sensu passim dicimus : *dicit S. Augustinus*, *loquitur S. Thomas*, ubi eorum testimonia scripta, numquam voce ab ipsis prolata, citamus. Eodem sensu vocantur Scripturæ *eloquia Dei*, et Spiritus Sanctus dicitur in Scripturis *loqui per os David*. Cum itaque ex contextu manifestum sit sanctos Dei homines hic esse scriptores hagiographos seu scriptores *prophetiæ Scripturæ*, liquet hic sermonem esse de *Scripturæ* inspiratione. Quapropter Ecclesia, ubi in Conc. Florentino solemni decreto. « Unum atque eumdem Deum Vet. et Nov. Testamenti. h. e. legis et prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem », hæc verba Petri usurpat : « quoniam eodem

Spiritu Sancto inspirante utriusque testamenti *sancti locuti sunt :* quorum libros etc. » (1).

Alter locus S. Pauli adhuc clarior est, siquidem in eo Apostolus directe ac diserte universæ Scripturæ, quam præ manibus habebant Judæi, divinam originem adscribit. Postquam videlicet discipulum suum Timotheum hortatus erat, ut permaneret in iis quæ didicerat et quæ ipsi erant credita, duas affert rationes, quæ ipsum specialiter ad illud impellere natæ erant : primo nempe, quia ab ipso Paulo, qui « non ab homine neque per hominem » Evangelium didicerat (2), in fide fuerat edoctus ; secundo, propter propriam suam conditionem, utpote qui ab infantia in sacris litteris fuerat instructus : turpe enim est homini nutrito in bono a pueritia, in senectute deficere (3). Mox vero elogium Scripturarum subnectit, de quo nunc agendum. Dicit itaque S. Paulus : « Ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia etc. ». In textu græco legimus : απο βρεφους τα ιερα γραμματα οιδας τα δυναμενα σε σοφισαι εις σωτηριαν δια πιστεως της εν Χριστω Ιησου. Πασα γραφη θεοπνευστος, και ωφελιμος προς διδασκαλιαν, προς ελεγχον κ. τ. λ. Ista nunc paucis sunt elucidanda. Et quidem 1° evidens est S. Paulum hic loqui de *Sacra Scriptura.* Etenim jam vidimus hanc solam nomine « sacræ litteræ τα ιερα γραμματα (cum art.) » penes Judæos et hagiographos insigniri consuevisse. 2° Agit *saltem* de libris Vet. Test., quos tunc Judæi in suo canone habebant. Sermo namque est de sacris litteris, quas Timotheus « filius mulieris Judææ fidelis « (4) ab infantia legere instituerat. Dixi *saltem*, siquidem tempore, quo Apostolus hanc Epistolam scripsit, jam aliquos Nov. Test. libros Scripturis annumeratos fuisse compertum habemus ex altera Petri epistola (5), atque idcirco, posset quis voce « omnis Scriptura » in v. 16

(1) Decret. pro Jacobitis. (2) Gal. I, 1. (3) Sunt verba S. Thomæ in h. l. (4) Act. XVI, 1. (5) II Pet. I, 14, 15.

pariter illos comprehendere. Ast quia in v. 15 locutio *sacræ litteræ* certe non eo usque sese exporrigit et dubia res est in v. seq., nolumus acriter contendere locutionem πασα γραφη aliquos Nov. Test. libros etiam complecti. Neque 3° diutius immorabimur in conquirendo, utra lectio præferenda sit, græca an latina : discrimen enim inter utrumque textum non afficit vim nostræ argumentationis; verum solummodo quod secundum textum græcum expresse *affirmatur* et *asseritur*, secundum latinum jam ut notum *supponitur* et *assumitur*. Profecto in græco post vocem θεοπνευστος habetur vocula και, quæ latine reddita non est; ex altera vero parte adest in textu latino verbum copulativum *est*, quod deest in græco, sed quod evidenter est supplendum. Cum porro græca lectio critice præferenda videatur, retinendum est illud και, quo θεοπνευστος cum ωφελιμος conjungitur, ideoque verbum εστι supplendum est immediate post πασα γραφη (vel post ωφελιμος, quod idem est), adeo ut legi debeat : πασα γραφη εστι θεοπνευστος και ωφελιμος κ. τ. λ. (1). Itaque θεοπνευστον non est appositum seu pars subjecti, ut visum est interpreti latino, sed ejus prædicatum itidem ac ωφελιμος. Idcirco græca Pauli verba ita vertenda sunt : *Omnis Scriptura est divinitus inspirata et utilis ad docendum* (2). Tandem 4° latinum

(1) Frustra hanc consequentiam elidere quis tentaret, ponendo illud και non esse nudam conjunctionem, sed æquipollere latino adverbio *etiam*, ac consequenter illud ellipticum εστι inseri posse inter θεοπνευστος et και ωφελιμος; quo posito vertendum esset : « Omnis Scriptura divinitus inspirata *est etiam* utilis » sicque græcum θεοπνευστος maneret pars subjecti. Illud enim putare vetat vis adverbii *etiam*, quod rei, quæ in enuntiatione primas partes agit, aliquid adjungit. Porro Scripturæ utilitas est illud ipsum quod in præcipua Scripturarum laude a Paulo ponitur, et quo, veluti ad finem, ipsa inspiratio dirigitur. Illud solum concedimus, voculam και non esse meram et simplicem copulam, sed emphatice exprimere consecutionem, quæ est inter utrumque prædicatum, adeo ut sensus sit : Scriptura est divinitus inspirata *et ideo* utilis etc. Hoc omnino suadet ductus et nexus sermonis : phrasis enim *Omnis Scriptura* etc. αιτιολογικη est reddítque rationem præcedentis. V. P. Patritium. In comment. § V.

(2) Dixi idem momentum inesse Pauli testimonio sive latina lectio sive

omnis Scriptura hic non sumendum esse sensu *collectivo pro tota Scriptura* seu *tota Scripturarum collectione*, sed sensu *distributivo* de omnibus et singulis scriptis, quibus illud nomen *Scripturæ* proprium est, persuadet phrasis græca πασα γραφη sine articulo (1); sensus igitur est : *quæcumque Scriptura* est inspirata et utilis. Jamvero ex contextu manifestum est S. Paulum non agere de qualibet Scriptura etiam profana, sed de illa quam supra sacras litteras appellaverat et cui nomen illud Scripturæ tribuitur. Pariter notum est non solum integram collectionem librorum, sed et singulos libros imo et partes et singulares textus sæpius *Scripturam* appellari. Sed de hac vi extensiva plura inferius.

Age jam nunc, quid sibi vult S. Paulus, dum affirmat omnem Scripturam esse divinitus inspiratam? Vox illa θεοπνευστος alibi non occurrit in textu græco Sacræ Scripturæ. Interpres noster eam vertit per vocem « divinitus inspirata », qua etiam reddidit illud S. Petri : υπο πνευματος αγιου φερομενοι. Et reapse synonyma sunt hæc duo : θεοπνευεσθαι divinitus afflari, et υπο πνευματος αγιου φερεσθαι a Sancto Spiritu agi. Quare etiam apud profanos scriptores hæc duo verba : *afflari* et *inspirari* promiscue usurpantur. Virgilius de Sibylla, quam alias *afflatam numine* vocat (2), scribit : magnam cui mentem animumque Delius *inspirat* vates (3). Porro locutione

græca sumatur. Sive enim in priore illud appositum : *divinitus inspirata* ponatur esse διακριτικον, quod valeret : Omnis Scriptura, *quæ est* divinitus inspirata, sive αιτιωδες, quod esset : *utpote* divinitus inspirata, semper significatur Scripturam esse divinitus inspiratam, non secus ac in græco, quamvis in priore enarratione non indicetur quænam præcise illa sit, in secunda illud tamquam notum supponitur. Quum autem revera illud qua omnibus compertum assumat Paulus, ut elucet ex nomine excellentiæ γραφη, tum ex phrasi τα ιερα γραμματα (cum art.), multo verisimilius est in textu latino appositum *inspirata* αιτιωδες esse; sensus enim appositi διακριτικου redderet phrasim tautologicam. V. Patritium l. c.

(1) Videsis Patritium l. c. et Beelen, in Grammat. Græcitatis N. T. sect. III, § 17. Hic consequenter in præclara sua versione belgica ex textu latino sic vertit : *Alle van God ingegeven Schrift* etc.

(2) Æn. l. VI, v. 50. (3) Ib. v. 11, 12.

utraque significatur communiter vis excitans et impellens, divinitus in animum immissa, ad insolita et grandia, quæ communes vires superant aut superare videntur. Hinc propheta audit *vir spiritualis* ανθρωπος πνευματοφορος אִישׁ הָרוּחַ i. e. vir spiritus, qui nempe habet spiritum et ab eo movetur ac agitur (1). Hæc Spiritus S. actio describitur : « Spiritus Dei irruit, insilit in prophetas » (2), ejusque finis est ut populo nuntient Dei voluntatem et consilia. Unde prophetæ vocantur *quasi os Domini, habent verba Dei in ore suo* (3), *sunt acti et afflati numine, numineque pleni, loquunturque non voluntate humana sed sub actione Spiritus Sancti*, ut supra vidimus . Itaque sacri scriptores non suo, uti profani historici et philosophi, sed Spiritus Sancti instinctu, judicio et ductu sensa conscribunt.

Ex hisce concludimus cum Em. Card. Franzelin « inspirationem *active* esse ipsam supernaturalem actionem Dei in hominem, qua eum evehit, promovet et permovet ad manifestandum seu efferendum id, quod Deus vult; *passive* esse ipsum statum hominis ita affecti; denique verbum ipsum, quod homo inspiratus effert sive per actionem symbolicam sive per locutionem sive per scriptionem, esse et dici *inspiratum terminative*, quatenus est effectus divinæ operationis *inspirationis activæ*. Consequenter quando Scriptura ipsa dicitur inspirata, inspiratio seu actio Dei intelligi debet *terminative* ut causa efficiens Scripturæ, et Scriptura ut effectus Dei inspirantis » (4). Paulus ergo docet causam adæquatam Scripturarum esse τον θεοπνευστον, scilicet causam principem seu Deum et causam subjugem seu hominem, qui una et indivisibili actione operantur, cujus effectus et terminus est Scriptura, ideoque testatur Apostolus Deum per *homines inspiratos* esse efficientem causam et *auctorem Scripturæ*.

(1) Os. XI, 7. (2) Ezech. XI, 5; I Reg. X, 10. (3) Jer. XV, 19; I, 9. (4) Thes. II.

ART. III. ADUMBRATUR ARGUMENTUM DESUMPTUM EX TRADITIONE ECCLESIASTICA.

In antegressis paucis ostendimus depositum, quod Apostoli post Christum legarunt Ecclesiæ, omnes omnino complecti veritates divinitus nobis revelatas. Ad Traditionis itaque monumenta recurramus oportet, ut etiam ex hoc divinæ revelationis fonte inspirationis dogma comprobemus. Contra eos, qui divinam auctoritatem Traditionis catholicæ haud admittunt, hæc antiquitatis testimonia non formaliter ut talia assumimus, sed unice velut historica documenta fidei Ecclesiæ et consequenter doctrinæ Apostolicæ (1). Quo autem plenior sit hujus argumenti expositio ejusque vis magis appareat, seorsum afferemus 1° praxim et sensum Ecclesiæ, 2° testimonia diserta SS. Patrum et 3° consensum hæreticorum.

I. Perpetua et constans fuit persuasio cum simplicium fidelium, tum pastorum doctorumque Ecclesiæ, de divina inspiratione Sacrorum Bibliorum. Hoc luculentissime apparet ex eorum agendi ratione. Quod enim spectat ad simplices fideles, notissimum est eos semper ingens notasse discrimen libros sacros inter et alios libros non modo profanos sed et religiosos maximeque venerandos, imo etiam infallibiles, uti canones et decreta Conciliorum : videlicet illos, saltem confuse, considerarunt ut divinam originem habentes,

(1) Notandum hic est, objectum immediatum testificationis Ecclesiæ sanctorumque Patrum non esse ipsum internum inspirationis factum, verum revelationem publicam a Christo Apostolisque factam de inspiratione Scripturarum. Hoc pacto refellitur id quod Michaëlis Introd. in N. T. tom. I, p. I, c. III, sect. 2, insulse regerit contra argumentum petitum ex Traditione, scilicet Patres non posse testimonium perhibere de facto ex natura sua occulto sensibusque impervio. Profecto si talis objectio valeret, testificatio Traditionis ad pauca dogmata sese protenderet. Quare etiam inter ipsos protestantes laudatus Cellerier hic eum vellicat : « Michaëlis rabaisse trop, à mon avis, l'autorité du témoignage de la première Église, sur un fait qu'elle seule a pu connaître, et sur lequel nous avons par nous-mêmes fort peu de données », Part. 2, sect. VIII.

hos vero, ut libros confectos ab hominibus, quamvis, in his nempe ultimis, assistentia divina munitis. Ex hac theoretica persuasione varii in praxim dimanarunt usus pii, qui firmam illam fidem patefaciunt : flexis genibus vel alio honesto situ et habitu legunt vel audiunt Scripturarum lectionem ; in negotiis magni momenti juramentum præstant manu extensa supra Biblia ; codices sacros cum maxima reverentia asservant ; eos celare vel e profanorum manibus eripere satagunt, necnon atrocissima tormenta, quin et ipsam mortem, perferre malunt, quam eos gentilibus tradere (1). Ad doctores et pastores vero quod attinet, ii semper omnem operam navarunt tum sacris codicibus ab omni nævo et quacumque levissima corruptione custodiendis, tum certis ac genuinis libris a spuriis, cæterum etiam piis maximeque probatis, secernendis. Illud liquido apparuit in celebri illa controversia de canone librorum sacrorum. Dubitatio enim, quæ sæculis tertio et subsequentibus, circa canonicitatem aliquot librorum enata est, statim effecit, ut penes eos, qui traditionem Ecclesiæ Romanæ non sat perspectam haberent, libri sacri ab omnibus sine controversia veluti inspirati habiti (ομολογουμενοι) sedulo distinguerentur tam ab iis, de quorum divina origine a nonnullis dubitabatur (αντιλεγομενοι, αμφιβαλλομενοι), quam ab iis, qui certo erant apocryphi seu spurii (νοθοι, αποκρυφοι). Similiter ab ipsis Ecclesiæ exordiis SS. Patres totis viribus adlaborarunt in operibus polemicis et in suis homeliis, atque hodiedum in hoc insudant sacri interpretes, ut explanent obscura loca, quæ in Scripturis abundant, necnon ut aliquando occurrentes antilogias apparentes quam commodissime solvant. Numquam vero Patres sequiorisque ætatis interpretes, etiam ubi difficillima, imo etiam pro tempore impossibilis videbatur directa Scripturæ conciliatio cum historia profana, v. gr. vel cum humanarum scientiarum inventis, numquam, inquam, ausi sunt concedere adversariis in Scripturis certo genuinis aliquem errorem vel aliquid minus accuratum inveniri. Hanc autem

(1) V. *Martyrologium Romanum*, die 2 januarii.

omnimodam erroris absentiam non inde repetebant, quod ab auctoribus veracibus, vel simplici divina assistentia munitis illi libri conscripti essent, sed quod a viris divinitus inspiratis et sub afflatu Spiritus S. scribentibus exarati essent, adeoque Deus esset illorum auctor.

II. *Ex disertis et explicitis Patrum testimoniis* mirifice confirmatur, quod modo dictum fuit. Impossibile est hic loci omnium Patrum testimonia congerere; sufficiet præcipuorum unum alterumve adduxisse textum, in quo magis indubitanter hoc dogma adstruitur.

Imprimis S. Clemens Rom. qui agmen ducit Patrum Apostolicorum, scribit in sua Epistola I ad Corinthios : « Diligenter inspicite Scripturas, *Spiritus Sancti vera oracula*, attendite : nil injustum neque perversum in illis scriptum est » (1). Quæ scripta sunt apud Prophetas, illa ipsa Spiritus Sanctus dicit (2); S. Paulus in Spiritu Sancto ad Corinthios litteras dedit (3). Adducit locum quemdam Psalmorum sub hac formula : « *Ipse* (Christus) *etenim per Spiritum Sanctum nos compellat* » (4). Juxta S. Justinum sacris Scriptoribus non opus erat artificio sermonum, « sed tantummodo se ipsos mundos exhibere operationi divini Spiritus, ut ipsum divinum plectrum e cœlo subiens, ac veluti instrumentum citharæ vel lyræ adhibens viros sanctos, nobis revelaret cognitionem rerum divinarum et cœlestium » (5) S. Irenæus Scripturas Verbo Dei tribuit : « Scripturæ quidem perfectæ sunt, *quippe a Verbo Dei et Spiritu ejus dictæ* » (6) Bibliorum auctorem agnoscit Spiritum Sanctum : « Ceterum potuerat dicere Matthæus : Jesu vero generatio sic erat; sed prævidens *Spiritus Sanctus* depravatores, et præmuniens contra fraudulentiam eorum, *per Matthæum ait* : etc. » (7). Utriusque Testamenti auctor est Deus, qui quidem particularia in utroque testamento dedit, sed summa et eminentiora in utroque condidit (8). Addimus anonymum

(1) N, 45. (2) NN. 13, 16. (3) N. 47. (4) N. 22. (5) Cohort. ad Græcos, n. 8. (6) Libr. II, c. 28. edit. Massuet. (7) Lib. III, c. 16. (8) L. IV, c. 12, n. 3.

auctorem incertæ ætatis sed antiquissimum ab Eusebio laudatum (1), qui contra Artemonis hæresim disputans scripsit : « Sacras quidem Scripturas audacter adulteraverunt... Quanto ergo audaciæ sit ejusmodi facinus, ne ipsos quidem ignorare credibile est. Aut enim *Sacras Scripturas a Spiritu Sancto dictatas esse non credunt, ac proinde infideles sunt*; aut semetipsos Spiritu Sancto sapientiores esse existimant, ac proinde quid aliud sunt quam dæmoniaci? ». Clemens Alexandrinus affirmat Scripturas *a Deo datas esse* : « Accipitur, inquit, ut certa demonstratio *vox Dei, qui dedit Scripturas* ». Prophetas inspiratos dicit ἐμπνευσθέντες, dum citat testimonium ex Proverbiis (2). Eodem sæculo III mediante, Origenes explicans prima verba Lucæ : *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem*, hæc scribit : « Hoc, quod ait : conati sunt, latentem habet accusationem eorum, qui *absque gratia Spiritus Sancti* ad scribenda Evangelia prosilierunt, Matthæus quippe et Marcus et Johannes et Lucas non sunt conati scribere, sed *Spiritu Sancto pleni scripserunt* Evangelia. » In libro vero IV de principiis affirmat « sacros libros *non hominum esse scripta, sed ex inspiratione Spiritus Sancti voluntate Patris universorum per Jesum Christum eos scriptos esse* et ad nos pervenisse » (3). Et infra docet « non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino (ut ita dixerim) ca-

(1) Lib. V, cap. XXVIII. (2) Strom. l. XVII.

(3) Origenes plurima coacervat argumenta ad probandam inspirationem. Verum equidem est, eorum pleraque solummodo ad divinitatem librorum ratione materiæ concludere, non autem ratione scriptionis. Nihilominus ipsum hanc divinam originem libris tribuisse oppido liquet, tum ex adductis ejus effatis, quorum plura evidenter de scriptione sunt accipienda, tum ex ejus mente aliunde nota. Videlicet ipse Origenes, et quidem multo magis quam reliqui Patres, iis omnibus, quæ in libris sanctis sunt scripta, sensum mysticum adscribit. Ita dicit omnia quæ scripta sunt de origine mundi, de tentatione Christi, sensum spiritalem habere a Spiritu Sancto dictante intentum. Porro in hanc persuasionem eo solum devenire potuit, quod firmiter teneret a Spiritu Sancto esse exarata Biblia. Quando itaque Origenes in probanda divina horum origine multum insistit in prophetiis quæ in illis continentur, dicendum est eum præcipue habuisse præ oculis inspirationem illam, quæ cum revelatione est conjuncta.

thurno libros conscriptos. » Et in decursu cap. II ait « Sanctum Spiritum sacras litteras conscribi inspirasse ».

Prætermissis jam Athenagora, Theophilo Antiocheno, Hippolyto, Cypriano, aliisque hujus sæculi scriptoribus, aliqua proferamus testimonia Patrum subsequentium ætatum. S. Athanasius de omni Scriptura ait : « Omnis quidem apud nos, sive nova sive vetus Scriptura *Numinis afflatu prodiit*, et idonea est ad erudiendum » (1). S. Ambrosius : « non secundum artem scripserunt (nostri auctores) *sed secundum gratiam*, quæ super omnem artem est, *scripserunt enim quæ Spiritus Sanctus iis loqui dabat* » (2). Idem S. Pater in eumdem locum Lucæ, quem supra enarratum vidimus apud Origenem, inquit : « Multi conati sunt, sed Dei gratia destituti sunt... non conatus est Matthæus, non conatus est Marcus..., sed *Divino Spiritu ubertatem dictorum, rerumque omnium ministrante*, sine ullo molimine cœpta compleverunt. » Omissis rursus effatis SS. Cyrilli Hier., Basilii, Hieronymi, Hilarii, Chrysostomi, audiamus D. Augustinum : « *Deus*, inquit, prius per prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos locutus, etiam *Scripturam condidit*, quæ canonica nominatur altissimæ auctoritatis » (3). Testatur hanc fidem fuisse universalem in Ecclesia : « non immerito cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum non pauci in scholis atque gymnasiis litigiosis disputationibus garruli, sed in agris atque in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt » (4). Denique expressissime docet sacros scriptores fuisse solummodo instrumenta : « Itaque cum illi (discipuli) scripserunt, quæ ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit : quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. *Quidquid enim de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.* Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordiam membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter

(1) Epist. ad Marcellinum. *De Interpret. Psalmorum.* (2) Epist. 8, ad Justum, n. I. (3) *De Civ. Dei* l. XI, c. 3. (4) Ib. l. XVIII. c. 41, n. 1.

accipiet, quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si *ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit*» (1). Tandem nullibi clarius exponit mentem suam tum de facto, tum de modo inspirationis, quam ubi solvit difficultatem, quæ apud Matthæum XXVI, 9, omnium oculos offendit, ubi videlicet Evangelista aliquem textum tribuit Jeremiæ, qui reapse est Zachariæ (2). Propositis vero variis solutionibus, hanc etiam adfert, quæ dicit Spiritum Sanctum hunc aliqualem errorem permisisse, ut ostenderet se solum esse omnium prophetarum inspiratorem, ipsumque esse Scripturarum principalem auctorem, ac consequenter perinde esse cuinam prophetæ, utpote instrumento, aliquis locus tribuatur. Qua in explanatione duo occurrunt, scilicet tum mentes Evangelistarum in scribendo secretiore consilio Providentiæ Dei gubernari, tum eorum recordationem a Spiritu S. regi, illudque memoriæ occurrere, quod Dominus scribi constituit; atque idcirco indubitanter accipi debere, quæcumque per eos Spiritus S. dixit, et singula esse omnium et omnia singulorum. Pariter Patres Conc. Œcum. V damnarunt Theodorum Mopsuestenum, quia de libris Salomonis asseruerat, quod « scripti non sint per gratiam propheticam, sed per gratiam prudentiæ, quæ evidenter altera est præter illam »; deinde etiam quia reprobaverat librum Job » contra *conscriptorem ejus, id est Spiritum Sanctum*, dicens quod pagana sapiens hunc librum conscripsit, et quod « non oportet collaudare *codicem* Cantici Canticorum, sicut habentem propheticam dictationem bonorum Ecclesiæ » (3). Postremo S. Gregorius M. in præfatione ad librum Job hæc præclarissima habet : « Quis hæc scripserit valde supervacue quæritur, cum tamen *auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui scribenda dictavit : Ipse scripsit qui et in illius opere inspirator*

(1) *De Cons. Evangel.* l. I, c. 54. (2) Ib. l. III, n. 30. Ibidem inter alias etiam affert hanc solutionem « non omnes codices Evangeliorum habere, *quod per Jeremiam dictum est*, sed tantummodo *per prophetam* ».

(3) V. *Acta Conc. V.* Act. IV, nn. 63, 66, 68, 71.

exstitit et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, sed quo calamo essent scripta quæreremus, ridiculum profecto esset, Epistolarum auctorem scire sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare. Cum ergo rem cognoscimus *ejusque rei Spiritum Sanctum auctorem tenemus*, quia scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras de calamo percunctamur? »

Sed jam sufficiat ex innumeris locis hæc pauca adduxisse (1). Abunde claret SS. Patrum unanimem fidem ac persuasionem fuisse *Scripturas esse a Deo dictas; illas esse conscriptas per Spiritum Sanctum, per operationem Spiritus Sancti, ideoque eas esse Epistolas Dei ad homines; Deum condidisse et dedisse Scripturas, sacros libros esse tantummodo conscriptos ab homine in quantum homo instrumentum fuit in manibus Dei, et sub directione Spiritus Sancti.* Hanc occultam et specialem conjunctionem hominum inspiratorum cum Deo inspirante illustrant SS. Patres ex analoga conjunctione in ordine supernaturali membrorum Christi cum capite Christo, atque miram illam conjunctionem elementi humani et elementi divini in ipsis scriptis inspiratis pariter analogice declarant ex ineffabili unione naturæ divinæ et humanæ in Christo (2).

Age nunc Patres illi sunt ex diversis Ecclesiis omnium Patriarchatuum, omnium ætatum, a primo usque ad septimum sæculum. Continetur igitur in perpetua et universali prædicatione Ecclesiastica illud ipsum expressum, quod ex doctrina Christi et Apostolorum deduximus, Scripturas esse exaratas sub afflatu Spiritus Sancti et habere proinde Deum auctorem.

III. Hæc nostra conclusio luculentissime confirmatur ex unanimi consensu omnium hæreticorum, qui decursu ætatum

(1) Videsis alia ap. Em. Franzelin, Th. II; Illustr. Lamy. Intr. I p. c. II, n. 26 seqq.; Ubaldi Th. XLIV aliosque. (2) Cf. Rupertum Tuit. in Is. l. II, c. 31 et Rabanum Maurum, *in Prologo expositionum in Leviticum.*

defecerunt ab unione et fide Ecclesiæ Romanæ. Nulla fuit inter innumeras illas sectas, quæ umquam matri derelictæ hanc doctrinam exprobraverit, quasi esset inventum mere humanum, non vero apostolicæ originis. Quinimo in libris sacris, tamquam in communi fonte divino, omnes suorum placitorum præsidium conquirere consueverunt. Quodsi quando perversi quidam hæretici canonem librorum sacrorum mutilarunt, expungendo e catalogo libros, qui suis commentis contradicebant, numquam tamen inspirationem divinam Bibliorum universim aggredi sunt ausi. Idcirco etiam, quum sæculo decimo septimo rationalistæ, uti Spinosa, Tölner, Semler aliique audacter illud dogma primum in dubium vocare, deinde superbe negare adorti sunt, adversum novam hanc hæresim quasi uno ore reclamarunt quotquot eorum nomine christiano sese adhucdum honestabant. Porro si consideratur libros sacros olim quotidie legi in cœtibus Christianorum, atque in omnium fidelium manibus volvi consuevisse, manifestum fit hocce quasi practicum et quotidianæ professionis dogma, non induci potuisse aliqua innovatione vel exaggerata erga libros sacros veneratione, sed non aliunde potuisse derivari, nisi ex doctrina Christi et Apostolorum; hæreticos vero in sua separatione a communi matre Ecclesia hunc librorum catalogum una cum persuasione de eorum *θεοπνευστια* secum asportasse, non vero postmodum cum Ecclesia Romana in aliquam novitatem conspirasse.

Illa omnia verissima sunt, utut argumentum historice solum et critice spectetur. Quod si vero Traditio spectatur *sensu catholico*, quatenus nempe est custoditio pura et integra depositi fidei sub infallibili assistentia Spiritus Sancti, absolute repugnat, ut universa Ecclesia illud inspirationis dogma profiteatur, nisi illos libros ceu divinitus inspiratos ab Apostolis acceperit. Itaque sequendo præceptum Vincentii Lirinensis « id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim vere proprieque catholicum » (1).

(1) Commonit. n. 2.

EPILOGUS.

Quæ hucusque attulimus argumenta, satis superque probare nobis videntur, quod intendimus, videlicet dogma revelatum esse, libros Sacræ Scripturæ sub inspiratione Spiritus Sancti fuisse conscriptos ac consequenter Deum habere auctorem. Quapropter Scripturæ recte dicuntur : *libri Dei*, vel plenius et clarius *libri Deo inspirante conscripti*. In hac ultima appellatione vox *libri* designat genus, ac proin quatenus Scripturæ libri sunt, a cæteris libris generice haud discrepant. Quidquid igitur horum proprium est, illarum quoque sit oportet, nimirum ut litteris, vocibus, sententiarumque complexu constent, atque tali forma exteriore sint conformatæ, ut secundum communem loquendi usum nomine librorum ab aliis scriptis discernantur : secus negandum esset Scripturas libros esse. Forma specifica seu ultima differentia continetur verbis : *Deo inspirante conscripti*. Apparet eam a solo auctore repeti. Porro hæc formula est adæquata Bibliorum definitio, quippe quæ omni et soli definito convenit, hoc est, tum totum definitum, tum quidquid hujus unius in toto genere proprium est, comprehendit. Contra hanc autem legem peccant ii, qui Scripturas definiunt *libros divinos* vel *libros divinitus conscriptos*. Enimvero prior *a)* neque solis Scripturis propria est, utpote quæ decretis dogmaticis Conciliorum œcumenicorum, si ad materiam spectes, etiam convenit, *b)* neque omnibus Scripturis sub hoc respectu applicari valet, siquidem illa Bibliorum capita, in quibus factum aut dictum, sive impium sive turpe relatum est, utique Scripturæ sunt, quippe Deo inspirante conscripta, tamen quantum ad materiam divina ista nec haberi nec dici fas est. Posterior vero in eo peccat, quod non solis Scripturis propria sit, cum dogmatica Ecclesiæ decreta, si ad opem spectes, qua Deus in his conficiendis doctores Ecclesiæ juvit, *libros divinitus conscriptos* verissime dixeris, quamquam illi auxilio positivo, quod inspiratio audit, in iis scribendis nullæ fuerint partes, unde neque pro Scripturis habenda ea sunt. Itaque voces *Deo inspirante conscripti* exclu-

dunt e censu Scripturarum tum libros, qui nonnisi ratione materiæ sunt divini, tum etiam definitiones Ecclesiæ aliave documenta, quæ sub divina dumtaxat assistentia confecta fuerunt, ac consequenter tradunt differentiam ultimam, quæ cum genere proximo *libri* specificam Scripturarum naturam determinant.

Sed et libri sacri haud infrequenter dicuntur *verbum Dei scriptum*, quo nomine communiter discernuntur a *verbo Dei tradito*, i. e. a veritatibus revelatis sola Traditione propagatis. Porro liquet oppido *verbum Dei* hic non designare increatum Dei Verbum seu terminum divinæ intellectionis notionalis, qui solus est Filius Dei, uti se intellexisse stolide finxit Latheranus Libavius (1), verum sumi de verbo Dei creato, quod ad extra respicit attingitque rationales creaturas. Intelligitur nempe terminus cujuscumque locutionis Dei, per quam divinæ suæ intellectionis sensa modo intelligibili ad creaturas transmittit (2). Porro hujus cujuscumque locutionis divinæ terminus dicitur *verbum Dei*. Ubi vero designat S. Scripturam, hæc generica appellatio restringitur et specificatur addito *scriptum*. Quocirca notetur, phrasim « *verbum Dei scriptum* » pro Scripturis sumptam, non accipi dumtaxat sensu objectivo seu materiali et specificativo, quasi illi libri solummodo continerent verbum Dei, quod in eis quocumque tandem modo litteris esset mandatum : hoc sensu pluribus aliis, uti decretis conciliariis, homiliis SS. Patrum, sed et plerisque divinis traditionibus commune foret nomen istud; verum accipi etiam et quidem magis proprie sensu formali et reduplicativo, i. e. Scripturæ sunt verbum Dei *ratione suæ scriptionis*, seu sunt terminus ipsius locutionis divinæ, ideo quod Deo inspirante fuerunt

(1) Vide apud Serarium cap. II, quæst. V, quæ contra prætensam hanc inscitiam effutiit ille protestans.

(2) Dico : *modo intelligibili*, nam ad perfectam locutionem requiritur, ut ille ad quem locutio dirigitur, in notitiam conceptuum loquentis veniat; sufficit autem ut illud fiat per interpretem, prouti accidit quoad symbola et somnia, quibus monuit Deus Pharaonem ejusque eunuchos, Balthazar aliosque.

conscriptæ, ac Deus sensa sua per illa scripta tamquam per suas epistolas immediate hominibus manifestavit. Licet autem hæc formula hocce sensu intellecta vere conveniat Scripturæ, ejusque originem, dignitatem auctoritatemque compendiose exprimat, ejus tamen definitio stricte loquendo dici nequit, non modo quia haud definite enuntiat divinam librorum originem ratione scriptionis, verum etiam quia hoc nomine quoque comprehenduntur ea, quæ, quoniam libri non sunt, haud jure Scripturas dixeris, v. gr. ipsas tabulas legis Moysi a Deo traditas; verba *Mane, Thecel, Phares* descripta in pariete; item ea quæ Christus *digito scribebat in terra* : hæc strictissimo sensu sunt verbum Dei scriptum, a nemine tamen libris sacris accensentur.

Corollarium I. Ex divina origine Scripturarum illico liquet Biblia esse vera, non tantum veritate illa, quæ a metaphysicis dicitur veritas transcendentalis essendi, quæ omnibus entibus inest et cum ipsis identificatur, sed et veritate in significando, quæ dicitur veritas moralis manifestationis seu veracitas. Hæc autem oritur ex veritate formali, quæ est in intellectu, et ex veracitate, quæ pertinet ad voluntatem. Jamvero Deus est substantialiter prima veritas formalis, quatenus est intellectus infinitus identificatus cum infinita substantia, et ideo substantialis intellectio veri infiniti atque in eo omnis veri; est etiam prima veritas moralis, quatenus est ipsa rectitudo, exemplar, principium et finis omnis rectitudinis creatæ. Deus est ergo summa veritas, quæ nec falli nec fallere potest, adeoque omne verbum quod loquitur sive dicto, sive scripto, sive alio quocumque signo est suo objecto conforme seu verum veritate morali et manifestationis. Veritas igitur Bibliorum consistit formaliter seu essentialiter in conformitate scriptorum cum rebus per verba significatis; efficienter vero est ab ipso loquente seu dictante Deo. Igitur omnia, quæ Deo inspirante in Bibliis sunt conscripta, vera sunt ipsa Dei veritate et veracitate, sub ea saltem ratione reflexa sub qua et quo sensu ex Dei intentione sunt scripta in libro (1).

(1) Ista ultima subjungimus propter varium modum, quo singula in

Corollarium II. Jure pariter infertur Scripturam habere auctoritatem divinam ac proinde a parte nostra firmam fidem, promptam obedientiam submissamque reverentiam eidem deberi. Merito itaque appellatur ἀξιοπιστη, id est, fide digna et quidem fide divina. Motivum namque seu objectum formale hujus fidei est auctoritas Dei revelantis seu attestantis aliquam veritatem; quoniam itaque Scriptura est verbum Dei, hoc est, ipsa veluti epistola, qua Deus hominibus sensa sua scripto manifestat, idcirco quibuscumque in his libris assertis cum auxilio gratiæ assensum fidei supernaturalis præstare omnes tenentur. Huc faciunt verba S. Augustini : « Titubabit fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas » (2).

Corollarium III. Quoniam itaque Scripturæ sunt verbum Dei, earumque divina origo infallibili et authentico Ecclesiæ magisterio omnibus Christianis credenda proponitur, ipsæ constituunt peculiarem et publicum revelationis catholicæ fontem. Nimirum Spiritus Sanctus illos libros condidit, eo fine ut ex iis, quamvis non ex iis solis, authentici Ecclesiæ doctores singulique fideles, sub horum tutela et directione, veritates credendas haurirent. Quod hic dicimus, veluti proprium vindicatur libris sacris, quos in canone habemus. Utrum autem dari etiam possint libri ad privatam hominum utilitatem sub divino afflatu conscripti, illud profecto absolute impossibile esse dici nequit, etiam post consummationem revelationis catholicæ. Verum cum propositio verbi *per libros* a Deo facta, saltem secundum ordinariam librorum destinationem, non videatur posse concipi per modum revelationis privatæ, sed ex natura sua sit publica, de facto talis scriptio privata haud exstare prudenter conjicitur. Hujusmodi tamen scriptum, si dari contingeret, cum nostris Scripturis *generice* quidem conveniret, eo quod esset verbum Dei scriptum, eorumque, quibus de hujusmodi divina origine certissime constaret, divinam fidem exigeret; ab istis tamen

Scripturis habenda sunt verbum Dei, ut in fine seq. sect. adfatim enarrabimus. (2) Lib. I, *de doctr. Christ.* cap. 37.

specifice differret, quia ex intentione Dei inspirantis nec publicam auctoritatem, neque destinationem universalem haberet : verbo, de talibus libris idem esset sentiendum, quod de revelationibus privatis. Charisma igitur publicum inspirationis, sicut et publica revelatio, pertinet ad statum Ecclesiæ primitivum et extraordinarium.

Corollarium IV. Ex jam dictis fas pariter est colligere inspirationem haud vergere per se et ex primaria Dei intentione ad personalem accipientis sanctificationem seu propriam hagiographi salutem, verum spectare ad ordinem supernaturalem ministerii, quo actus exseruntur in bonum supernaturale omnium totius Ecclesiæ membrorum. Consequenter probe pervides, illud donum indebitum, quo scriptores sacri numine afflati loquuntur et tamquam instrumenta operationi Spiritus sese permittunt, pertinere ad charismata supernaturalia, quæ nomine generico, sed significatione specifica *gratiæ gratis datæ* vocari assolent. Charisma autem θεοπνευστιας ad scribendum revocatur ad donum prophetiæ generice acceptum, ac ideo hagiographi latiori sensu prophetæ audiunt. Quamvis porro divina inspiratio active et causaliter spectata communis sit tribus Personis Sanctissimæ Trinitatis, utpote operatio ad extra, nihilominus tam in Scripturarum oraculis quam in disertissimis Patrum effatis, *per appropriationem* tribuitur Spiritui S. Hujus vero attributionis fundamentum præcipuum est in hujus charismatis modo atque fine, quatenus nempe cognationem illa involvunt cum proprietate personali Spiritus S.: quemadmodum videlicet Spiritus S. a Patre Filioque procedit per spirationem, ita spiratione existit verbum scriptum ; ac rursus Spiritui S., quippe qui procedit per dilectionem, appropriatur omnis effectio charismatum sanctificantium; quapropter verbum Dei revelatum ac nominatim scriptum, quod potissimum est medium sanctificationis, ei qua auctori merito adscribitur.

SECTIO TERTIA.

De genuino Inspirationis conceptu ejusque propria ratione.

STATUS QUÆSTIONIS AC TRACTANDORUM CONSPECTUS.

Postquam ex præstitutis argumentorum fontibus generatim probavimus Sacram Scripturam divinitus inspiratam adeoque origine esse divinam, duplex præ scopo nostro tractanda superest quæstio : prior nempe de vera natura et proprio conceptu hujus supernaturalis charismatis, posterior autem de reali hujus divinæ operationis extensione in Sacræ Scripturæ libris. Verum cum hæc ultima quæstio, utrum videlicet antecedens divinus ille influxus sese porrigat ad singulas veritates in Scripturis enuntiatas vel etiam ad singula earumdem verba, cum sufficienti perspicuitate vix edisseri queat, quin accurata et distincta illius charismatis notio habeatur, de inspirationis limitibus in subsequenti sectione agemus, nunc primum in propriam ejus rationem subtilius inquisituri. Porro in distincto hujus conceptu accurate definiendo theologi in diversas abierunt sententias, quarum aliquæ utpote aperte falsæ, jamdiu fuerunt explosæ, aliæ demum, licet nondum expresse damnatæ, per defectum vel excessum peccare magno consensu modo demonstrantur. Nimirum inde a temporibus Concilii Vaticani, quod iterato sancivit pressiusque definivit formulam, qua Deus dicitur *auctor librorum Sacræ Scripturæ*, concordes magis reperiuntur catholici in iis determinandis, quæ in hoc psycologico mysterio internoscere nobis licet. Quamvis quidem Vaticana synodus singulas notas, quibus constat divina inspiratio, et quæ requiruntur, ut Deus dici possit auctor librorum, ex-

presse non definiverit, nihilominus præter duplicem errorem quem directe excludit, talem positive edidit definitionem, ex qua per conclusionem theologicam, statuendo videlicet quid requiratur quidve sufficiat ad hoc, ut Deus dici possit auctor librorum Scripturæ, notio sat distincta inspirationis confici atque aliarum sententiarum falsitas legitime inferri valeat.

Igitur post expositas in priori capite diversas, quæ in hac re viguerunt vel adhucdum vigent sententias, analysim instituemus formulæ Concilii Vaticani, qua libri dicuntur *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habere auctorem*, ex quo dein positive determinare conabimur, quænam elementa requirantur simulque sufficiant ad Scripturarum inspirationem. Quibus statutis, istius multiplicis operationis divinæ modum et naturam diligentius accuratiusve explanare suscipiemus. Ista pertinent ad inspirationem *active* et *efficienter* spectatam, eaque secundo et tertio capite absolvemus. Post quæ, distincto rursus capite, primo per modum consectarii enucleabimus modum quo se habeat scriptor inspiratus sub divino hoc influxu, quidve nominatim de suo, ut ita dicam, ad scriptionem conferat : illud spectat inspirationem *passive* consideratam; demum declarandum erit, quo sensu diversa scriptionis objecta in sacris litteris verbum Dei sint dicenda seu Deum habeant auctorem : quod spectat inspirationem *terminative* sumptam seu inspirationem ipsius libri.

CAPUT I.

PRÆCIPUÆ INDIGITANTUR SENTENTIÆ CIRCA INSPIRATIONIS NATURAM.

Cum possibile vix sit farraginem illam discordantium hac in re sententiarum singillatim recensere, eas ad classes quasdam reducemus, quæ divinam inspirationem, a strictissimo ejus conceptu auspicantes, per quosdam veluti gradus paulatim extenuant, ac tandem ad nihilum pene redigunt.

I. Prima opinio fuit eorum, qui ad rationem libri

θεοπνευστου postulabant, ut a Deo fuerit propriissimo sensu dictatus, adeo quidem ut non modo omnes libri partes omnesque sententiæ fuerint divinitus inspiratæ, sed etiam stylus, verba, imo singuli apices a Spiritu S. dictante sint repetendi. Hæc itaque omnia, si non voce extrinsecus prolata singillatim a Deo fuerunt proposita, saltem menti scriptoris revelata vel suggesta fuere. Ea porro vocatur *inspiratio verbalis* eamque tuiti sunt Lutherus, Calvinus, Zwinglius aliique Reformationis coryphæi cum suis gregalibus. Hodiedum illi qui inter protestantes orthodoxi audiunt, eam desperata pugna etiamnum propugnant contra grassantem rationalistarum turbam, quæ improbo labore omnem supernaturalem operationem Dei e medio tollere tentat. Verum et in scholis catholicis hic rigidior inspirationis conceptus, in se non improbandus sane, aliquando videtur quadamtenus prævaluisse, ejusque fautores ac sectatores præcipui fuere Salmeron, Bannez, Maldonatus, Cassini, Rabaudy, Estius, Billuart et theologi sæculi XVI passim.

II. Altera vero opinio negat omnium et singulorum verborum immediatam inspirationem atque singularum sententiarum proprie dictam revelationem, verum suffecisse ait influxum positivum Spiritus S., quo veritates, quas per Scripturam Ecclesiæ tradere voluit, mens scriptoris lumine supernaturali conciperet ad scribendum, et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto consignandas, sicque elevatus homo, tamquam causa instrumentalis sub actione et assistentia Dei causæ principis, consilium divinum exequeretur infallibili veracitate. Hæc sententia, quæ est nostra, quamque mox fusius declarare ac vindicare satagemus, jam ab aliquo tempore communis evasit inter doctiores interpretes et theologos, quales sunt Bellarminus, Marchini, Perrone, et inter hodiernos Patritius, Glaire, Lamy, Card. Franzelin, Ubaldi, Schmid aliique fere omnes.

III. Alii denique affirmant ad rationem Scripturæ seu libri inspirati sufficere, ut Spiritus S. scriptori humano propria industria scribenti ita assistat, ut eum in scribendo ab errore immunem servet. Confundunt videlicet illi Scrip-

turarum inspirationem cum earum infallibili veracitate. Hujus sententiæ patroni rursus in duas classes scinduntur (1). Alii nempe hanc assistentiam ita declarant, ut ea sit mere negativa : videlicet Spiritui S. nullam adscribunt operationem positivam, qua supernaturaliter moveat scriptorem humanum, eive exhibeat rem ipsam scribendam. Alii econtra cum hac assistentia conjunctam ubique adstruunt inspirationem *positivam in actu primo*, quæ, quoties est necessarium, transeat *in actum secundum*, atque tunc scriptori res ipsas et sententias scribendas suggerat.

Huic alterutri sententiæ plures theologi videntur subscripsisse. Posterioris patronus ac propugnator præcipuus vulgo habetur Bonfrerius. Ut tamen accurate ejus sententia habeatur perspecta, sedulo consideranda sunt ea, quibus suam mentem promit in suis *Prælоquiis in sacram Scripturam* (2).

Postquam videlicet distinxit tres inspirationis modos, prout nempe Spiritus S. *antecedenter*, *concomitanter* vel *consequenter* sese habuerit cum sacris scriptoribus, duos priores ita fuse declarat : « *Antecedenter*, inquit, se habet Spiritus Sanctus, cum inspirat, revelat, demonstrat quæ dicenda scribendave sunt, ita ut de suo, marteve proprio nihil addat scriptor, sed ea dumtaxat scribat, quæ a Spiritu Sancto inspirata revelataque sunt, ad eum modum quo discipulus magistro dictante excipit, quæ ab eo proferuntur » (3). Hac ratione inspiratos perhibet libros propheticos aliosque in quibus « vel futura, vel arcana, præterita aut præsentia, ut cum absentia cordisve arcana revelantur vel sublimia fidei, mysteria » scripto consignantur. In sectione deinde tertia : « *Concomitanter*, ait, sese habet Spiritus Sanctus, cum non ad modum dictantis et inspirantis sese habet, sed ad eum modum, quo qui alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re quapiam erraret... Hic modus videtur a Spiritu Sancto conservatus in historiis, dictis aliorum

(1) Non memoramus modo illorum sententias, qui hanc assistentiam nequidem in omnibus Scripturarum partibus admittunt, verum eam adhuc varie restringunt. (2) Cap. VIII, sect. 1-7. (3) Sect. 2.

factisque referendis, quæ vel visu cognita, vel auditu ab hominibus fide dignis accepta fuerant. Ita Evangelia, ita Acta Apostolorum, ita Machabæorum libri, ita cæteri libri historici a Prophetis aliisve conscripti. » Hanc porro adsistentiam ex ipso non semper esse mere negativam, liquet ex iis quæ ibidem adjungit : « Hoc .... modo potest Spiritus S. scriptorem hagiographum dirigere, ut in nullo eum errare fallive permittat; cum enim præsciat quid ille scripturus sit, *ita ei adstat, ut, sicubi videret eum erraturum, inspirationem sua* (scil. antecedente) *illi esset adfuturus* ». Et in fine sectionis IV dicit scriptores *concomitanter* inspiratos esse plane liberos quoad exercitium, at « quoad specificationem, ait, est quidem *determinatio quædam ab extrinseco, ut diversa vel contraria eis quæ scribunt, scribere non possint, cum scribentes Spiritus Sanctus non patiatur in scribendo errare, semper adstat scribentibus, paratus in actu primo illis quæ scribenda sunt inspirare, sicubi sibi relicti essent aberraturi;* ab intrinseco tamen liberi sunt, cum reipsa illos Spiritus S. non determinet, *nec quidquam antecedenter in illis operetur, nisi sicubi operatio divina illis esset necessaria* ». Attamen in sect. VI notat in hoc secundo inspirationis modo « non deesse scriptori *initio inspirationem quamdem generalem scribendi talem historiam, vel pulchras gnomas* ad vitam moresque bene componendos vel quid aliud ». Statim patebit hanc sententiam prout eam propugnavit Bonfrerius non uno in puncto discrepare ab ea, quam priori loco indigitavimus.

Alteram istam opinionem, quæ ulterius inspirationis notionem extenuat, eam ad assistentiam *mere negativam* reducendo, potissimum propugnarunt Janssens (1) et Joannes Jahn (2). Prior hanc assistentiam solum negativam coarctavit ad ea, quæ scriptor humanus aliunde cognoscebat, quæque scripto consignare proprio consilio intendebat. Distinguit nempe inspirationem (quam cum revelatione rei ignotæ confundit), a simplici assistentia, hancque esse dicit « auxi-

(1) In sua *Hermeneutica sacra*, vol. I, cap. II § III. (2) In sua *Introductione in libros sacros Vet. Fœd.* in epitomen redacta a. 1814. P. I, § 19.

lium divinum, quo Deus auctorem, res illi aliunde notas scribentem, ab errore præservat. » Deinde fatetur hanc assistentiam non esse vero sensu inspirationem : « hanc esse proprie Spiritus Sancti adsistentiam errores præcaventis, non vero proprie dictam inspirationem, cum nihil inspiret, rem perpendenti patet ». Denique subdit : « inspiratio proprie dicta adest in vaticiniis ac mysteriis, adsistentia autem Spiritus Sancti est in historicis ac doctrinalibus, quæ scriptoribus aliunde cognita erant. » Longius adhuc aberrat Jahn, qui hanc assistentiam in omnibus Scripturæ partibus satis fuisse manifeste indicat. Ipse enim, nullo facto discrimine inter Scripturæ libros propheticos et historicos, hisce verbis de inspiratione mentem suam aperit : « Ut igitur libri sint divinæ auctoritatis, necesse est, ut scriptores auxilio (divino) suffulti omnem errorem caverint. *Assistentia divina ad præcavendos errores dicitur inspiratio*, nomine quidem in scholis recepto, sed non satis congruo; assistentia enim hæc nil inspirat aut docet, quod est revelationis, sed solummodo errores præcavet et impedit » (1).

Inter theologos qui huic sententiæ de divina assistentia sive inspiratione concomitante in sensu Bonfrerii vel Jahnii calculum adjecerunt, citari merentur Mariana (2), Duvallius (3), Richardus Simon (4), Dupin (5), Calmetus (6), Fras-

(1) Notat Ubaldi citatum illum paragraphum in 3_a editione operis Jahnii, ab Ackermann adornata, correctum fuisse ac ibidem positivam inspirationis notionem tradi ac defendi.

(2) *Dissert. pro edit. Vulgatæ.* ap. Menoch. in append. ad præl. Bonfrerii, ubi inter alia dicit, hagiographos « pleraque inflatu Spiritus divini excepisse sine ulla cura aut labore... alia ex memoria deprompta scribentis, ex ratione, experimento, aut aliorum ratione, semper tamen Spiritus numine præsente, ne lapsus contingeret »

(3) In II Part. D. Thomæ Tom. II. *De auctoritate Scripturæ*, art. III.

(4) *Histoire critique du N. T.*, chap. 23 et 24. « J'avoue qu'ils n'ont pas eu besoin d'inspiration, pour écrire des faits dont ils étaient témoins. Mais celà n'a pas empêché qu'ils ne fussent dirigés par l'esprit de Dieu, en tout ce qu'ils écrivaient, afin qu'ils ne tombassent point dans l'erreur »,

(5) *Dissert. prælim.* c. 2. P. 7.

(6) *Dissert. de librorum sacrorum inspiratione*, ad II Pet. I, 21, art. II,

senius (1). Equidem fatendum est horum plures in hac quæstione valde impedite locutos esse, ita ut vix possibile sit assequi, utrum nomine assistentiæ et directionis Spiritus Sancti, quam requirunt et quam ab inspiratione per revelationem stricte dictam distinguunt, intelligant simplicem assistentiam negativam Jahnii, an vero assistentiam positivam in actu primo cum generali impulsu Bonfrerii, vel tandem assistentiam positivam et continuam in actu secundo, quam alii appellant suggestionem, et quæ, licet inferior, vera tamen est inspiratio, ut posthac videbimus (2). Ratio hujus obscuritatis est, quod eorum plures in hoc uno toti sint, ut ostendant ad proprie dictam inspirationem non requiri singulorum verborum inspirationem, neque singularum sententiarum proprie dictam revelationem; de propria autem sententia evolvenda et vindicanda parum sint solliciti. Quoniam tamen triplicem inspirationis modum a Bonfrerio assignatum nude amplecti videntur, atque in locis, ubi inspirationem Sacræ Scripturæ defendunt, unice curant ut

in quo, postquam aliorum sententias minus distincte exposuit, quin, de iis quid sentiat, edicat, ita concludit : « utilitate illud conducere agnoscimus, si sacros interdum auctores, ut divinam sibi vindicarent auctoritatem, Spiritus Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis et præsentiæ tantummodo indigos fuisse fatemur ».

(1) *Disquisit. biblicæ*. l. I, c. 1, § 4.

(2) Hæc sententia etiam afficta fuit Cornelio a Lapide, sed immerito. Laudatus enim interpres docet quidem « historias et morales exhortationes, quas antea vel visu vel auditu vel lectione vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuisse necesse inspirari aut dictari a Spiritu Sancto. » At per inspirationem hic loci intellexit proprie dictam revelationem, nam incunctanter addit : « Dicitur tamen Spiritus Sanctus ea quoque illis dictasse, 1° quia scribentibus adstitit, ne vel in puncto a veritate aberrarent; 2° quia eos excitavit et suggessit, ut hæc potius scriberent quam illa. Conceptum ergo et memoriam eorum, quæ sciebant, non eis suggessit Spiritus Sanctus, sed inspiravit ut hunc potius conceptum quam illum scriberent; 3° quia omnes eorum conceptus et sententias ordinavit, digessit et direxit Spiritus S... Hoc enim proprie est librum concinnare et conscribere et hac ratione proprie sacrorum librorum auctor dicitur Spiritus S. » Ad II Tim. III, 16. — Idem quod de Cornelio dicimus, dicendum est de Melchiore Cano. o. c. l. II, c. 18 et de Bellarmino. *De Conciliis et Ecclesia*, l. II, c. 12. Cfr. *De Verbo Dei*, l. V, cap. 15.

divinam auctoritatem sacris libris concilient, quæ per solam assistentiam illis etiam inest, imo plures eorum sententiæ de approbatione subsequenti, quam statim afferemus, adstipulari videntur, merito suspicamur eorum verba in obvio sensu sumenda ac de sola divina assistentia accipienda esse.

Quid vero dicendum de Lessio et Hamelio, qui a non paucis inter hujus sententiæ primos fautores seu antesignanos recensentur? Neminem latent famosæ illæ propositiones Lessii, qui annis 1587 et 1588 a theologicis Facultatibus Lovaniensi et Duacensi censuratæ fuerunt. Juvabit duas priores, quæ ad præsentem quæstionem spectant, hic adduxisse; de tertia mox erit dicendum. 1ª Prop. « Ut aliquid sit Scriptura Sacra, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto ». 2ª Prop. « Non est necessarium, ut singulæ veritates et sententiæ sint immediate a Spiritu S. ipsi scriptori inspiratæ ». Sane prior propositio improbari nullo modo potest; secundam vero, si obvie sumatur et verba premantur, omnino rejiciendam esse negari nequit. Ut tamen appareat, quo sensu insignes illi theologi necessitatem inspirationis immediatæ singularum sententiarum fuerint inficiati, operæ pretium est eorum mentem indagare ex documentis, quibus Lessius hujus propositionis sensum clarius enucleavit. Ex istis porro liquet oppido, Lessium illud solummodo evincere voluisse, ad rationem Scripturæ necessarium haud esse, « ut singulæ veritates et sententiæ (quales sunt : Lucas est mecum solus, Trophimum reliqui infirmum) sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratæ, scilicet ea inspiratione, qua singularum sententiarum veritatem *novo modo* cognoscat, quando eas antea ratione naturali vel experientia certo cognoscebat, quamvis

(1) V. *Opuscula inedita Leon. Lessii et Jos. Kleutgen* ad calcem op. P. Schneemann : *Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii concordia initia et progressus*. Cfr. etiam, sis, opus Theodori Eleutheri (P. Liv. De Meyer, S. J.) : *Historia controversiæ de divinis gratiæ auxiliis*, lib. I. In hoc op. tamen pauciora de hisce propositionibus habentur, quum in controversia Lovaniensi præcipue disputatum sit de aliis propp. quæ div. gratiam concernebant.

opus fuerit excitatione et directione et infallibili assistentia ad scribendum » (1). Quale autem fuerit illud auxilium, quo in his scribendis scriptores indiguisse docet, explicat in sua Apologia : « Dicimus... suffecisse ut Spiritus Sanctus *peculiari modo illos excitaret ac impelleret ad scribendum ea, quæ vel audierant, vel viderant, vel alio modo cognoverant, et simul iis ad singulas sententias ac verba assisteret, et ubi opus esset, dirigeret* » (2). Item : « Nos dicimus, *omnes Scripturæ partes* esse infallibilis veritatis, et *esse a Spiritu Sancto*, vel nova revelatione inspirante, vel *peculiari instinctu excitante*, et assistente ad singula verba et sententias, et ne minimum quidem in iis posse esse errorem ». Et paulo infra : « Fateor, inquit, (Scripturam) esse Dei verbum et a Deo dictatum modo supra explicato : quia videlicet vel a Deo novo modo illuminante ac inspirante dictatum, vel excitante et infallibiliter assistente scriptum. » Ex his aliisque declarationibus a Kleutgen editis jam abunde apparet quod diximus, Lessium excludere voluisse ab essentiali inspirationis ratione sive proprie dictam actionem dictandi, sive revelationem stricto sensu acceptam, qua nempe Spiritus S. proponat et formet in scriptoris intellectu singula verba singulasque sententias scribendas quasi antea incognitas. Quod autem attinet spiritualem influxum, quem Lessius illi priori substituit, ita intelligi potest, ut reapse idem sit cum illo inferiori inspirationis gradu, quem infra describemus (3).

Illos vero, qui existimant Lessium illam opinionem propugnasse, quam postea suam fecit Bonfrerius, ideo in hanc sententiam devenisse censeo, quod ipse nullibi diserte et explicite affirmet, illam excitationem seu impulsum ita fuisse specialem, ut se porrexerit ad singula sensa scribenda; deinde quod in una alterave suæ sententiæ declara-

(1) Cf., in op. cit. P. Schneemann, responsionem Lessii ad antapologiam Fac. Lovan., p. 374, 375. (2) V. Kleutgen in op. cit. P. Schneemann n. 4.

(3) Bellarminus, postquam in suo chirographo de Lessii assertionibus notavit, tres propositiones Lessii nude sumptas non admodum recte sonare et calumniis expositas esse, hæc addit : « Tamen priores duas recte exponit P. Leonardus » Ap. Kleutgen l. c. n. 11.

tione separatim spectata, unice sollicitus videatur, ut Scripturæ conciliet infallibilem veritatem divinamque auctoritatem, atque hunc in finem, non secus ac Bonfrerius, cum illa generali excitatione tantummodo assistentiam divinam in ipsa scriptione requirere videatur. Quod si illud foret, non ideo tamen nimium inculpandus esset, cum nil mirum aliquid minus accurate vel forte solum minus distincte prolatum fuisse a viris etiam doctis, ubi agitur de quæstione perplexa nondum eliquata, et quæ suo tantum tempore subtilius tractari cœpit.

IV. At longius multo a vera ratione libri Sacræ Scripturæ recesserunt, qui hoc nomen etiam mereri opinati sunt librum, qui sola humana industria conscriptus, postea a Spiritu Sancto approbaretur tamquam verax nulloque errore inficiatus. Huic sententiæ patrocinatus est etiam Bonfrerius ac, juxta ipsum, locum habuisset in tali libro tertius ille modus, quo Spiritus S. se habere potest cum sacris scriptoribus. Hunc modum ipse sequentibus verbis delineat : « *Consequenter* se habere posset Spiritus Sanctus, si quid humano spiritu absque Spiritus S. ope, directione, assistentia a quopiam scriptore esset conscriptum, postea tamen Spiritus S. testaretur, omnia quæ in eo scripta essent, vera esse. » Incunctanter tamen addit : « Hoc tertio modo, *etsi non existimem Spiritum S. aliquando usum in iis quos habemus S. Scripturæ libris*, absolute tamen nil vetat uti, vel etiam aliquando usum, forte in iis libris nonnullis ac scriptis, quos diximus fuisse Scripturam S. et postea interiisse ». Tali modo de facto inspiratas censet sententias gentilium vel impiorum, quas nonnulli hagiographi in suis scriptis referunt, uti v. g. Act. XVII, 28; Tit. I, 12; et I Cor. XV, 33. Hanc sententiam diu ante Bonfrerium propugnasse visus est etiam Lessius, at sub pejori forma hæc ipsi adscripta fuit. Tertia enim propositio a S. Fac. Lovaniensi merito censurata hæc erat : « Liber aliquis *(qualis forte est secundus Machabæorum)* humana industria sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur, ibi nihil esse falsum, *efficitur Scriptura Sacra* ». Istam tamen propositionem sub hac mutila forma numquam ut suam agnovit Lessius, atque

amare conquestus est, illam sub suo nomine publica censura affectam fuisse, antequam suam mentem aperiendi copia daretur (1). Et præprimis illam parenthesim *ex sua sententia* omnino abradendam protestatur, nam « sentio, inquit, sensique semper nullum talem librum (intellige : in S. Scriptura) exstare, qui sine assistentia Spiritus S. ejusque excitatione et directione scriptus sit » (2). Quapropter Lessius istam propositionem juxta suam mentem emendavit, eamque in antithesi 6ª Archiepiscopo Mechliniensi oblata ita exposuit : « Si aliquod opus pium et salutare, humana industria ex divino instinctu compositum, publico testimonio Spiritus S. approbaretur tamquam in omnibus suis partibus verissimum, tale opus habiturum auctoritatem æque infallibilem atque Scriptura Sacra, et recte Scripturam Sacram et verbum Dei appellatum iri ». Lessius itaque et Bonfrerius hanc sententiam solum hypothetice defenderunt. Alii post eos theologi huic opinioni calculum adjecisse videntur, quin tamen expresse significent, utrum illum inspirationis modum in Scripturis, quas habemus, reapse obtinuisse senserint. Ita Calmetus tres propositiones Lessii adducit secundum eum tenorem, quo a Fac. Lovan. damnatæ fuerunt, nullumque verbum adjungit, quo secundam vel saltem tertiam castiget vel emolliat. Richardus Simon hanc ultimam in suo opere : *Histoire critique du N. Test.* mordicus at procul dubio non docte tuetur adversus censuram sacrarum Facultatum; at cum ipsi præ manibus non essent documenta, in quibus Lessius veram suam mentem exposuit, sententiam revera erroneam et omnino rejiciendam defendisse convincitur.

V. Demum opinionem illam de subsequenti approbatione avide arripuerunt, ac sub deteriori adhuc forma proposuerunt hisce temporibus eruditi nonnulli qui, conceptum inspirationis vere ad nihilum redigentes, censuerunt reapse

(1) Notandum hic Lovanienses illam parenthesim nequaquam fraude intrusisse, neque id ullibi asserit Lessius, sed dicit se non ex sua, sed ex aliorum sententia illam hypothesim quoad lib. II. Machab. adduxisse, quin illam probaret. V. Lessii resp. ad Antapologiam ap. Schneemann.

(2) V. op. cit. p. 388.

plures Scripturarum textus, imo et libros integros hoc solo titulo inter sacros et inspiratos recenseri, quod, licet sola humana industria conscripti, postmodum judicio Ecclesiæ ceu in omnibus veraces et Deo digni judicati et in canonem relati fuerint. Hæc ergo sententia ab illa modo exposita differt, *a)* quod hæc non hypothetica solum sit, sed suam theoriam nonnullis Scripturæ libris de facto applicet, et quod *b)*, dum illa requireret approbationem publicam Spiritus Sancti, hæc solam approbationem Ecclesiæ vel insertionem in canonem sufficere contendat. Ut nihilominus cum Bonfrerio, cujus auctoritate se tegunt, sentire videantur, hanc approbationem non sine contradictione in terminis, nomine veluti ab ipso mutuato, *inspirationem consequentem* appellare gestierunt, quam tamen formulam Bonfrerius numquam adhibuit. Ita sententiam istam exposuit Daniel Haneberg in suo opere : *Historia revelationis biblicæ :* « Fieri etiam potest, ut scriptum aliquod primitus *solis ordinariis humanis viribus* confectum, eo demum ad dignitatem verbi Dei elevatum esset, atque hoc ipso *inspiratum evasisset, quod canoni insertum est.* In hac hypothesi scriptum aliquod factum esset verbum Dei eo modo, quo locus aliquis a Cicerone scriptus fit verbum meum, quando illud in aliqua oratione vel epistola usurpo ad *meum* conceptum exprimendum : hæc est *inspiratio consequens* » (1). Deinde subdit hunc inspirationis modum *ad narrationes historicas rerum quæ subsunt experientiæ, pertinere posse.* Ita existimat libros ab Apostolis nondum habitos inter libros inspiratos potuisse deinceps ab Ecclesia declarari canonicos atque ita reddi inspiratos (2). Hæc sententia prorsus nova est atque peregrina ab auribus christianis; inter veteres nullus est præter Sixtum Senensem, qui simile quid umquam dixisse inveniatur (3).

(1) Apud Card. Franzelin, o. c. Th. IV. (2) Ita existimat libros Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ, Esther ab Apostolis nondum habitos fuisse ut inspiratos, sed deinceps ab Ecclesia declaratos canonicos et hoc pacto inspiratos evasisse.

(3) Sixtus Senensis in sua *Bibliotheca Sancta* T. II, lib. VIII. p. 1098 ad solutionem alicujus difficultatis contra canonicitatem librorum Macha-

Hic est extremus veluti terminus, ad quem nonnulli inspirationis rationem relegarunt, et ultra quem profecto nec umbra inspirationis ullibi occurrit. Illud videre est apud Protestantes rationalistas, qui inspirationis conceptum pedetentim attenuando, eo jam devenerunt, ut Sacram Scripturam ad summum ratione materiæ, non autem ratione originis divinam esse profiteantur. Hæc autem assertio, non modo abunde refutata est iis, quæ præcedenti sectione a nobis explanata fuere, sed et explicite damnata in jam citata Constitutione Vaticana.

CAPUT II.

DEFINITUR VERA ET REJICIUNTUR FALSÆ NOTIONES DIVINÆ INSPIRATIONIS.

ART. I. INSTITUITUR ANALYSIS FORMULÆ DOGMATICÆ : DEUS EST AUCTOR LIBRORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Hæc formula ab ipsis Ecclesiæ incunabulis in Conciliis, in scholis theologicis et in fidei professione christiani populi usurpata, instantius prædicari urgentiusque adhiberi cœpit inde a tempore, quo nonnulli ecclesiasticum hujus dogmatis conceptum perverterunt. Illa enim rite intellecta compendiosam involvit confutationem omnium defectuosarum opinionum, quæ hac in re identidem in Ecclesia patronos habuere. Quapropter ad propriam inspirationis naturam genuinumque ejus conceptum assequendum, nil magis conducit quam indagare, quænam ex parte Dei requirantur et sufficiant, ut ipse, non immediate per se sed per hominem scribens,

bæorum hanc sententiam per transennam insinuat : « Nec quicquam illorum fidei derogatur, etiamsi ab auctore profano scripti sint, cum libri fides non ab auctore, sed ab Ecclesiæ catholicæ auctoritate pendeat : et quod illa acceperit, verum et indubitatum esse oporteat, a quocumque dictum sit auctore, quem ego, neque sacrum, neque profanum ausim affirmare ».

secundum communem loquendi morem auctor libri dici queat. Inquirendum itaque est quid importet formula *auctor libri*.

I. Imprimis nomen *auctor* per se sumptum significat *generatim* eum a quo aliquid originem ducit, adeoque auctor alicujus rei in vulgari loquendi ratione dicitur generice ille, a quo aliquid procedit tamquam *a causa efficiente*. Porro cum efficientiæ diversissimæ sint, notio *auctoris* pro diverso contextu variisque sermonis adjunctis diversas induit significationes specificas. Hoc modo terminus complexus *auctor libri* ratam ac fixam habet significationem specificam. Ut autem hæc formula de Deo prædicata rite intelligatur, advertatur oportet Deum, ob diversam efficientiæ rationem, non uno sensu alicujus rei auctorem seu causam esse ac dici posse. Etenim *a)* Deus est causa *universalis et prima* omnium rerum omniumque actionum causarum secundarum, quatenus cuncta creata in suo esse et in suo operari ab ipso dependent, ipse vero in sua efficientia absolute independens existit, atque hoc sensu omnium quæ sunt quæque fiunt causa dici debet. Deinde *b)* potest esse causa *particularis* sed *unica*, quando absque ullo activo concursu causæ secundæ aliquem effectum producit. Vel demum *c)* operari potest qua causa particularis *principalis*, quando videlicet in suis operationibus utitur causa secunda tamquam instrumento, per quod virtutem suam ad effectum extendit. Huic causæ particulari et *per se* agenti correspondet ex adverso *causa instrumentalis*, quæ non virtute propriæ formæ ac naturæ in existentiam effectus influit, sed qua principalis utitur ad effectum producendum : porro evidens plane est hanc ultimam rationem causæ numquam Deo competere posse, utpote qui semper virtute infinita sibi insita ac prorsus independenter suam activitatem exerit.

Quænam igitur Dei efficientia significatur hac phrasi : *Deus est auctor libri?* Oppido liquet sermonem haud esse de efficientia per concursum generalem *causæ primæ :* hoc enim sensu Deus omnium librorum causa seu auctor est dicendus ; patet autem Deum sensu speciali auctorem Bibliorum designari.

Apparet etiam Deum haud designari veluti causam unicam, itidem ac si solus sine concursu causæ secundæ librum exarasset, eo scilicet modo quo tabulæ, quas Moyses accepit in monte Sinaï, dicuntur *Dei digito* scriptæ (1) : hoc enim pacto inspirationi locus non esset, dum tamen a Conc. Vaticano ex unanimi Christianorum sensu libri Sacræ Scripturæ dicantur Deum habere auctorem, « propterea quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti* » fuerint. Itaque solum remanet ut dicamus Deum hac formula definiri causam libri *principem* et *per se*, hominem vero causam *instrumentalem*, qua Deus utitur virtutem aliquam in eum derivando. Et sane, dum dicitur quis *auctor alicujus rei*, semper proprio sensu significatur *causa per se*, quæ potest esse *prima* vel *secunda* (2). Habitudinem inter has duas causas egregie describit Card. Franzelin : « Si Deus (causa prima), inquit, dicitur *auctor* (adeoque *per se causa*) libri, excluditur causa secunda agens ut *causa per se*, h. e. virtute propria sibi inhærente : unde vicissim si homo (causa secunda) sensu proprio est et dicitur *auctor libri*, eo ipso negatur Deum (causam primam) esse *libri auctorem*, non tamen excluditur, ut per se constat, generalis concursus causæ primæ, qui nullatenus importat Deum esse *auctorem libri*, nisi absurde loquendo Deum dicere velis auctorem omnium librorum. Sive vero Deus sive homo sit *auctor libri*, in neutra hypothesi excluditur *causa instrumentalis*, per quam causa principalis (Deus vel homo) agat et efficiat sui libri existentiam ».

Ast quid jam importat nomen *libri*? Deus quippe dicitur auctor *librorum* Sacræ Scripturæ. Itaque animadvertimus *a)* nomine *libri* designari *complexum ampliorem judiciorum*

(1) Gen. XXIV, 12. (2) Ex hisce concludimus hagiographos stricte loquendo dici non posse *auctores* ss. librorum, sed rectius ejus *scriptores* vel causas instrumentales et subjuges. Hæc duo sedulo distinxit S. Isidorus Hispal. l. I de Officiis cap. XII, n. 13. (Romæ a. 1802. T.VI, p. 377.) « Hi sunt *scriptores* sacrorum librorum, divina inspiratione loquentes, atque ad eruditionem nostram præcepta cœlestia dispensantes. *Auctor* autem earumdem Scripturarum Spiritus S. esse creditur. Ipse enim scripsit, qui prophetas suos scribenda dictavit. »

seu sensuum verbis alicujus linguæ humanæ in substrato aliquo stabili ac tractabili scripto consignatorum. Probatione illa non indigent, siquidem quivis facile persentit, in usu vulgari loquendi illud omne illudque solum quod dicimus, venire nomine libri. Itaque liber coalescit ex duplici essentiali elemento : ex *ideis* nempe seu *judiciis*, quæ sunt adinstar elementi materialis et intrinseci libri, et ex eorum *consignatione in scripto*, quæ est ejus quasi forma specifica seu elementum externum. Unde pressius jam determinatur terminus complexus *auctor libri*, designans nimirum eum a quo liber originem sortitur, seu eum qui sit auctor seu principalis causa utriusque elementi, h. e. tum *conceptuum* seu *sententiarum* scripto consignatarum, tum harum *consignationis per scriptum*. Quod non omnes theologi videntur satis perspexisse sedulo animadvertatur, nimirum hanc formulam *auctor libri* sive in se et in ordinaria acceptione spectatam, sive ex sensu Ecclesiæ Bibliis applicatam, directe et immediate indigitare libri originem, non autem ita, quæ eam sponte consequitur, auctoritatem, quam solummodo mediate portendit. Illud quod de sensu Ecclesiæ dicimus liquidum est ex iis, quæ de Traditione jam diximus atque adhuc dicemus, dein etiam ex definitione Concilii Vaticani : eos (libros) pro sacris et canonicis habet (Ecclesia)... *propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem.* Hæc namque formula complexa evidenter sumenda est in sensu composito et causali, adeo ut Deum enuntiet auctorem illorum librorum per inspirationem scriptorum humanorum. Notamus *b*) quæstionem de majori vel minori amplitudine libri hic omnino esse accidentalem, quandoquidem ex usu constanti Ecclesiæ vocantur *libri* Scripturæ Sacræ etiam paucorum commatum epistolæ, v. g. Epistolæ ad Philemonem, Judæ et duæ Joannis. Quod proin de libris sacris generatim dicimus, de istis pariter erit intelligendum. Verum advertatur præsertim *c*) distinguendam sedulo esse in quolibet libro vel documento scripto *partem ejus essentialem* seu *rationem formalem* a *parte accidentali et materiali*. Nimirum priorem constituunt ea omnia, quæ efficiunt, ut liber

aliquis talis sit, qualem ejus auctor esse voluit, et sine quibus hujus auctoris opus jure censeri nequiret. Hæc igitur *per se*, licet non semper *propter se*, ab auctore libri intenduntur ac prævenienti actione in individuo determinantur. *Pars* vero *accidentalis seu materialis* libri ex iis coalescit, quæ in genere quidem uno alterove modo requiruntur, cum sine illis ipsa pars formalis libri ab auctore per se intenta, exprimi non posset, aliter tamen atque aliter se habere possunt præ intentione auctoris, quin liber desinat esse qualem ipse præ suo scopo intendit. Hæc igitur ab auctore libri non necessario singillatim et in individuo definiantur necesse est.

Quo hæc melius intelligantur, spectari debent in libro 1° ideæ et judicia horumque omnium complexus, quæ in libro ope verborum et propositionum exprimuntur et lectoris menti communicantur. Ista etiam vocantur *sensa* sive *res et sententiæ ;* ab aliis etiam, saltem ubi agitur de libris sacris, quorum Deus, ipsa veritas substantialis, auctor est, *veritates* merito nuncupantur. Porro in quolibet libro res et judicia, cum ab auctore per se intendantur, pertinent ad rationem formalem seu partem essentialem libri. Ab his vero distinguantur oportet 2° signa seu verba, horumque structura seu stylus, necnon ipsarum rerum seu veritatum ordo ac dispositio. Sæpe enim fit, ut ista ab auctore *per se* non intendantur; ac nominatim in libris didacticis, quales sunt Scripturæ, auctor illa, præsertim priora, *ordinarie* per se non intendit : quapropter pertinent illa *communiter* ad partem libri materialem. Videlicet sunt ea quidem semper requisita, quandoquidem sine illis ipsa sensa seu ea, quæ ad essentiam libri spectant, exprimi nequirent, ast possunt plerumque diversimode se habere, modo apta sint ad veritates ab auctore libri intentas sincere significandas, cum secus ipsa forma, quæ ex mente auctoris librum essentialiter constituere debet, salva et integra non esset. Ut autem paradigmate rem illustremus : lingua, verba, stylus rerumque dispositio ab auctore per se non intenduntur in aliquo codice legum, vel in libro historico destinato ad docendam aliquam veritatem per facta historica, quales sunt plures Sacræ Scripturæ

libri; idcirco in talibus consideranda sunt ea veluti id, quod in libro materialiter se habet : quæ enim in hujusmodi libris per se intenduntur sunt res et sententiæ, quæ proin illorum rationem formalem constituunt et complent. Dixi autem signa et alia, quæ præter ideas et judicia in quovis libro spectari possunt, *ordinarie* et *communiter* pertinere ad partem accidentalem, nam evidens est non solum in iis libris, in quibus generatim ea per se non intenduntur, posse hic illic talia in individuo præ quibusvis aliis ab auctore determinari, verum etiam in quibusdam scriptis horum nonnulla posse ad partem formalem totius libri pertinere. Ita in historia destinata ad docendam eventuum rerumve successionem, qualis esset chronologica Rom. Pontificum historia, rerum dispositio, in quantum ad hunc scopum necessaria est, constitueret libri illius formale elementum. Pariter in libro rhetorico et æsthetico, delectus et structura verborum per se intenduntur, imo et in lexico ipsa lingua et alphabetica vocabulorum dispositio elementum formale constituunt.

Age nunc ut sciamus, quænam auctori libri tamquam per se intenta necessario tribuenda sint, inspiciendus est *finis operis* seu scopus ad quem auctor librum suum ex ipsa libri indole directum voluit. Quoniam enim finis libri formam ejus determinat, ex cognito hoc fine jam innotescit, quænam ex omnibus in libro comprehensis sapiens auctor seu causa princeps per se intenderit (1). Porro hunc finem saltem aliquousque notum habere possumus ex ipsa libri inspectione et materia quam tractat. Quo tamen secure et cum plena certitudine finem *proximum, adæquatum et completum* ab auctore intentum habeamus compertum, sæpe necessarium est ipsum auctoris testimonium. Hæc jam nunc satis sunto :

(1) Non loquimur de fine libri plane generico, qui cuivis libro est proprius quique alius non est, quam ut per ejus lectionem homines doceantur conceptus et sententias auctoris; ex hoc enim fit ut libri habeantur veluti commodissima institutionis socialis instrumenta atque adminicula; agitur autem de fine libri prorsus specifico, quo nempe liber talis sit ab omnibus aliis essentialiter distinctus.

infra, ubi de extensione inspirationis sermo erit, uberiorem ista expostulant explanationem.

II. Jamjam si, quæ hucusque prænotavimus, Sacræ Scripturæ libris applicaveris, tria ex illis consequi videbis. 1° *Inspecta indole horum librorum*, evidens est verba et stylum *generatim* ab eorum auctore per se intenta non *necessario* fuisse, adeoque ad eorum partem formalem non necessario pertinere. Quo posito, determinatus signorum delectus phrasiumque structura in individuo non oportet ut Deo tribuatur, quo eorum librorum auctor dici valeat. Fatemur quidem hoc argumentum mere negativum esse ac demonstrare solummodo inspirationem seu operationem illam specialem, qua Deus libri auctor constituitur, non necessario protendi ad stylum, verba minimosque apices, ut Deus auctor Scripturarum dici possit. Hoc ipso tamen præsumi jam debet, nisi aliunde contrarium probetur, Deum, qui disponit omnia suaviter, ipsis hominibus reliquisse curam seligendi idearum inspiratarum signa juxta propriam uniuscujusque indolem et eruditionem. Argumenta quæ aliunde afferuntur, ut probetur revera Deum etiam verba inspirasse, rem non pervincunt, nec desunt argumenta et indicia quibus talis inspirationis extensio positive excludi videatur. Hæc infra affatim tractabuntur. Interim in explicatione naturæ inspirationis rationem habebimus hujus sententiæ hodie communis Deum ipsa verba, stylum etc. scriptori humano ordinarie in individuo non subministrasse, sed solum sensa seu generatim illa quæ partem formalem librorum constituunt.

Consequitur 2° *omnia et singula* judicia seu sensa in Scripturis contenta, utpote quæ ad librorum sacrorum partem formalem pertinent, esse a Deo auctore et causa principali efficiente Scripturarum repetenda. Dixi : *omnia et singula;* nam secus Deus *proprio et stricto sensu* auctor librorum sacrorum dici non posset, sed tantum sensu morali et improprio. Hæc quidem sententia quæ inspirationem non ad omnes res et sententias porrigi autumat, identidem in medium prolata fuit in Ecclesia, verum ignota plane fuit Patribus Ecclesiæ et in scholis theologicis semper explosa.

Quia autem nostris diebus ab uno alterove resuscitata fuit, infra ostendemus, ex sensu Ecclesiæ formulam illam dogmaticam strictiori illo sensu esse accipiendam, ac proin hanc sententiam esse prorsus rejiciendam.

Ex præjactis docemur 3°, quod proprie istuc spectat, *qualis* sit illa operatio Dei (causæ principis) in hominem (causam instrumentalem) in ordine ad librum conscribendum. Sane cum Deus non immediate per se solus librum conscribat, sed ad hoc utatur homine veluti instrumento, ratione tamen et voluntate prædito, nequit ipse esse auctor libri, nisi efficiat, ut *quod ipse tamquam formale libri mente conceperit, homini ad scribendum communicet et hujus opera litteris mandet.* Adeoque requiritur talis ejus supernaturalis influxus in hominem, quo fiat, ut hic *a)* tum mente ad scribendum concipiat, *b)* tum simul voluntate infallibiliter moveatur ad scribendum ea omnia et sola, quæ Spiritus S. per ipsum scripto consignanda consilio suo comprehendit. Insuper requiritur *c)* assistentia seu aliqualis directio Spiritus S., qua scriptor ab errore mendove quolibet immunis reddatur in exequendo opere, ad quod divinitus movetur. Quamvis enim supernaturali illustratione intellectus ac motione voluntatis homo constituatur in actu primo proximo ad librum conscribendum, non tamen ideo in actu secundo eum infallibiliter talem conscribit qualem vult Deus. Posset enim sibi relictus sive incogitantia sive negligentia aberrare, aliquid de suo addendo vel aliquid omittendo. Hujus auxilii necessitas adhuc melius intelligitur in sententia hodie communi, quæ tenet Deum verba phrasesque, uno verbo, stylum in individuo hagiographis haud suppeditasse. Quamvis enim, ut supra notavimus, illa ut plurimum ad rationem formalem sacrorum librorum non pertineant, ac idcirco non necessario ab auctore principe librorum singillatim et in specie determinari debeant, non ideo tamen censendum est in signorum delectu rerumque dispositione scriptorem humanum propriæ suæ industriæ plane fuisse permissum. Verum enimvero signa seu verba, etsi vario modo se habere possint, apta tamen esse debent ad sensa ab auctore intenta sincere ex-

primenda. Quoniam autem scriptor theopneustos, homo cum sit, in electione terminorum errare posset, si suæ industriæ plane permitteretur, et quidem ita, ut sensa a Deo intenta ipsique inspirata non sincere scripto consignaret, contingere quiret ut liber, quem scriptor hagiographus exarat, neque inspiratus, neque Dei opus jure appellaretur. At vero, ut liber aliquis crederetur *infallibiliter inspiratus*, seu verbum Dei scriptum, numquam aliud argumentum quæsitum est, quam quod a scriptore divinitus inspirato fuerit conscriptus. Quandoquidem ergo cum inspiratione active spectata, infallibiliter nectitur non solum inspiratio passiva scriptoris, sed etiam inspiratio terminativa ipsius libri, ad plenam inspirationis activæ rationem requiritur, ut homini divinis sensis jam collustrato, et ad ea scribenda supernaturaliter moto, Spiritus S. insuper talem directionem et assistentiam præstet, qua ille reddatur infallibilis in exprimendis conceptibus inspiratis, h. e. in ipsa aptorum signorum ac terminorum electione.

Triplicem igitur postulamus supernaturalem operationem Dei in inspiratione *active* seu *efficienter* spectata : videlicet 1° *illustrationem intellectus*, vi cujus scriptoris mens ea omnia et sola sensa ad scribendum concipiat, quæ Deus scripto velit mandari; 2° *voluntatis excitationem*, qua scriptor infallibiliter et efficaciter moveatur ad illa scripto excipienda; 3° *specialem directionem et assistentiam* Spiritus S., qua Deus hagiographis in opere exequendo et nominatim in signis eligendis adsit, ne a proposito devient vel, signa inepta adhibendo, divinos conceptus pervertant. Hisce correspondet in homine, ut patet, triplex supernaturale auxilium, quo instructus et munitus *passive inspiratus* dicitur fitque aptus ad librum *terminative inspiratum* conscribendum.

Porro hæc tria elementa *sufficere* eaque etiam *requiri*, ut Deus proprio sensu dici valeat auctor librorum Sacræ Scripturæ, hic ex dictis breviter demonstramus. Imprimis *a)* hæc tria *sufficiunt*. Sane is censeri debet Scripturarum auctor seu causa efficiens principalis, cujus viribus et voluntate illæ existunt. Atqui si hæc, quæ diximus Deo vindicantur :

nempe, si Deus intellectum scriptoris collustrat, eidem suppeditando, formaliter ceu scribenda, quæcumque judicia et sensa, quæ scripto consignare intendit, h. e. quæ præ scopo suo ad partem libri formalem pertinent; si simul ejus voluntatem movet ad illa omnia et sola scripto mandanda, atque præterea eumdem sua assistentia ab errore immunem servat in sensuum conscriptione et in signorum electione, profecto Deus dicendus est propriis viribus efficere, ut exstent libri Scripturarum et quidem tales, quales ipse eos voluit. Proinde eorum causa efficiens princeps seu auctor proprio sensu dici potest ac debet, atque vicissim libri jure dicuntur « Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habere auctorem «. Verum *b)* ea etiam necessaria sunt ac insimul *requiruntur*. Enimvero, si eorum quodlibet desit, jam neque Deus librorum auctor, neque libri a Spiritu S. conscripti dici possunt. Quod si enim 1° Deus solummodo hominem indeterminate ad scribendum moveret, ac inter scribendum suo præsidio scriptorem contra errorem præmuniret, efficeret equidem ut scriberetur, ac ut illa, quæ scribuntur, recte scriberentur, atque propterea scriptionis causa aliqua esset; non tamen ipsius scripti causa esset ejusmodi, cui tamquam auctori liber jure tribueretur. Auctor namque alicujus libri is vulgo censetur, qui *sua sensa* lectoribus scripto communicet, ut, qui legunt, quid ipse sentiat, cognoscere ex ejus litteris valeant. Nisi igitur ipse sensa scribenda amanuensi determinate communicet, non ipsius, sed alterius conceptus in libro consignati erunt. Similiter 2° si homo *suo marte proprioque consilio* scriptis mandaret veritates, quas a Deo ex. gr. per revelationem accepisset, etiamsi supponamus hominem in scribendo per Spiritus S. assistentiam ab errore præservatum fuisse, nonnisi valde improprie illud scriptum Dei opus haberetur. Deus utique auctor esset tum conceptuum, tum præstantiæ seu infallibilitatis scriptionis, non tamen ipsius libri auctor simpliciter dici valeret, cujus existentiam ipse non determinasset; sicut revera nemo jure existimatur auctor ejus libri, cujus paginis alius quivis ea, quæ ab ipso audivit, sponte sua impresserit. Neque 3° illus-

trationem mentis motionemque voluntatis sufficere, ut liber sit infallibiliter inspiratus, sed præterea requiri speciale Dei præsidium, ut scriptor sensa scribenda vere et sincere litteris mandet, jam satis superque ostendimus.

Ista proculdubio a nobis exigunt ampliorem declarationem uberioremque demonstrationem; ast illa remittimus ad caput sequens, ubi magis enucleate illa elementa, ex quibus inspiratio active et causaliter spectata coalescit, saltem duo priora, pro merito expendere satagemus.

Inspirationis notio a nobis hic tradita inter theologos hodie est communis, eamque sequentibus verbis distincte exponit Card. Franzelin : « Inspiratio ad scribendos sacros libros essentialiter constitisse videtur in charismate gratis dato illustrationis et motionis, quo veritates, quas Deus per Scripturam Ecclesiæ tradere voluit, mens hominum inspiratorum conciperet ad scribendum, et voluntas ferretur ad eas omnes et solas scripto consignandas, sicque elevatus homo tamquam causa instrumentalis sub actione Dei causæ principis consilium divinum exsequeretur infallibili veracitate » (1). Brevius P. Patritius : Inspiratio est « Dei actus hominem excitans ad ipsius sensa scripto excipienda, » et ibidem latius suam mentem aperiens : « Scripturæ, ait, non sic liber Dei sunt, quasi Deus ipse eas conscripserit; non ergo alio pacto esse possunt, nisi quia propria, ut ita dicam, sensa propriasque sententias, id demum, quod scribi vult, Deus scriptori suggerat ac veluti dictet » (2). Adæquata pariter ac magis explicita est definitio Illustr. Lamy : « Supernaturalis Spiritus S. motus, quo auctor sacer ad scribendum movetur, et inter scribendum illuminatur, ac dirigitur, ita ut errare nequeat et scribat ea quæ vult Deus » (3). Haud minus diserte et explicate exigit Kleutgen Spiritus Sancti tum impulsum in voluntatem, tum illustrationem intellectus, qua scriptor doceatur non solum summam scribendorum, sed et omnia ac singula sensa scripto

(1) O. c. Thes. III. (2) *Comment. de div. Scripturis.* (3) *Introd. in S. Script.* P. I, cap. II, n. 6.

consignanda (1). Instantius præ cæteris illum triplicem influxum expostulat et uberius vindicat Ex. D. Schmid (2). Passim apud Theologos hodiernos inveniuntur hujus charismatis definitiones seu descriptiones, quæ licet non semper expresse memorent tria inspirationis elementa, ea tamen implicite comprehendunt (3).

ART. II. REJICIUNTUR OPINIONES ERRONEÆ CIRCA INSPIRATIONIS NATURAM.

Ex iis quæ modo de requisitis ad veram inspirationem disceptavimus abunde liquet, a sincero hujus conceptu defecisse eos, qui hoc charisma constituerunt in assistentia Spiritus S. infallibiliter ab errore præcaventis, vel qui ad librum inspiratum sufficere autumarunt subsequens Spiritus S.

(1) *Theol. der Vorz.* I B. I Th. I Abth. « *Die Inspiration, welche von jedem Buche der h. Schrift zu behaupten ist, bestand in einem übernatürlichen Einfluss Gottes auf den Willen und das Erkenntnissvermögen des Verfassers. Sein Wille wurde durch einen besonderen Antrieb des h. Geistes zum schreiben bewegt : die Erleuchtung aber durch denselben Geist Gottes bewirkte, bald dass er erkannte, was über die Vernunft erhaben ist, bald dass ihm, was er bereits wusste, vor die Seele trat; sie lehrte ihn, was von diesem allen er zu schreiben, welche heilsamen Lehren und Ermahnungen er zu ertheilen habe; sie liess ihn endlich alles und jedes bis auf die geringsten Umstände so durchschauen, dass sich in seinen Vortrag keinerlei Irrthum einschleichen konnte* » n. 35 Cfr. n. 34. (2) L. c. lib. II, n. 74. (3) Cfr. Bellarminus. *De Verbo Dei*. l. I, cap. XV ad 2m, coll. Comment. in Ps 44 vv. 1 et 2; Perrone. *De loc. theol.* P. II, cap II ; Glaire. *Abrégé d'Introduction à l'Ecriture Sainte,* C. I, art. II ; Kaulen. *Geschichte der Vulgata,* § IV ; Stattler in *Loc. Theol.*, Denzinger, l. c. n. 119 ; Schrader, in *Thes. theolog.;* Zschokke. *Historia sacra.;* Scheeben. *Handbuch der katholischen Dogmatik*. 1. B. I Abth. n. 229. Adæquatam definitionem proponit etiam De Vence, in op. : *La Sainte Bible.* Vol. I. Discours prélim. sur la divinité des SS. Ecritures, II part. « L'inspiration proprement dite est un mouvement, par lequel Dieu donne à un auteur la volonté d'écrire et le conduit de telle manière, lorsqu'il écrit, qu'il lui fournit au moins les pensées, ou même les paroles, et le préserve de tout danger de s'écarter de la vérité, soit dans le sens soit dans l'expression. »

testimonium de veracitate alicujus libri sola humana industria conscripti. Istæ sententiæ præsertim post Concilium Vaticanum sustineri amplius nequeunt. Quo autem magis pateat, quam præpostere a non paucis quondam, et usque ad hæc ultima tempora ab uno alterove propugnatæ fuerint, paucis ostendemus eas semper a communi Ecclesiæ sensu alienas fuisse, atque nihil momenti habere ea, quæ ad eas persuadendas a nonnullis adferuntur. De illa vero sententia quæ inspirationem verbalem tuetur, in sequenti sectione, ubi de extensione inspirationis quæstio habebitur, opportunior dicendi locus erit.

§ 1. *Simplex divina assistentia ad inspirationem non sufficit.*

Liber sub divina solum assistentia concinnatus neutiquam potest esse liber inspiratus sive Scriptura Sacra, qualem se accepisse et usque custodire profitetur Ecclesia. Perinde nunc est utrum cum Jahnio, Janssens aliisque hanc assistentiam mere negativam, an cum Bonfrerio hanc assistentiam semper in actu primo positivam et cum antecedenti generali impulsu conjunctam ponas. Quamvis enim in Bonfreriana sententia inspiratio in actu primo ubique scriptori parata esse dicatur, atque etiam generalis quædam divina determinatio adsit ad scribendum de tali materia, ut vidimus, re tamen vera in sacris litteris multa exstarent scripta, quæ, in actu secundo et in individuo spectata, non divinitus inspirata, sed proprio marte (1) et solis humanis viribus, licet sub divina assistentia, exarata forent.

(1) Dico *proprio marte*, etenim Bonfrerius admittit in tali scriptore propriam determinationem *quoad individua sensa, quamdiu errorem non continent*, nam « in secundo modo, ait, est libertas quoad utrumque, et indeterminatio, saltem ab intrinseco, nam in exercitio ut scribant, liberi sunt, idque faciunt cum ad lubitum ipsis est; quoad specificationem vero, est quidem determinatio quædam ab extrinseco, » (ast nota quo sensu) « *ut diversa vel contraria iis quæ scribunt scribere non possint, cum scribentes Spiritus Sanctus non patiatur in scribendo errare, semper adstet scribentibus paratus in actu primo illis quæ scribenda sunt inspirare, sicubi sibi relicti essent aberraturi.* » L. c.

Nimirum 1° inspiratio indicat auxilium Dei supernaturale a simplici assistentia specifice distinctum. Hoc namque præsidium, contra errorem solum præmuniens, *per se* in ratione auxilii directi dicit aliquid mere negativum quoad efficientiam, dum inspiratio, secundum vim vocis et communem loquendi usum, positivam aliquam ac intimam unius in alterum operationem et actualem influxum denotat. Errat igitur Jahn, necnon pietati deest, quum, inculcata idea inspirationis, qua eadem reponi debeat in mera Dei assistentia, illud vocabulum *inspirationis* vitio vertit scholasticis, atque eidem, utpote actum positivum designanti, veluti non satis congruo detrahit : « assistentia hæc, ait, nihil inspirat aut docet, quod proprium est *revelationis* ». Hujus autem cum inspiratione permutatio, addit, « sedulo cavenda est, quæ viros alioquin eruditos obrepsit, et doctrinæ de inspiratione invidiam creavit ». Nemo non videt hoc monitum, quod aliis tam obsequiose elargitur, ipsi Jahnio prodesse potuisse, quippe qui plura permiscet inter se sedulo distinguenda : nominatim inspirationem quoad vim vocis cum revelatione, quoad sensum ei subjectum cum assistentia confundit. Quam autem insulse, imo quam temere vocabulum illud a Jahnio improbetur, apparet ex hujus vocabuli, ut ita dicam, historico usu et origine, utpote quod non a scholasticis primum adinventum, sed ab ipsis Apostolis in sacris litteris fuit usurpatum, a Patribus Ecclesiæ usque retentum et in universali Ecclesiastica prædicatione constanter adhibitum, ut Scripturarum divinam originem earumque discrimen ab aliis divinæ revelationis documentis compendiose indicaret. Ex eisdem fontibus etiam manifestum est huic voci semper positivam notionem subjectam fuisse, adeoque revelatum censeri debet Scripturas inspiratas esse proprio sensu, nec cuiquam jus aut ratio esse potest vim hujus vocis ad impropriam et negativam significationem detorquendi.

2° Ea admitti non debet inspirationis ratio, qua præter, quinimo contra Christiani nominis persuasionem, tum inspirata monumenta multiplicentur, tum eorum conscriptionis

ætas ultra modum prorogetur. At posita Jahnii hypothesi, usque ad nostros dies Romani Pontifices et œcumenica Concilia documenta conficerent, quæ Scripturis accensenda essent, et consequenter charisma inspirationis non extraordinarium, sed ordinarium esset sicut infallibilitas magisterii Ecclesiæ. Et re quidem vera definitiones fidei ac generatim decreta Ecclesiæ dogmatica sub promissa Spiritus S. assistentia contexuntur, ac proinde ratio non suppetit, cur in hac sententia illa Scripturis haud assimilentur. Neque vero dici potest, discrimen inter Scripturas et decreta infallibilia Ecclesiæ in eo esse positum, quod in hisce assistentia divina non se protendat ad argumenta vel ad motiva definitionis neque ad obiter dicta, quandoquidem plura sunt decreta Ecclesiæ, v. g. canones Conciliorum, in quibus nil ejusmodi occurrit, sed solummodo doctrina Apostolis revelata definitur, quin tamen Scripturæ Sacræ compellentur.

Tandem 3° addimus hanc rationem theologicam. Immediatus ac veluti proprius inspiratæ scriptionis effectus est, ut libri, qui sint hujus supernaturalis operationis terminus, sint formaliter *eloquia Dei*, *verbum Dei*, ac *habeant Deum auctorem*. Atqui liber, qui ab homine propria determinatione propriaque industria scribente procedit, est ratione scriptionis *verbum hominis* et *hominem habet auctorem*. Externa illa assistentia efficit quidem, ut quæ ab homine scribuntur, sint infallibiliter vera, non tamen, ut hæc determinate sensa scribantur, eâque scriptione fiant formaliter ipsum verbum Dei scriptum. Admisso itaque hoc conceptu, multa in Scripturis continerentur explicite, quæ a Deo explicite et immediate revelata dici non possent. Veritates enim divinitus revelatæ illæ solum dicuntur, quæ sunt terminus formalis locutionis Dei, ita ut ad eas tenendas non opus sit tamquam motivo nisi auctoritate Dei revelantis. Porro si scriptores sacri, v. g. in libris historicis, facta et eventus dumtaxat referunt, quatenus ea noverant scientia humana acquisita, Deo tantum errorem præpediente, facta illa *in seipsis* non erunt a Deo, sed ab homine scriptione manifestata. Si porro etiam illa assistentia revelaretur, implicite quidem revelata

censeri deberet veritas narratorum, ac proinde qui ea rejiceret, peccaret utique contra fidem et indirecte hæresi esset obnoxius, quia necessario deveniret logice ad negationem revelatæ divinæ assistentiæ ; nihilominus non esset directe dicendus hæreticus ratione veritatis quam explicite et directe negaret, utpote quæ non esset veritas in se et immediate a Deo revelata (1). Jamvero hæc omnia ad rationem Scripturarum minime sufficiunt, ut constat ex dictis, et a persuasione Ecclesiæ sunt prorsus aliena.

Nec sufficit, quod Bonfrerius præter assistentiam requirat *inspirationem quamdam generalem* scribendi talem historiam. Nisi enim Deus efficiat, ut hagiographus talia in individuo scribat sensa, auctor non erit complexus omnium et singularum sententiarum, quæ librum constituunt et complent, ac proin auctor libri simpliciter non erit, haud secus ac magister non est proprie auctor operis seu redactionis, si ita loqui fas est, sui discipuli, si hunc dumtaxat impellat ad disserendum de tali materia, vel ad evolvendos generales conceptus ipsi assignatos, eique tantummodo adstet, ne in scribendis iis quæ de tali re novit, errorem admittat. Verum quidem est librum habiturum auctoritatem magistri, ab eoque etiam rerum scriptarum, si quem errorem contineant, rationem repeti posse, at non ideo illud ad confectionem libri contulit, quo ejus auctor constituatur. Sed de his fusius infra.

Cum Card. Franzelin (2) persuasum habemus Patres Vaticanos hanc erroneam opinionem, saltem prout a Jahnio defenditur, voluisse excludere in sua laudata definitione his verbis : « Ecclesia (libros Scripturæ) pro sacris et canonicis habet... *non ideo dumtaxat quod revelationem sine errore contineant.* » Enimvero tota illa declaratio a Concilio Vaticano

(1) Apposite notat Card. Franzelin th. V ad illa facta sub divina assistentia conscripta eodem fere modo se habituram divinam revelationem, sicut se habet ad facta dogmatica, quæ infallibili Ecclesiæ judicio definiuntur.

(2) In appendice ad calcem Tr. *de div. Scripturis*, n. 13.

manifesto data est in oppositione ad errores nostræ ætatis. Porro tam hæc sententia, quam alia illa de subsequente approbatione præcipuos constituunt errores, quibus ultimis hisce sæculis genuinum inspirationis conceptum nonnulli catholici perverterunt. Quamvis quidem aliquis liber, quin conscriptus sit sub divina assistentia, *continere possit sine errore divinam revelationem*, ejusque immunitas a mendis nobis infallibiliter innotescere valeat v. gr. judicio dogmatico Ecclesiæ, nemini tamen persuadebis Patres Vaticanos in laudatis verbis præcitatam opinionem, cui non pauci catholici præsertim ante aliquot annos subscripserunt, non speciatim præ oculis habuisse. Licet igitur ob rationem indicatam hic error verbis Vaticanæ synodi dici non debeat *formaliter et expresse* rejectus, ex ejus tamen mente et ex consideratione hujus erroris cum antithesi Concilii, evidenter liquet assistentiam divinam ad præcavendos errores minime sufficientem ad rationem inspirationis fuisse declaratam. Quapropter hæc opinio in Ecclesia sustineri amplius nequit.

§ 2. *Subsequens approbatio non sufficit ad libri inspirationem.*

Magis adhuc improbanda est illorum sententia, qui ad rationem Scripturæ Sacræ satis esse arbitrati sunt, quod liber aliquis humana solum industria concinnatus, deinde fuerit approbatus a Spiritu S. tamquam ab omni errore immunis, vel quod talis liber ab Ecclesia sacrorum librorum canoni fuerit insertus ac in omnibus verax declaratus. Quoniam porro hæc insertio in elenchum librorum sacrorum ab Ecclesia facta, etiam mediate Spiritui S. tribuitur, hæ duæ opiniones sub hoc respectu non multum differunt atque idcirco eas partim communibus argumentis confutamus.

Itaque 1° hæc utraque sententia repudianda omnino est, quia misere genuinum inspirationis conceptum pervertit. Hocce enim charisma, prout ipsa vox indicat, non solum denotat influxum positivum in ipsam libri scriptionem, quod modo urgebamus, sed etiam prævertentem ipsam ho-

minis actionem ac libri existentiam tamquam effectum suum, adeo ut hanc etiam physice præcedat. Laudati vero auctores in sua hypothesi utrumque elementum pessumdant. Quod autem aliqui hoc testimonium vocent inspirationem subsequentem, hoc eos neutiquam juvat, cum hæc phrasis contradictionem in terminis involvat : inspiratio enim antecedentem et concomitantem innuit operationem.

2° Licet veritates in aliquo libro conscriptæ, quem Deus publica revelatione ceu in omnibus veracem testaretur, dici possent, ratione hujus subsequentis testimonii divini, veritates divinitus revelatæ seu *verbum Dei in sensu objectivo et materiali*, numquam tamen dici possent *verbum Dei formaliter ratione originis seu scriptionis*, qui est proprius et intrinsecus effectus divinæ inspirationis. Multo minus Deus haberetur *illius libri auctor*, cum ad hoc necesse sit, ut aliquo demum pacto a Deo efficienter prodierit. Porro in hac sententia Deus nullam omnino partem in libri confectione haberet. Esset itaque non opus Dei, sed opus hominis suo arbitrio suisque viribus relicti. Profecto subsequens divina approbatio efficere nequit, ut liber qui principiative et efficienter a solo homine procedit, ideoque qui est origine humanus, fiat a Deo inspiratus et origine homogeneus libris Scripturæ. Foret talis liber a Deo solummodo adoptatus et adscitus, ac tantumdem a Scripturis differret, quantum differt filius adoptivus a filio naturali. Sicut namque arrogatio supponit originem naturalem ex alio, ita subsequens libri divina approbatio supponit librum origine humanum, adeoque non inspiratum.

3° Ex modo quo laudati theologi suam hypothesim exponunt et vindicare satagunt, illico liquet hanc sententiam ex fallaci rerum confusione profectam esse (1). Permiscent nimirum hi theologi ea, quæ in hac quæstione apprime sunt secernenda : nempe *divinam Scripturarum auctoritatem* et *specialem earum dignitatem*, quam mutuantur *ex divina sua*

(1) Vide Bonfrerium. Præl. cap VIII, sect. VI ; Lessium in sua Antapologia ; Duvallium in D. Thomam T. II *de objecto Fidei*, q. II, a. III.

origine. Libri Sacræ Scripturæ profecto sunt infallibiles et habent divinam auctoritatem ad fidem faciendam, at hæc non ipsis exclusive inest : sunt namque plura alia documenta, quibus illa merito vindicatur, ut supra notatum fuit. Concedimus etiam ex subsequenti approbatione non solum infallibilitatem sed divinam quoque auctoritatem alicui libro conciliari, ita ut, si Deus publica revelatione ab Ecclesia promulgata veracitatem libri in omnibus et singulis attestaretur, veritatibus in eo contentis assensus fidei divinæ ab omnibus esset præstandus. At in libris Sacræ Scripturæ aliud quid spectandum est, ad quod non attenderunt illi eruditi, illud nempe quod præcise formalem eorum rationem et specificam dignitatem constituit : scilicet Scripturæ libris equidem inest divina auctoritas, ast non quomodocumque, sed ratione suæ originis et principalis scriptoris ; hoc est, sunt in se divini seu verbum Dei, *propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem.* Hæc duo in formula dogmatica in sensu composito et causali sumenda sunt, ut verus et adæquatus inspirationis conceptus habeatur. Discrimen igitur inter librum sacrum et inter librum a Spiritu S. approbatum, idem fere est ac illud, quod maximum interesset inter filium a rege adoptatum, cui hic auctoritatem suam transferret, jubens in omnibus ei tamquam sibi obtemperari, et inter filium ejus naturalem, cui hæc auctoritas jure hæreditario competeret.

Quamquam igitur illi, qui novam suam theoriam hypothetice solum proposuerunt, aliqua ratione excusari queant, nihilominus negari nequit eos saltem minus accuratum adhibuisse terminorum delectum, dum talem librum divinitus adprobatum « effici Scripturam Sacram » asseveraverint. Quid enim sibi vult : « efficitur Scriptura Sacra » nisi : efficitur liber ejusdem speciei, quales sunt libri ab Ecclesia pro sacris et canonicis recepti, ita ut his, si Ecclesiæ de divina illa comprobatione ex revelatione constaret, accenseri deberent? Hoc autem oppido falsum est, siquidem ex usu biblico et christiano nomen *Scripturæ* et *Scripturæ Sacræ* non aliud designat monumentum sacrum, nisi libros et

partes librorum, qui sub divina inspiratione sunt concinnati (1). Quare hæc locutio : *efficitur Scriptura Sacra* secum ipsa pugnat, sicut hæc gemina : *efficitur filius naturalis.* Rectius ergo diceretur : potest dari liber divinam habens auctoritatem et hoc sensu esse materialiter verbum Dei scriptum, quin sit inspiratus vel Scriptura Sacra.

4° Quod autem speciatim attinet illorum sententiam, penes quos hæc subsequens approbatio nihil aliud est, quam insertio in canonem vel declaratio Ecclesiæ de veracitate omnium, quæ in aliquo libro continentur, illi profecto inscite loquuntur et inspirationem revera ad nihilum redigunt. Etenim *a)* hæc insertio in canonem nihil aliud est, quam declaratio seu testificatio fidei hunc librum sub divina inspiratione fuisse conscriptum et qua talem ex apostolica Traditione fuisse Ecclesiæ legatum. Huic ergo testificationi præsupponitur tamquam ejus objectum tam libri conscriptio sub divino afflatu, quam immediata revelatio divinæ originis hujus libri. Tali igitur declaratione vel insertione post ætatem apostolicam facta ab Ecclesia, non adaugetur objectivus librorum sacrorum numerus, sed revelata veritas, quæ in regula fidei remota, h. e. Traditione continebatur, omnibus diserte et explicite applicatur per regulam fidei proximam, h. e. per ipsum authenticum Ecclesiæ magisterium. Si itaque Ecclesia inspiratum declararet nobisque proponeret librum, qui Scriptura Sacra non esset, sed ab auctore profano sola humana industria scribente esset exaratus, Ecclesia erraret in rebus fidei atque fideles turpiter deciperet; quæ dictu sunt impia et divinis adversantur promissis. Sed *b)* neque hac infallibili definitione Ecclesiæ efficeretur, ut veritates in libro contentæ divinitus essent revelatæ. Non enim ex immediata revelatione Dei, ut in priori hypothesi,

(1) Hoc etiam ipse Lessius postea intellexit. In scripto enim, quo ad « nova adversariorum argumenta » respondet, non esse, inquit, premendam vocem, qua in assertione usus sit *Scripturæ Sacræ;* cum nil aliud affirmare voluerit, nisi librum hujusmodi non minus certa fide, quam ipsum verbum Dei suscipiendum esse. V. Kleutgen ap. Schneemann.

nobis constaret de hujus libri omnimoda veracitate, sed solum mediate et indirecte per revelatam infallibilitatem testantis Ecclesiæ divina auctoritas tali libro conciliaretur. Fides ergo illi deberetur non immediate, sed solum mediate divina, seu, ut alii dicunt, ecclesiastica, qualem generatim factis dogmaticis præstandam profitemur. Porro nemo non persentit hanc doctrinam novam esse atque a persuasione Ecclesiæ plane dissidere.

Quapropter 5° Ecclesia in Concilio Vaticano hunc postremum errorem directe et explicite reprobavit. In citato enim cap. II. De Revelatione, synodus definit : « Eos vero (libros integros cum omnibus suis partibus) Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non *ideo quod sola humana industria concinnati, sua* (1) *deinde auctoritate sint approbati*... sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, *atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt.*

Sententiam vero Lessii et Bonfrerii Concilium non *expresse* damnavit, tum quia *a)* de sententia hypothetica mentionem haud facit. Synodus enim decernit, qua de causa Ecclesia libros, quos veneratur, pro sacris et canonicis *habeat*, quæ est quæstio *facti;* econtra laudati theologi statuunt, qua de causa liber quispiam pro sacro et canonico *haberi posset*, quæ est quæstio *hypothetica et juris.* Item *b)* discrimen aliud est inter hanc et illam sententiam in Concilio explosam, eo quod isti theologi requirant publicam *Spiritus Sancti* approbationem, Concilium vero loquatur de approbatione *Ecclesiæ*. Denique *c)* Lessius in sua *antithesi* tertiam suam propositionem ita moderate interpretatus est, ut scriptor humanus ex *divino instinctu* ad scribendum fuerit determinatus, proinde non sola industria propria librum scripsisse sit dicendus.

Nihilominus hæc sententia, si non intelligatur solum de auctoritate divina alicui libro concilianda, sed de dignitate conferenda quæ Scripturis est propria, theologice falsa est.

(1) Illud *sua* refertur ad *Ecclesiam* ut patet ex ductu sermonis, non autem ad Deum vel Spiritum Sanctum, uti supplet Schmid, n. 20.

Non enim vis vaticani decreti desumenda est ex eo solum quod excludit, sed et ex eo quod includit : porro, ut abunde satis ostendimus, talem inspirationem sacris libris agnoscit et vindicat, quacum hæc opinio minime valeat componi.

Facili negotio expeditur argumentum, quod Lessius, Bonfrerius aliique ad suam hypothesim vel sententiam firmandam adducunt, ex similitudine legis a principe confirmatæ vel epistolæ a rege subscriptæ. Si enim ipse princeps hanc legem haud exaravit, vel saltem suo ministro diversa legis præscripta a se suppeditata aptæ formulæ mandare non præcepit, nec est, nec per subsequentem approbationem fieri potest proprio sensu *auctor operis scripti*. Equidem ipsi principi lex tribui potest ac tribuetur qua auctori, at eatenus tantum, quatenus sua approbatione legem confirmavit, ratam habuit eique vim obligandi est impertitus : hoc sensu codices legum tribuuntur principibus v. g. Justiniano, Theodosio, etc. Etenim his loquendi formulis exprimitur id, quod est in lege præcipuum ac *formalem ejus rationem* constituit, nempe ipsum ejus robur ac vis obligandi, quam non mutuatur a jureconsultis, qui illam mente conceperunt et in idoneam formulam redegerunt, sed a regis confirmatione et approbatione. Alia omnino est ratio locutionis : *auctor libri*, quæ non simpliciter notat eum, a quo liber auctoritatem vel præstantiam habet, sed etiam, et quidem primario designat eum a quo liber profectus est et originem ducit. Similiter fere dicendum de epistola a rege aliove solummodo subscripta. Si enim rex ipse epistolam non scripserit, nec per alium scribi curaverit, ideas eidem suppeditando, ejus auctor non est, sed sui nominis appositione ei solum tribuit auctoritatem regiam : verbo, epistola a rege subsignata non est ejus formaliter sed auctoritative, non est eidem propria sed appropriata. Quin et hoc etiam addam, aliud esse epistolæ, quam non dictaveris, nomen subscribere, aliud alieni scripti veritatem testari. Quoniam epistola sua natura sermo est ad absentes, nomen tuum subnotando, tu ipse jam hunc sermonem ad eum, ad quem epistola mittenda est, dirigis, adeoque eam vere tuam facis. Quod profecto de eo, qui ab

alio scripta testatur esse vera, dici non potest, nisi forte censor publicus, quoties librum non solum in lucem edi permiserit, sed etiam quæ eo continentur diserte probaverit, auctor libri dicendus sit.

CAPUT III.

DISTINCTIUS DECLARANTUR INSPIRATIONIS ACTIVÆ ELEMENTA.

Quæ capite præcedenti disseruimus abunde sunt satis, ut confuse saltem intelligatur, quænam in hoc inspirationis charismate ex parte Dei requirantur et sufficiant, ut Deus auctor librorum sacrorum jure dici valeat. Nunc vero distinctius indagandum est, in quantum pro viribus licet, *quomodo* Deus sensa scribenda humano scriptori suppeditaverit, ac deinde, quo pacto ad ea scribenda voluntatem scriptoris moverit. Quo autem securius hac in explanatione procedamus, solidiorique fundamento nitantur quæ dicemus, præmittimus epilogum doctrinæ Scripturarum sanctorumque Patrum qua, quæ inquirimus, haud obscure indigitantur.

In sacris litteris dicuntur scriptores hagiographi *locuti in Spiritu, Spiritu Sancto inspirante, acti a Spiritu Sancto; nulla aliquando prophetia* (verbum seu scriptum propheticum) *allata est voluntate humana, sed a Spiritu Sancto acti verba fecerunt sancti Dei homines* (1). Non modo libros, qui prophetici vocitantur, a vatibus exaratos legimus, sed et libri historici et morales a viris prophetis scripti perhibentur, et quidem tam instanter, ut non aliter, quam a prophetis formaliter sumptis, hoc est, a viris lumine prophetico illustratis eos conscriptos esse significetur (2). Eadem, et profecto non minus diserta est doctrina Patrum : *Bibliorum conscriptores habue-*

(1) Horum textuum II Pet. I, 21 et Pauli II Tim. III, 15-17 supra commentarium dedimus.

(2) V. Prov. XXX, 1-6; XXXI, 1; Eccli XLIV, 3-5; XLVI, 1-16; XLVIII, 1, 25, 26; XLIX, 8-15. Cfr. Neteler. *Die proph. Verfasser der alttestam. Bücher*, in publicatione *Der Katholik*, 1876. October.

runt Spiritum Sanctum; pleni fuerunt Spiritu Sancto; non secundum artem scripserunt, sed secundum gratiam quæ super omnem est artem; illud scripserunt membra, quod dictante capite (Christo) cognoverunt, hoc est, non ea quæ ratio humana reperit, sed quæ hominibus sanctis virtus cœlestis infudit, verbo : *Scriptura dicitur dicta, scripta, condita, mentibus infusa a Spiritu Sancto, operatione supernaturali, gratia cœlesti* (1). Illud ulterius explicat S. Augustinus : *Mentes hagiographorum secretiori consilio Providentiæ Dei gubernantur, eorum mens atque recordationes a Spiritu Sancto reguntur* (2). Ex his generatim concludimus Spiritum S., causam principem librorum sacrorum, ad ordinem supernaturalem evexisse scriptorem hagiographum, causam subjugem ac instrumentalem, ejusque mentem illustrasse seu lumine supernaturali perfudisse, ut ea cognosceret, quæ Deus scripto voluit mandari, necnon illius voluntatem supernaturaliter roborasse ac movisse, ut ea qua sensa Dei infallibiliter litteris traderet.

Pariter ex iisdem inferimus, seponendam esse in sequenti investigatione quamcumque hypothesim, quæ scriptores humanos reducat ad mortua et cœca instrumenta. Et re sane vera sapienti Dei operationi consentaneum est, ut aliter res inanimatas et bruta, aliter creaturas ratione utentes qua instrumenta adhibeat. Illa enim providentia, quæ sic a fine usque ad finem attingit fortiter, ut disponat omnia suaviter, quemadmodum in rerum cursu communi creata singula secundum cujusque naturam dirigit, ita etiam, cum præter consuetum ordinem per res creatas operatur, proprias earum facultates et vires harumque usum nec tollere nec perturbare, sed suæ tantum operationi subjicere solet. Inde consequens est, hominis theopneusti facultates, industriam et dispositiones naturaliter acquisitas a Deo non excludi in Scripturis exarandis, sed Deum potius sese iis quadamtenus accommodare. Huic doctrinæ plane consonum et affine est pervulgatum illud theologicum principium, quod

(1) V. textus supra citatos, p. 82 et seqq. (2) *De consen. Evangel* l. III, n. 30.

hic etiam non est insuper habendum, quodque usuvenit in omnibus pene theologicis elucubrationibus, quibus efficientiæ divinæ sunt definiendæ, nempe miracula non esse multiplicanda sine fundamento cogente, seu, quod in idem redit, Deum in necessariis non deesse, in superfluis non abundare. Haud igitur gratuito excogitandi hic sunt modi illi extraordinarii in suoque genere miraculosi, quos quidem Deus hic illic ob particulares rationes usurpare consuevit, ast qui, utpote sæpe superflui, ordinario ejus agendi modo minime congruunt. Hisce præjactis, sit

ART. I. QUOMODO SPIRITUS SANCTUS INFLUIT IN SCRIPTORIS MENTEM ?

Quoniam effectus proprius inspiratæ scriptionis est, ut scriptum habeat Deum auctorem, sententiæque scriptæ sint proprie verbum Dei scriptum, oportet ut veritates, quæ in libro asseruntur, a Deo seu auctore primario in hominem causam instrumentalem deriventur, et hujus ope tamquam per instrumentum litteris consignentur. Necesse est igitur, ut hic illa, nonnisi qua ea divinitus primum cognovit, litteris mandet, vel, si ea aliunde jam nota habeat, ea formaliter, quatenus illa a Deo accepit scribenda, sub divina motione scripto exaret.

Porro ad cognitionem sive presse sive latiori sensu propheticam, sicut ad quamcumque aliam, duo requiruntur, scilicet ex parte objecti, ad ejus apprehensionem necessariæ sunt species, ex parte vero potentiæ, ad judicium de rebus per species acceptis requiritur lumen, naturale scilicet rationis in cognitione naturali, et supernaturale in cognitione supernaturali. De hisce nunc distinctim erit agendum.

I. Quod spectat apprehensionem seu acceptationem notionum seu veritatum scribendarum, oportet animadvertere multiplicis speciei esse inspirationis objecta, seu plane diversas esse res, quas Deus per scriptorem humanum litteris consignare intendit, si cum facultatibus cognoscitivis scriptoris vel cum ejus habituali sive actuali notitia, quam

earum habet, conferantur. Etenim hagiographi, præsertim prophetæ proprie dicti, plura scripserunt sub afflatu fatidico, quæ sibi antea plane incomperta erant, utpote quæ vires humanæ rationis superant quæque nonnisi Deo revelante in hominis notitiam venire possunt. Talia sunt vel futura vel arcana præterita sive præsentia, uti aliorum cordis cogitationes, vel etiam sublimia fidei mysteria nondum expresse revelata. Alii vero scriptores sacri, quales fuere historiographi, uti Moyses et Evangelistæ, vel etiam illi, qui libros sapientiales exararunt, plura litteris mandarunt sub θεοπνευστια, quæ apprime nota habebant, vel saltem habere poterant sive ex visu vel auditu, vel ex aliorum relatione vel documentorum collatione, sive etiam ex propriis rationis viribus, sive tandem ex revelatione sibi aliisve antea divinitus facta. Verum hæ ipsæ veritates, quæ humanæ rationi ac experientiæ subsunt, iterum in triplici versantur discrimine relate ad cognitionem hagiographi. Etenim *a)* hujusmodi sensa, quæ Deus per scriptorem vult litteris consignari, possunt, licet non ultra mentis aciem humanamque experientiam posita, scriptori tamen ignota atque incomperta esse; vel *b)* potest theopneustus, quamquam ea jam nosset, ubi Deus ea scribenda suggerebat, non tamen ultro inter scribendum de iis actu cogitare sive eorum recordari; vel denique *c)* fieri potest, ut illa cognoscat ad eaque actualiter animum referat et hac ratione Deo veluti antevertat, videndo quæ sint scribenda.

Non defuere qui dicerent, Spiritum S. omnes veritates scribendas hagiographo ita per revelationem suppeditasse, ut, infusis novis speciebus objectivis, ea omnia objective *de novo conciperent*, non secus ac ubi veritates antea incognitæ primum pandebantur. At vero talem operationem divinam sicut nec ubique necessaria fuit, ita nec semper in Scripturis conficiendis obtinuisse pro certo habemus (1). Et sane,

(1) « Nec revelatio stricto sensu, manifestatio nempe rei occultæ, nec *nova* revelatio sensu latiori, prima videlicet veritatis propositio divinitus facta, pertinet ad essentialem notionem inspirationis » Em. Card. Franzelin. In app. ad Tr. cit. n. 3.

si sensa omnia de *novo* scriptori manifestarentur, quorsum dixisset S. Lucas, se litteris mandare ea quæ antea audiverat ab Apostolis (1), vel auctor libri II Machabœorum notasset se esse abbreviatorem Jasonis Cyrenæi, ut plures eum intelligunt, vel saltem, prout nos ejus verba accipimus, se illius opere qua fonte historico usum esse, atque in ejusmodi historia contexenda negotium plenum vigiliarum assumpsisse (2)? Quare non potius dixissent, se ea scribere quæ acceperant a Spiritu S., qui singula prorsus *de novo* eis aperuerat? Sane sufficit ad divinam inspirationem, ut scriptor res et sententias sub lumine supernaturali accipiat in ordine ad scriptionem, ad easque litteris consignandas divinitus moveatur. Tunc enim vere dici possunt dictatæ adeoque et inspiratæ. Idcirco tuemur Deum per infusas novas species objectivas non necessario instruxisse scriptores sacros, nisi quando eos adhibuit, ut in scribendo essent futurorum vates, arcanorum præcones vel prima novarum revelationum organa; verbo, quoties ea scribebant, quæ sibi aliunde plane incomperta erant. Revelatio itaque, quatenus est ignoti manifestatio, non est elementum essentiale ingrediens inspirationis conceptum, sed est specialis manifestationis modus, magis quidem connaturalis (3), non tamen requisitus necessario nisi ratione naturæ et indolis veritatis inspiratæ.

Age itaque 1°, quando hagiographis res novæ vel abstrusæ scribendæ patefiebant, Deus per novas species seu phantasmata infusa earum notitiam menti eorum ingessit. Hanc scilicet rerum apprehensionem tribus modis Deus producere potuit, vel *a) secundum visionem corporalem*, ut loquitur S. Thomas (4), id est secundum exteriorem sensus perceptionem, in qua Deus oculis prophetæ exterius exhibet res aliquas sive rerum imagines, quæ non sunt secundum naturam formatæ, sed solummodo divinitus ad aliquid osten-

(1) Luc. I, 1-4. (2) II Mach. II, 24-27.

(3) Dico : *magis connaturalis*, quia inspiratio refertur ad genus prophetiæ et est quædam divina manifestatio. (4) Quæst. de veritate Q XII de Prophetia a. 7, coll, 2. 2. q. 173 a. 2.

dendum » seu prophetice significandum ; vel aliquem sermonem exterius sensibiliter producit, unde naturaliter resultat in phantasia nova formatio specierum ; ab hisce vero speciebus sensibilibus secundum illustrationem intellectus agentis abstrahuntur species intelligibiles, actuantes intellectum possibilem et cum eo producentes actualem repræsentationem intellectualem; vel *b) secundum visionem imaginariam* seu per sensum internum; quando scilicet vel novæ species in imaginatione a Deo efformantur convenienter veritati supernaturali significandæ, vel præexistentes species a sensibus acceptæ et in thesauro virtutis imaginativæ reservatæ tali synthesi copulantur seu aggregantur, quæ competat designationi rei significandæ (1); vel *c) secundum visionem intellectualem*, quæ non fit secundum aliquas similitudines corporales et individuales, fit vero per aliquam similitudinem intellectualem seu per novas species, ut dicunt, intelligibiles immediate a Deo impressas, quibus aliqua intellectui ostenduntur supra naturalem facultatem. Hoc casu « ita clare veritatis cognitio intellectui infunditur, ut non ex similitudine aliquarum imaginum veritatem accipiat (propheta), immo ex veritate jam perfecta ipse sibi imagines efformare possit, quibus utitur propter naturam nostri intellectus » (2). Hoc est, phantasia etiam tunc cooperatur convertendo se ad phantasmata objectorum materialium, quæ materiam illius revelationis utcumque concernunt seu cum ea proportionem habent. Anima enim, quamdiu est corpori conjuncta, non valet talem revelationem omnino pure et absque ulla proportione ad res materiales apprehendere.

Porro supernaturalis rerum apprehensio, quæ habetur per revelationem, producitur in prophetis secundum unum ex his tribus modis, quorum, utut hic postremus sit perfectior, cum in eo nulla sit a principio cum sensu communicatio, ille secundus, qui fit per species sensibiles, magis proprius est prophetis, ut late probat S. Thomas (3). Ex

(1) S. Thomas. De Ver. l. c. ad 3 et 5. (2) S. Thomas. ibid. a. 12 in θ, cfr. ib. ad 2^{m} et 2. 2. q. 173 a. 2. (3) 2. 2. q. 174 a. 2. ad 3^{m} et q. De Ver. q. XII, a. 12.

inspectis porro libris propheticis Scripturarum, merito conjicitur Deum de facto in instruendis prophetis potissime secundum manifestationis modum adhibuisse, rarius vero primo et tertio esse usum.

Ubi vero 2° ratione objecti seu veritatis conscribendæ nulla fuit ignoti revelatio, influxus, quem Deus in mentem hagiographi exercuit in ordine ad sensuum scribendorum apprehensionem, rursus accidentaliter diversus est ponendus pro diversa scriptoris conditione, quam possibilem supra posuimus. In qualibet tamen hypothesi talis requiritur divinus influxus, ut veritates scribendæ veluti digito Dei scriptoris menti insculptæ habeantur, ac porro ipsæ, formaliter quatenus sub hoc divino lumine ad scribendum apprehensæ fuerint, scripto mandentur. Illud ex supra delibatis probe sequitur. Proinde scriptor, qui talis influxus in se perfecte conscius est, non potest non habere istas veritates ut divinitus certas ac proprio sensu hominibus a Deo communicatas.

Itaque quod attinet ad talium veritatum apprehensionem, *a)* ubi Deus scripto mandari voluit veritates, ultra mentis aciem vel naturales facultates scriptoris non positas, quas tamen penitus ignorabat, vel poterat eas ipsi communicare per novarum specierum infusionem, de qua antehac diximus, vel, hac jam exclusa, poterat illum impellere, ut uteretur instrumentis externis, tamquam mediis objectivis, suppeditando eidem documenta, testes, etc., vel eum excitare ad studium, inquisitionem vel rerum scribendarum inspectionem, quibuscum adjumentis specialem suam directionem, supernaturalem mentis illustrationem et voluntatis motionem conjungeret, atque ita efficeret, ut ea omnia et sola mente ac voluntate ceu scribenda divinitus conciperet, quæ ipse per Scripturam Ecclesiæ proponere voluit. Quod autem spectat *b)* ea, quæ scriptor jam comperta habebat, sed quorum inter scribendum non ultro recordabatur, potuit Spiritus S. in ordine ad eorum scriptionem memoriam theopneusti sive sensitivam sive intellectualem immediate per se sive per media naturalia ita excitare, ut species rerum sensibiles

sive notitiæ intellectuales habitu conservatæ reproducerentur, ac insimul mentem ejus supernaturaliter illustrare, ut ea omnia et sola ceu scribenda menti occurrerent, quæ ipse vellet scripto consignari (1). Verum *c)* neque actualis cognitio scribendorum, quam naturaliter habebat θεοπνευστος, impediebat quominus Deus conceptuum causa in ordine ad scriptionem, adeoque auctor libri esse quiverit. Tunc enim quoque, quum quis librum componens amanuensi res et sententias propriissime dictat, accidit ut nonnulla dictet, quæ hic cognita jam habet de eisque cogitet et scribenda esse videat, nemo tamen inficias ibit, illum proprie esse scripti auctorem, qui sententias scribendas dictaverit. In hac vero hypothesi nullus influxus Dei postulatur ad veritatum objectivam acceptionem seu ad excitationem specierum objectorum utpote quas jam actualiter apprehendit; verum satis tunc est, at simul opus, ut Deus sensa scribenda sub lumine supernaturali designet scriptoremque ad ea scribenda impellat, hoc est, ejus menti infundat judicium practicum, quo inter ea quæ vera cognoscit, quæque menti ejus obversantur, judicet ea omnia et sola litteris determinate esse mandanda, quæ Deus suo consilio comprehendit. Tunc quidem cognitio naturalis scriptoris ontologice præcedit veritatum scribendarum apprehensionem sub lumine divino ac motione, dum in aliis casibus, in quibus Deus scriptorem ad studium vel aliorum fontium usum impellit, actualis cognitio veritatum hac ope obtenta solum logice antevertit earum apprehensionem et cognitionem sub lumine divino (2).

(1) Hoc sensu dixit S. Aug. in l. de cons. Evangel. l. II cap. XII, n. 27. « Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius, eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est. » et Lib. III cap. XIII, n. 48 « Recordationes eorum (Evangelistarum) ejus manu gubernatæ sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit ».

(2) De hac inspiratione quæ sibi conjunctam non habet acceptionem supernaturalem a Deo infusam, videtur scribere S. Thomas : » Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed judicium tantum supernaturale, et sic solus intellectus illustratur sine aliqua ima-

Ex modo expositis probe perspicitur charisma inspirationis non excludere industriam, studium et præsidia, puta documentorum et testium, ab homine adhibita ad ideas et judicia mente concipienda, adeoque non adversari sacrorum scriptorum inspirationi, quod ea, quæ narrant vel efferunt, ex propria experientia vel aliorum relatione hauserint, uti Lucas et Joannes, sive etiam cum ingenti labore et operosa diligentia ex aliorum libris deprompserint, ut scriptor libri II Machabæorum (1), Hinc Protestantes falso et inepto nituntur fundamento, dum ideo hunc postremum librum ex canone Scripturarum expunxerint, quod libri canonici absque humana industria debeant esse exarati et immediate a Spiritu S. dictati vel revelati, ut arguit Calvinus in antidoto Concilii Tridentini. At falso, inquam, nam imprimis illa actio dictandi, quavis inquisitione exclusa, in inspiratione ad scribendum haudquaquam necessaria est. Deinde, quod huc propius spectat, nil impedit quominus Spiritus S. ope mediorum externorum in mentem scriptoris influat, excitando scilicet eum efficaciter, ut sub divina motione ac illuminatione, res omnes quas est relaturus, primo in fontibus humanis investiget; quibus rite apprehensis, sub eodem lumine judicet talia definite sensa esse scripto consignanda. Hunc enim divinum influxum, quoad efficaciam ultimumque rei effectum lumini prophetico æquivalere perspicuum est (2).

ginaria visione. Et talis forte fuit inspiratio Salomonis, in quantum de moribus hominum et naturis rerum, quæ naturaliter accipimus, divino instinctu cæteris certius judicavit ». Quæst. XII de Proph. art. 12. Cfr. ibid. ad 10m.

(1) Nil igitur obstat ex hoc saltem capite, quominus cum schola critica admittamus Moysen aliosque nonnullos sacros scriptores in suis scriptis confingendis usos esse documentis præexistentibus, puta catalogis genealogicis et chronologicis, imo de verbo ad verbum ea transcripsisse. Dummodo enim Spiritus Sanctus eos impulerit ad talia monumenta exscribenda vel conferenda, eis adfuerit divino suo lumine in rebus ac sententiis scripto consignandis, simulque corrigi ac emendari curaverit ea quæ fors mendosa in iis continebantur, libri inspirati Deique sensa erunt.

(2) Cfr. Franzelin et Schmid l. II, cap. IV. Infra data opera plura dicemus de lib. II Machabæorum.

Fontes illi, ad quos conferendos Deus scriptores impellit, sunt media objectiva et extrinseca, ex quibus scriptoris mens, a Deo supernaturaliter illustrata et manuducta, veritates haurit et sub actione Spiritus S. tamquam scribendas concipit. Pari omnino ratione Deus in gratia præveniente ordinis ethici supernaturalis sæpe hominem inspirat seu excitat ad bonum, proponendo objecta extrinseca, quæ ad bonum alliciunt, at simul gratuito facultates rationales hominis ad excellentius agendum elevando. Quo casu supernaturalis cognitio cohæret *objective* cum objecto extrinseco, *subjective* tamen et *efficienter* est supernaturalis utpote a Deo in homine excitata.

A fortiori intelligitur Deum in instruendis prophetis et hagiographis multipliciter adhibere potuisse ministerium Angelorum, non tantum in suppeditandis mediis externis, sed etiam in signis externis prophetarum sensibus exhibendis, vel in excitandis ordinandisve speciebus sensibilibus in eorum phantasia in ordine ad veritatum scribendarum acceptionem.

II. Ad *perfectam et completam* mentis prophetæ seu hagiographi instructionem infunditur ei, uti diximus, lumen divinum pertinens ad judicium de rebus per species acceptis (1). Divinum illud lumen identicum vel simile est lumini prophetico, quod in vatibus principium est cognitionis, qua sensum penetrent eorum, quæ per revelationem apprehendunt, tum judicii, quo judicent prophetiam veram esse. Omne enim quod supernaturaliter manifestatur, lumine supernaturali manifestari oportet (2). « Divina revelatio, ait S. Thomas, fit quodam interiori et intelligibili lumine mentem elevante ad percipiendum ea, ad quæ per lumen naturale intellectus pertingere non potest, sicut enim lumen naturale intellectus redditur certus de his, quæ lumine illo cognoscit, ut de

(1) Dico *plenam et perfectam*, nam mox inquiremus, num charisma prophetiæ seu inspirationis in gradu illo perfecto nunc describendo necessario semper hagiographis fuerit concessum.

(2) S. Thom. 2. 2. q. 171, a. 2.

primis principiis, ita de his quæ supernaturali lumine apprehendit, certitudinem habet » (1). Hoc lumen semper adest in prophetia proprie et stricte dicta, ita quidem ut, cui supernaturaliter aliquæ species demonstrantur, si tamen lumen intellectuale deficiat, quo harum rerum significationem intelligat, verus propheta haberi nequeat (2). Itaque in prophetiis stricte dictis, in quibus veritates supernaturales panduntur sive per imagines sensibus externe exhibitas, sive per novas species phantasiæ impressas vel ex præexistentibus in ordine ad veritatem propheticam manifestandam coordinatas, mens prophetæ divino lumine illustratur, ut cognoscat eas non esse res, sed aliqualiter rerum similitudines earumque significationem sensumque cognoscat. Præterea illo lumine illustratur prophetæ intellectus, ut videat Deum esse revelantem illas veritates, simulque roboratur et juvatur, non secus ac per lumen fidei, ut auctoritate Dei innixus firmo assensu eis adhæreat. « De his ergo, scribit Angelicus, quæ expresse per Spiritum prophetiæ propheta cognoscit, maximam certitudinem habet et pro certo habet, quod hæc sunt divinitus sibi revelata » (3). Quando autem ad ea scribenda hagiographi divinitus impelluntur, quæ captum humanæ rationis vel experientiæ non excedunt, quemadmodum supra diximus Spiritum S. non necessario immediate infundere novas species sensibiles vel concedere visionem intellectualem, ita pariter influxus divinus, quo intellectus circa hujusmodi veritates illustratur, non est in sensu stricto nova revelatio, sed est veluti nova manifestatio illarum veritatum *sub lumine divino*, quod præcise hunc in finem immittitur, ut cognitioni humanæ tribuat certitudinem divinam. Cui igitur illius luminis natura perspecta est, hæc divina illustratio efficit, ut quas veritates fallibili persuasione jam antea compertas habebat, nunc etiam reflexe certitudine infallibili ac divina cognoscat eisque assensum firmum ac supernaturalem præstet.

(1) C. Gent. l. III, cap. 154. (2) Qu. de Proph. art. X, ad 14. Cfr. S. Aug. de Gen. ad litt. l. XII, cap. 9. (3) 2. 2. q. 171, a. V.

Hæc ultima pulchre tradit Angelicus in 2. 2. q. 174, art. 2, ad 3^{m}, ubi, postquam enumeravit duos priores prophetiæ gradus, in quorum priore, inquit, veritas supernaturalis per nudam contemplationem manifestatur, in altero minus digno, sed magis prophetis proprio, divina veritas, sub similitudine rerum corporalium ostenditur, tertium exponit cognitionis propheticæ gradum, qui tamen stricte dicta prophetia non est, habeturque quando lumen supernaturale infunditur ad ea cognoscenda, quæ humanæ rationi impervia non sunt. Hic ultimus gradus, ait, sufficit ad inspiratam locutionem vel scriptionem, modo utique adsit simul motio voluntatis ad loquendum vel scribendum. « Quorum (i. e. qui hagiographa conscripserunt) plures frequentius loquebantur de his, quæ humana ratione cognosci possunt, non quasi ex persona Dei (i. e. non sicut prophetæ proprie dicti expresse attestantes : *hæc dicit Dominus)*, sed ex persona propria *cum adjutorio tamen divini luminis.* » Illud autem lumen spectat, ut ibidem docet, « non ad cognoscendum aliqua supernaturalia (ut in superiori prophetiæ vel inspirationis gradu), sed ad *judicandum secundum certitudinem veritatis divinæ ea, quæ humana ratione cognosci possunt* » (1). Idcirco quemadmodum in gratia præveniente actus indeliberati intellectus et voluntatis non tantum supernaturales sunt quoad modum, qui se tenet solum ex parte actionis, non autem ex parte effectus, sed etiam in se ratione principii elicitivi, quatenus facultates rationales supernaturali auxilio ad eos eliciendos roborantur, ita illud supernaturale lumen, in charismate inspirationis, eo pertinet, ut mens scriptoris ideas et judicia, quæ operante Deo sive immediate sive per media objectiva concepit, sub divino lumine rite apprehendat, intelligat et earum veritatem perspiciat. Quare,

(1) Cfr. ibid. q. 173, art. 2. S. Thomæ vestigiis etiam inhæret Zschokke, dum scribit : « Quando eæ (res) naturali via cognitæ erant, requirebatur tantum aliqua Dei cooperatio ad conceptus formandos, non vero revelatio;... Fecit hoc Deus, hagiographi intellectum dirigendo et illustrando, ut non fallibili persuasione sed infallibili certitudine in scribendis judicet » *Historia Sacra*, § 103.

quæ ab homine ornato hujusmodi charismate procedunt, humana non sunt, sed divina ac Deo tribuenda tamquam principi causæ. Quum enim sensa pendeant a mentis lumine, quo concipiuntur ac illucescunt in mente scriptoris, humana illa erunt, si lumen hoc humanum fuerit, divina vero, si lumen divinum fuerit.

Quæ hucusque explanata fuere, spectant inspirationis charisma *in sua perfectione* consideratum. Quoniam vero istud donum haud ideo datur principaliter et ultimatim, ut scriptor θεοπνευστος instruatur, sed ut per librum divinitus editum fideles omnes a Spiritu S. immediate edoceantur, non insulse quæreret quis, utrum de facto sacri scriptores habuerint perfectam illam illuminationem et plenam intelligentiam rerum scribendarum, quam modo descripsimus. Nullius enim momenti est quod quis possit objicere, videlicet librum, qui terminus est talis conscriptionis, secus non fore verbum Dei seu librum inspiratum. Evidens namque est librum illum habiturum Deum auctorem, cui scriptor humanus sub divino impulsu fideliter mandasset verba, quæ divinitus audierat, vel accurate describeret imagines a Deo sensibus ejus exhibitas, etiamsi illorum sensum harumque significationem sub divino lumine nullatenus vel saltem non perfecte didicisset. Hoc enim casu, etsi perfecta non esset inspiratio passive spectata seu subjectiva ipsius scriptoris, nil tamen deesset inspirationi terminative consideratæ seu ipsius libri. Aliis verbis : Deus esset auctor conceptuum objective in libro contentorum, tum simul per voluntatis motionem causa esset eorum conscriptionis, ac proinde auctor esset libri, non secus ac ubi quis suo amanuensi dictaret ea, quorum hic plenam significationem non intelligeret, neque a fortiori objectivam veritatem perspiceret. Ita plane, fieri omnino potuit, ut sacri scriptores quandoque habuerint vel pene nullam, vel saltem non plenam intelligentiam eorum, quæ ipsis communicabantur, neque perspecta habuerint mysteria omnia, quæ sub imaginibus sensibilibus portendebantur aut sub verbis in eorum calamo positis latebant vel demum, licet sensum seu significationem

assecuti sint, haud tamen fuerint illuminati ad assensum supernaturalem præstandum circa objectorum veritatem. Quî enim a priori evinces prophetas, Ezechielem v. g., perfectam in omnibus habuisse cognitionem prophetiarum maxime abstrusarum, quas Spiritus S. per eos nobis dedit? Huc pariter spectant sensus mystici nonnullorum locorum seu textuum Vet. Test., quos, nisi a scriptoribus Nov. Test. aperti fuissent, nemo umquam fuisset suspicatus. Quodsi ita est, quænam ratio, amabo, nos cogit ut ponamus, eos omnes semper fuisse sacris scriptoribus patefactos, ab eisdemque inter scribendum intentos? Hoc quidem casu imperfecta est illuminatio scriptoris theopneusti, qui tunc solummodo movetur a Spiritu S. ad rite apprehendenda ea, quæ Spiritus S. litteris vult mandari, quorum non plane pervidet significationem atque veritatem (1). Scilicet tunc non infunditur scriptoris menti judicium speculativum de sensu et veritate rerum apprehensarum, sed solum judicium practicum, quo judicet ea, quæ nunc efficiente Deo accepit, esse scripto consignanda; aliis verbis, non accipit perfectum inspirationis donum, *sed instinctum solum propheticum*, seu, ut dicit Suarez, « directionem a Spiritu S. in sua locutione (seu scriptione) qua fit ut ea proferat (scribat) verba, et eo modo, quo intentioni Spiritus S. deserviunt, ipso homine non intelligente » (2).

Verum hunc non fuisse ordinarium inspirationis stricte propheticæ modum facile evincitur ex iis, quæ supra attigimus. Enimvero hic modus operandi est minus conveniens naturæ instrumenti ratione præditi, ut scilicet ea scripto excipiat, quorum intelligentiam non habeat : in his namque, quæ hagiographus absque intelligentia scribit, agit ad instar instrumenti cæci ac mortui. Ideoque, quod speciatim attinet ad hagiographos, qui futura scribendo sunt vaticinati, eos peculiariter lumine prophetico, saltem universim, donatos fuisse adeoque veris proprieque dictis prophetis esse accensendos, pro certo habendum esse videtur. Sane ipsi gene-

(1) S. Thomas. 2. 2. q. 173, a. 4 (2) *De Fide* disp. VIII, sect. IV, n. 2.

ratim dicuntur *prophetæ* absque restrictione : « Deus olim loquens Patribus in prophetis ». Porro prophetis non annumerantur illi qui non intelligunt, quid Spiritus S. per verba vel per imagines significet vel intendat. Unde Pharao qui visionem a Deo accepit, sed ejus significationem non intellexit, vel Caïphas, qui quidem movente Deo est vaticinatus, sed sensum verborum a Deo intentum minime est assecutus, veri prophetæ non fuerunt. Testatur illud itidem Propheta Daniël : « Verbum revelatum est Daniëli... intellexitque sermonem : *intelligentia enim opus est in visione* » (1), et David in psalmis Deum compellat : « Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi ». Idem docet Augustinus : « Quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in Spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia » (2). Et S.Thomas : « Si cui, inquit, fiat divinitus repræsentatio aliquarum rerum per similitudines imaginarias... non est talis censendus propheta, nisi illuminetur ejus mens ad judicandum, sed talis apparitio est quiddam imperfectum in genere prophetiæ » (3). Uno agmine SS. Patres impugnant Montanum, qui ex falsa quam comminiscebatur exstasi inferebat, prophetas et generatim homines a Deo inspiratos nihil plane intellexisse eorum, quæ loquerentur vel scriberent. Ratio pariter suffragatur : inspiratio namque, cum sit gratia gratis data, perficit hominem supra naturalem exigentiam : porro scripto excipere verba, vel signa describere quorum sensus nullatenus perspicitur, non pertinet ad perfectionem, sed est potius actus imperfectionis et aliqua carentia usus rationis. Quapropter affirmat generatim angelicus Doctor : « Locutio, *qua Deus prophetis locutus esse dicitur in Scripturis*, non solum attenditur, quantum ad species rerum impressas, sed etiam quantum ad lumen inditum, quo mens prophetæ de aliquo certificatur » (4).

(1) Dan. X, v. 1. (2) De Gen. ad litt. l. XII, cap. IX. (3) 2. 2. q. 173, a. 2.
(4) Qu. disp. Qu. XII, art. 7 ad 4^{m} (11^{m}). Illud tamen non ita intelligendum est, ac si S. Thomas tribuerit universim Prophetis perfectam om-

Scholion I. Solvenda hic subsequitur quæstio cum præcedenti intime connexa ac veluti ejus completiva, utrum nempe hagiographi divinæ inspirationis inter scribendum fuerint conscii. Aliis verbis : disquiritur, utrum sacri scriptores non tantum cognoverint, efficiente Deo, sensa scripto consignanda, verum etiam perspectum continuo habuerint, se sub divina illustratione atque impulsu scribere. Porro, antequam huic quæstioni faciamus satis, duo hic loci prævie enucleanda sunt, quæ solutionem præparare atque elucidare sunt nata. Scilicet inquiremus imprimis, quo pacto sacris scriptoribus divinus hic influxus certo innotescere potuerit. Neque profecto illa consideratio inutilis apparere debet, quandoquidem non desint rationalistæ aliique divinæ revelationis osores, qui ex hoc capite tum inspirationis tum generatim cujuscumque revelationis possibilitatem negent, quod nequeat inspiratus exsurgentes internas illustrationes ac motiones divinas, tuto discernere ab hallucinationibus imaginationis seu a motibus, qui in phantasia ex causis naturalibus sponte exurgere valent, verbo, quod nequeat umquam hæc certitudo esse realis seu objectiva (1). Deinde ostendendum pariter erit haud esse impossibile, quod cuiquam posset videri, ut Deus modo, quo diximus, in intellectum et voluntatem scriptoris positive influat, quin hagiographus hujus divini influxus satis sibi sit conscius.

Itaque 1° extra omne dubium esse deberet, etiamsi de modo non constaret, Deum sese posse ita hagiographo qua revelantem seu inspirantem manifestare, ut hic divini sui charismatis certam habeat conscientiam. A priori enim dictu est violentum, imo evidenter absurdum, Deum ideo a divinis suis consiliis homini manifestandis præpediri, quod hunc nequeat de sua locutione certiorare. Quamvis igitur

nibusque numeris absolutam vaticiniorum intelligentiam, nam in 2. 2. q. 174 a. 2 ad 3^{m} dicit : « Prophetia importat quamdam obscuritatem et remotionem ab intelligibili veritate ».

(1) Bretschneider. *Dogm*, I. s. 205 et II s. 553; Spalding. *Ueber den Werth der Gefühle im Christenthum*, 2te Aufl. Leipzig 1764; Kant. *Streit der Facultäten;* Spinoza. *Tract. Theol. polit.* cap. II.

sciscitanti de modo, quo Deus illud præstet, respondere possemus neminem scire, nisi qui accepit, de re tamen ipsa ambigi a quoquam profecto nequit. Verum haud impossibile videtur aliqua ratione indicare, quo pacto Deus seipsum prophetæ vel hagiographo manifestare queat. Sane *a)* quando Deus animæ loquitur aliove modo in eam agit, potest simul ei infundere lumen supernaturale ad pervidendum et quidditative cognoscendum, quæ et qualis sit illa locutio vel motio, ex quo homo evidenter intelligat, illam esse talis rationis, ut ordinem essentialem dicat ad Deum qua auctorem, a quo nempe solo, sive immediate, sive mediate, produci ea queat. Deus, ait Suarez, « potest infundere lumen, quo illud verbum evidenter in se cognoscatur quale sit, et cujus naturæ; ergo per illud lumen evidenter cognoscetur Deum esse, qui in homine loquitur » (1). Hæc valent de cognitione in se et principiative supernaturali, eaque semper a Deo concedi potest. Ast *b)* haberi pariter potest cognitio solum naturalis Dei revelantis vel inspirantis : « nam, ait ibidem Suarez, licet de supernaturalibus rebus, ut tales sunt, non possimus habere cognitionem naturalem evidentem; nihilominus, supposita divina operatione talium rerum in nobis, possumus per aliqua signa vel conjecturas evidenter cognoscere, quod a Deo sint. » Etenim sicut in humanis sæpe, non visa persona loquentis, evidenter cognoscimus ex sola voce audita talem esse quæ loquitur, ita pariter in ordine supernaturali motiones et locutiones Dei tales esse possunt, ut, etiam absque speciali lumine divinitus ad hoc concesso, ex consideratis illarum motionum characteribus, hoc est, modo, qualitate, objecto et fine, morali saltem certitudine cognoscere possit propheta vel hagiographus eas non ex naturalibus causis, sed a solo Deo sive immediate sive mediante angelo originem sortiri. Itaque *α)* criterium hujusmodi divinæ illustrationis tunc habebit *θεοπνευστος*, quando ei immediate

(1) *De Fide*. Disp. III, sect. VIII, punc. I. Cfr. Tr. *De Gratia divina*. Proleg. III. c. V nn. 41-44; Card. Bona. *De discretione Spirituum*. Capp. XVIII et XX; Denzinger. o. c. II B. n. 126.

conceditur intellectualis visio ipsius veritatis, seu menti ejus infunduntur species intelligibiles, per quas veluti efformatur spirituale verbum infusum, hoc est, quando homo recipit supernaturalem veritatem, non spectabili forma, non voce sensibili ad aures vel imaginationem personante, sed prorsus intellectuali locutione. Constat enim hanc locutionem per species intelligibiles immediate infusas solius Dei esse posse, cum hic solus ita agere valeat in intellectum eumque ita immutare, ut veritates absque speciebus sensibilibus prius apprehensis immediate intellectualiter cognoscat (1). Verum β) non solum in hac sublimiori illustratione, sed etiam in inferiori inspirationis gradu potest θεοπνευστος ad notitiam Dei revelantis pertingere. Nimirum ubi prophetica revelatio fit sive per repræsentationem sensibilium formarum sensibus objectarum, sive per infusionem vel compositionem specierum in facultate imaginativa, advertere potest hagiographus vel propheta eas non esse quomodocumque aggregatas, sed debita connexione inter se esse coordinatas ita, ut earum synthesis repræsentet veritates intelligibiles. Quum porro hæ species ista producta ordinatione disponi nequeant, neque ex spontanea rerum habitudine, neque ex naturali imaginationis operatione, ut accidere novimus in somnio, neque ex deliberato rationis imperio, quin homo ejus sit conscius, concludere fas est hagiographo hanc perceptionem non posse habere auctorem nisi causam supernaturalem ratione præditam, quæ veritatis repræsentatæ notitiam habeat eamque manifestare velit (2). Tandem

(1) V. S. Thomam. *De Verit.* q. XII, a. VIII. — Notetur hic ex supra dictis, in cognitione per species intellectuales immediate infusas illico ac naturaliter, propter connaturalem nostrum modum cognoscendi, exurgere in phantasia species sensibiles objectorum his veritatibus correspondentium; quapropter difficile quandoque erit viribus solis naturalibus visionem pure intellectualem a Deo immediate productam ab ea tuto discernere, quæ cum admixtione phantasmatum fit et ab imaginatione incipit.

(2) « Sicut in eo, ait S. Thomas, qui ex signis scientiam accipit, signorum cognitio est via ducens ad res ipsas ; ita e converso in eo qui significat aliquid, cognitio rei significandæ præsupponitur ad formationem signorum;

γ) ubi hagiographus solum impellitur ad ea litteris mandanda, quæ aliunde jam novit, seu quæ humanæ rationis aut experientiæ ambitum non excedunt, poterit sive ex vividiori clariorique rerum intelligentia conjecturare divinam illuminationem, sive ex motione ad scribendum divinitus immissa prudenter judicare se non ob proprium finem, neque ex mere personali determinatione se ad scribendum accinxisse, sed sub influxu superno obque finem antea sibi incompertum. Hæc sufficientia sunto de cognitione subjective naturali. Vix opus est notare indicia quæ indicavimus, præsertim hæc posteriora, sæpe solum cognitionem parere, quæ conjecturalem vixdum excedat. Quapropter generatim dici potest notitiam Dei revelantis seu inspirantis, ut certa sit omnino, assensumque firmum mentis postulet, ordinarie debere esse supernaturalem, obtentam nempe per specialem Dei illuminationem (1).

Verum 2° nonnemini videri poterat quæstioni modo breviter enucleatæ locum non dari, quum numquam possint scriptores inspirati divinæ in se operationis non habere con-

non enim potest aliquis rei quam ignorat, congrua signa adhibere. Quamvis igitur homo quilibet possit quaslibet imagines formare naturali virtute; tamen quod figuræ formenter convenienter rei significandæ, non potest fieri nisi ab eo qui rerum illarum cognitionem habet; et secundum hoc formatio imaginariæ visionis in propheta supernaturalis existit. » *De Ver.* q. XII, a. 7 ad 5. Et rursus : « Quascumque formas imaginatas naturali virtute homo potest formare, absolute hujusmodi formas considerando; non tamen ut sint ordinatæ ad repræsentandas intelligibiles veritates, quæ hominis intellectum excedunt; sed ad hoc necessarium est auxilium supernaturalis luminis » 2. 2. q. 173, a. 2, ad 3.

(1) Mirum cuiquam videri posset nos in textu nullibi mentionem injicere de miraculis aliisque signis externis, quæ cum revelatione seu inspiratione conjuncta esse possunt, quibusque Deus suam præsentiam operationemque patefacere valeat. Imprimis nolumus horum valorem et efficaciam hic stabilire, quia illud est nimis remotum a nostro instituto, sed solum locuti sumus de interna manifestatione divina, tum quia de hac potissimum difficultas movetur, tum quia plerumque Deus haud externis illis efficientiis, sed interna illuminatione se patefacit immediatarum revelationum organis, charisma vero miraculorum eis solum concedit pro iis, qui mediate ab ipsis divinam revelationem accipiunt.

scientiam. Et re sane vera illustratio intellectus et voluntatis motio sunt operationes in facultates maxime vitales, quarum hagiographus videtur inscius esse non posse. Ast vero in hac argumentatione duo confunduntur, quæ apprime sunt secernenda : videlicet homo quidem conscientiam habere valet eorum omnium, quæ in suis facultatibus rationalibus accidunt, formaliter quatenus sunt actus ab ipsis eliciti, at non propterea istorum actuum adæquatum principium, naturam atque qualitates semper habet perspectas. Illud vix demonstratione opus esse censemus. Quoties enim in suis actibus intellectus noster præjudiciis obscuratur et voluntas pravis affectibus ducitur, dum interea istorum actuum error atque malitia nos latent? Et quod attinet ad influxum unius hominis in alterum, aliquando unus ita ab altero dependet quoad suos actus intellectus et voluntatis, ut hic illi etiam inscio sua propria sensa veluti communicet, eumque a suo nutu plane dependere faciat. Et nominatim illud postremum tanta fieri potest cum efficacia, ut non, qui rem exequitur, sed qui alterum ad rem exequendam occulta arte impulit, reapse auctor operis sit habendus (1). Manifestius illud adparet in operationibus supernaturalibus, et specietenus in mentis illustrationibus et voluntatis motionibus, quibus Deus in gratia, quæ dicitur prævenians seu excitans, hominem in ordine ethico supernaturali ad bonum allicit. Harum enim operationum terminative sumptarum homo conscius est, quippe qui elicit vitaliter actus correspondentes, at supernaturalitatis vel divinæ illorum originis certum criterium ordinarie haud habet. Homo itaque certo distinguere semper nequit, utrum actus aliquis, quem exserit et reflexe in se experitur, naturalis sit an supernaturalis, sponte vel divinitus productus. Nemo igitur gravetur concedere Deum in gratia gratis data prophetiæ et inspirationis illud nobis occultare posse, quod in ordine ethico supernaturali ordinarie, ipso volente, nos latet, seu illum ipsum,

(1) V. hæc fusius exposita ap. Schmid. l. c. lib. II c. III Schol.

qui *cor regis in manu habens, quocumque voluerit inclinat illud* (1), efficere id posse, quod ipsi homini in aliquo gradu impossibile non esse comperimus. Sane Caïphas, testante S. Joanne « *prophetavit* quod Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum », quin tamen sciret vel adverteret se a Spiritu S. afflari et moveri, ut hoc oraculum proferret (2).

Notandum est tamen eos, quibus hæc notitia Dei revelantis non conceditur, nequaquam gaudere perfecto prophetiæ vel inspirationis dono, sed solummodo agi, uti aiunt, *instinctu quodam prophetico*. Hic porro instinctus, quem *nescientes humanæ mentes patiuntur*, ut loquitur Augustinus (3), est quiddam imperfectum in genere prophetiæ, eoque non satis perspicitur, a quo fiat revelatio vel inspiratio, seu utrum necne ex Spiritu prophetico homo loquatur vel agat (4). Itaque qui hoc modo a Spiritu Dei movetur, non est certus se a Deo agi ad illa sensa scribenda, nec alteri ea proponere valet tamquam de fide credenda. Quando tamen revera a Spiritu divino movetur, cum is impellere nequeat, nisi ad id, quod reapse verum est et bonum, ea. quæ ex hoc instinctu a scriptore apprehensa atque scriptis consignata fuere, sunt in se verbum Dei ex ipso modo cognitionis atque scriptionis, suntque revera scriptura inspirata. Nihilominus ut illa infallibiliter qua talis habeatur, necnon fide divina credatur sive ab hagiographo sive ab aliis, exigitur, ut patet, ex parte Dei nova revelatio, qua naturam hujus scriptionis patefaciat. Hæc quidem revelatio non eo pertinet, ut huic scripto nova concilietur dignitas intrinseca, sive ut inspiratæ scriptioni essentiale elementum intrinsecum accedat, verum solum ut divina libri origo ac consequenter auctoritas externe tum ipsi scriptori tum aliis fiat nota. Inde infertur per se nostræ fidei de facto inspirationis non minus constare posse per revelationem illius a Christo vel Apostolis promulgatam, etiamsi factum istud ipsi homini

(1) Prov. XXI, 1. (2) S. Jo. XI, 49 seqq. (3) Lib. II de Gen. ad litt. cap. XVII. (4) Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 171 a. 4 et q. 173, a. 4.

inspirato fuisset incompertum. Imo, etiamsi de aliquorum librorum, ex gr. deuterocanonicorum V.Test., divina inspiratione neque ipsis scriptoribus neque ulli hominum ante Apostolos usquequaque constitisset, inde nil omnino periclitaretur fides nostra in eorum verissimam inspirationem nobis a Christo vel Spiritu S. revelatam (1).

His prælibatis, respondendum est propositæ quæstioni, utrum scilicet *de facto* omnes sacri scriptores divinæ inspirationis fuerint conscii. Imprimis animadvertimus nos illud de omnibus et singulis scriptoribus, cum omnimoda certitudine minime dijudicare posse. Idem fatetur Suarez : « posset quisquam in re ipsa scribere a Spiritu S. motus, ipso tamen ignorante et nesciente, se in ea scriptione a Spiritu S. dirigi, *qui modus an interdum contigerit, exploratum non habeo* » (2). Et re quidem vera non suppetunt argumenta vel indicia, ex quibus illud *generatim de singulis* cum omni firmitate stabiliatur. Nihilominus quod spectat prophetas, qui inter scribendum proprie loquendo prophetaverint, uti plures scriptores Vet. Test. et Joannes in Apocalypsi, pro certo haberi debet, eos divinæ revelationis et inspirationis non fuisse ignaros. Ex omnium enim consensu ad prophetiam proprie dictam requiritur notitia Dei revelantis. Prophetia namque est supernaturalis cognitio, divina auctoritate innixa ; unde fit ut actus prophetiæ esse debeat certa notitia non solum veritatum revelatarum, sed etiam ipsius revelantis, ita ut eam recipiens possit certum judicium ferre, Deum esse qui sibi revelat et per consequens possit discernere, quid Spiritu divino, quid vero spiritu humano loquatur vel scribat. Non enim potest esse judicium certum et firmum rei revelatæ qua talis, nisi eadem firmitate judicetur Deum esse revelantem. Et de facto quidem videmus in sacris litteris prophetas eadem certitudine affirmare Deum esse revelantem, qua affirmant res sibi revelatas ; imo expressis verbis suæ locutionis Deum auctorem indi-

(1) Bonfrerius. *Prælog.* cap. VIII, sect. VI. (2) *De Fide* disp. VIII, sect. IV, n. 6.

cant. Huc faciunt locutiones frequentatissimæ : *hæc dicit Dominus*, aut : *sermo Domini factus est ad me*, aut : *audivi vocem de cœlo*, aliæque his geminæ.

At quidem non eodem plane consensu neque eadem certitudine illud idem affirmatur de aliis scriptoribus hagiographis, quales fuere illi, qui orationes pias, laudes Dei, præcepta vitæ moralis vel historias sibi aliunde notas scripto retulere. Verum enimvero negari nequit sacros illos scriptores ita interdum loqui, itidem ac si de inspirationis gratia a Deo accepta minime cogitaverint, vel saltem non omnino perspectum habuerint, se illo charismate gaudere. Huc potissimum faciunt ea, quæ supra ex lib. II Machabæorum notavimus. Quapropter non desunt plures interpretes et theologi, qui in exponendis hujusmodi locis, saltem ceu probabile concedunt, scriptorem in his locis certam notitiam divini influxus haud habuisse. Communiter tamen advertunt satius esse et « securius, uti dicit Suarez, idem in præsenti (in quavis scriptione canonica) affirmare, quod de prophetia certum est » (1). Idem docere videtur S. Thomas, ubi dicit hagiographos ea, quæ humana ratione cognoscebant, conscripsisse sub lumine divino, *quo illuminati secundum certitudinem veritatis divinæ* de iis judicabant (2). Nos pariter censemus universim tenendum esse sacros scriptores divinæ inspirationis fuisse conscios, adeoque qui alicui scriptori canonico hanc conscientiam abjudicaret, illud argumentis demonstrare debere. Quamvis autem quoad unum alterumve scriptorem non sine probabilitate quis asserere posset, eum certum inspirationis criterium non habuisse,

(1) L. c. disp. V sect. III, n. 15 coll. disp. VII, sect. IV nn. 4. 5, 6. Idem docent, præter patronos *inspirationis verbalis*, Salmaticenses, in *Arbore prædicamentali* § XVII, n. 173, ad fin. Tom. III ; Serarius. *Proleg. bibl.* cap. VII quæst. V ; Kaulen, o. c. § IV; Franzelin. Th. III coroll.; Denzinger, l. c. n. 126; Schmid, l. c.— R. P. Kilber in suis *Principiis theologicis* disp. I, n. 21 distinguit duplicem classem hagiographorum, eorum nempe qui divinam operationem in se advertunt, et aliorum qui muneris divini experimentale criterium non habent.

(2) 2. 2. q. 174. a. 4, ad 3m.

argumenta tamen sive indicia peremptoria non videntur suppetere, quibus illud indubie evincatur (1).

Illa nostra assertio sequentibus potest suaderi. Sensus communis traditionis Judaicæ et Christianæ scriptores sacros prophetis accenset, ac eos Spiritu prophetico locutos esse docet, adeoque videtur hagiographis tribuere inspirationis charisma non in gradu illo imperfecto quem diximus, sed sensu perfectiori, quem veri nominis prophetæ habebant cum conscientia divini afflatus. Hisce concinit Denzinger, dum ait, in inspiratione pleno sensu accepta, qualem Ecclesia in sacris scriptoribus et Apostolis agnoscit, semper infuisse viris inspiratis ejusmodi conscientiam de divina origine illius motionis. Accedit quod, ex mente et usu loquendi Ecclesiæ, libri sacri semper habiti fuerint veluti verbum Dei seu divina locutio ipsis scriptoribus et per scriptores nobis facta, ac ipsum inspirationis donum continere creditum est immediatam revelationem (licet aliquando sensu minus stricto sed frequentatissimo acceptam) ipsis scriptoribus factam. Porro nonnisi ægre ac solum sensu materiali inspiratio active spectata dici posset divina locutio vel immediata revelatio, si ipse θεοπνευστος aliunde divinam originem sui libri haurire deberet. Deesset enim objectum formale cognitionis propheticæ seu revelationis, quod est divina auctoritas revelantis utique cognita. Præterea talis scriptio parum esset scriptori honorifica atque etiam Deum minus deceret, quum aliquo sensu realis esset deceptio; hagiographus enim, qui prorsus incompertam haberet divinam motionem, putaret se sua sponte, propria industria propriisque viribus librum exarare, dum tamen ejus auctor proprie non esset, sed Dei sensa divinis viribus scripto exciperet. Tandem advertatur scriptori inspirato, qui simul sit Dei legatus ut alios doceat divinam sui libri originem, non solum certitudine humana, sed certitudine supernaturali constare debere de sua inspiratione. Illud enim munus, quo quis ut legatus Dei aliis veritates proponat ceu divinitus revelatas, ac jus

(1) Franzel. l. c. Th. III corol. 3.

illud exigendi cum summa auctoritate fidem et subjectionem suis verbis tamquam verbo Dei, necessario in ipso requirunt supernaturalem certitudinem et firmam persuasionem de divina veritatum revelatione. « De his (enim), ait Doctor Angelicus, quæ expresse per Spiritum prophetiæ propheta cognoscit, maximam certitudinem habet et pro certo habet, quod hæc sunt divinitus sibi revelata..., alioquin si de hoc ipse certitudinem non haberet, fides, quæ dictis prophetarum innititur, certa non esset » (1).

Scholion II. Mentionem proxime injecimus libri II Machabæorum, cujus auctorem dicebamus *probabiliter* criterio caruisse divinæ suæ inspirationis. Quoniam vero illud nonnemini *certum* omnino posset apparere et reapse nonnullis visum est, cumque præterea, quæ ad illud probandum adducuntur, non modo illud reipsa evincere videantur, sed etiam iis præjudicari, quæ in præsenti articulo de modo et natura divinæ inspirationis edisseruimus, operæ pretium esse ducimus hæc loca objecta aliquanto penitius expendisse. Difficultates petuntur partim ex cap. II vv. 24-33, quibus continetur fere totum id, quod dicitur et est hujus libri procœmium seu præfatio, partim ex ejus conclusione cap. XV, 29, 40. Age, aiunt, auctor iste non solum librum suum Deo auctori neque explicite neque implicite tribuit, verum illum sibi ipsi quasi abjudicat, sese simplicem breviatorem et compilatorem profitendo operis amplioris Jasonis Cyrenæi : « Itemque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare » v. 24. Conqueritur de ingenti duroque labore, quem operi conficiendo impendere debuit : « negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus » v. 27. Quinimo de dictorum veritate spondere recusat eamque in fidem Jasonis remittit, sola hac sibi laude servata, secundum regulas artis opus illius in epitomen contraxisse : « Veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam

(1) 2. 2. q. 171, a. 5. Cfr. De Ver. q. XII, art. 13 in corp. et C. Gent. l. III cap. 154.

brevitati studentes » v. 29. Tandem in fine dubium movet de valore et præstantia sui operis, lectorisque humanitatem deprecatur, bonam suam voluntatem causando : « Si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim : sin autem minus digne, concedendum est mihi ». Jamvero, talis liber videtur Deum non posse habere auctorem : prorsus namque indignum est Spiritu S. aliena scripta sua facere, iisque tantum deferre, ut eorum breviator esse velit. Quidni etiam dicemus Spiritum S. subdubitasse de fidelitate narrationum, quas scribendas dictavit, atque molestum ei fuisse paucarum plagularum librum conscribere? Vel si reponas, labores scriptoris solum memorari, cuinam persuadebis magnum laborem imponi ei, cui libellus scribendus dictatur? Tandem præsertim, quî concipis scriptorem dubium posse movere de veritate historica factorum, quæ novit sibi a Spiritu S. narranda suggeri? Saltem illud dicendum est, hunc scriptorem longe fuisse a persuasione, quam hagiographis adscripsimus, de divina sua inspiratione, cum, nedum divinam, suam nequidem, sed auctoris profani dubiam auctoritatem suo operi solum agnoscat.

Difficultas haud est spernenda et sane prima fronte gravissima videtur, imo tanta est visa theologis plurimis, ut persuasum habeam, hunc librum penes catholicos ansam præbuisse peregrinis ac proculdubio falsis theoriis supra confutatis de inspirationis modo atque natura. Prius tamen quam nodos objectos solvere occipimus, animadvertere juvat nos nequaquam ex hoc libro momenta conquirere conaturos, quibus doctrinam nostram positive stabiliamus; sufficiat nobis, admissa doctrina Ecclesiæ, quæ hunc librum canonicis annumerat, ostendisse nil in hoc libro occurrere, quod doctrinæ nostræ de inspirationis natura adversetur. Ut igitur ordine procedamus, negamus 1° hunc scriptorem veritatem historicam suæ narrationis relinquere fidei Jasonis Cyrenæi, seu ipsum pro certis indubitatisque non habuisse ea, quæ ex alio fonte in librum suum transsumpsit. Verba enim, quæ in hujus assertionis argumentum adferuntur, quamvis juxta textum latinum obvie acceptum hunc

sensum forte insinuent, longe aliud quid sonant in textu originali græco, cui latina versio non ad amussim respondet. Phrasis enim quam interpres latinus reddidit : « veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes » ita se habet in græco : τα μεν διακριβοῦν περι εκαστων τῳ συγγραφει παραχωρησαντες, το δε επιπορευεσθαι τοις απογραμμοις της επιτομης διαπονουντες, quæ ad litteram significant : relinquentes quidem scriptori (seu historiographo) το minutim et accurate tractare de singulis, studentes autem insequi formas compendii. Illum versum sic recte Nobilius reddidit in Græcorum Sixtinorum editione : Subtilem quidem et exquisitam de singulis tractationem historiographo concedentes, persequi autem delineationem epitomes studentes. Non loquitur itaque scriptor de fide sua liberanda, deve altero in sponsorem veritatis assumendo, sed solummodo hoc versiculo, sicut in toto fere procœmio, tradit sui operis rationem. Nimirum hic loci eumdem evolvit conceptum idemque propositum emittit, quod in antecedentibus et sequentibus, scilicet se non minutam et omnibus numeris absolutam historiam velle contexere, verum « propter multitudinem rerum », et ut legentes « facilius possint memoriæ commendare », se velle « brevitati studere »; ipsius igitur esse « brevitatem dictionis sectari et executiones rerum vitare », aliis verbis : res præcipuas breviter in summam colligere. Igitur, etiamsi admittamus hunc scriptorem in compendium astrinxisse opus Jasonis, inferri tamen nequit, ipsum ita librum suum exarasse, ut, unice fisus veracitate Jasonis, solum de seligendis apteque disponendis materiis fuerit sollicitus.

Verum 2° nequidem ex illius scriptoris verbis certo colligi potest, animum ipsi fuisse simplicem epitomen adornandi librorum Jasonis, hujusque historiam modo servili amputandi. Sane, si sedulo inspiciantur ejus verba, collato etiam textu græco, reperimus auctorem nil aliud dixisse, quam se velle in plurium utilitatem breviori sub forma historiam illam contexere, quam Jaso Cyrenæus minutim in magno quinque voluminum opere elaboraverat. Enimvero quæ

habemus in textu latino inde a v. 19 « De Juda vero Machabæo et fratribus ejus » etc. usque ad v. 24. « Itemque ab Jasone Cyrenæo quinque libris comprehensa, » etc. in græco ita leguntur : *τα δε κατα τον Ιουδαν τον Μακκαβαιον και τους τουτου αδελφους, και τον κ. τ. λ... τα υπο Ιασωνος του Κυρηναιου δεδηλωμενα δια πεντε βιβλιων πειρασομεθα δι' ενος συνταγματος επιτεμειν.* Non igitur indicat formalem dependentiam ab opere Jasonis, sed solum conformitatem materialem et objectivam (notetur illud *τα δε... τα*), quatenus nempe ea præcipua historiæ capita ab ipso recensita inde a v. 19, tum ea quæ a Jasone jam fuerant copiose in magno opere relata, ipse nunc etiam, sed contractius, in uno volumine velit narrare. Rigorose ergo loquendo auctor nequidem hic monet, se Jasonis opere veluti fonte historico usurum, ut suam narrationem breviorem contexeret. Neque istud innuit in v. 32, in quo pariter sibi solum proponit concisam dictionis brevitatem consectari, et prolixam factorum pertractationem devitare.

Verum nolumus hisce nimium premere adversarios, qui forte obvio textui latino pressius ac confidentius inhærere malunt; imo, ne difficultatem fugere videremur, concedimus auctorem hunc in conscribenda sua historia usum esse, tamquam fontibus objectivis, opere Jasonis vel etiam aliorum, quod per se improbabile minime est et quod interpretatio nostra non excludit. Ast 3° negamus in discrimen inde vocari inspirationem illius libri. Hoc omnino claret ex supra dictis. Enimvero potuit, ut diximus, Spiritus S. hunc scriptorem efficaciter movere ad consulendos fontes humanos seu profanos, eumque specialiter dirigere ac lumine suo adjuvare in iis pervestigandis et seligendis, quæ scripto vellet ab ipso mandari, adeo ut influxus divinus, quo scriptor ad apprehendenda sensa scribenda perduceretur, esset aliquo modo mediatus. Quibus porro acceptis per media illa externa, potuit Spiritus S. eum superno lumine illustrare, quo non tantum certitudine humana, sed etiam certitudine divina, ut cum S. Thoma rursus loquamur, de iis judicaret, assensum eis præstaret eaque scribenda esse cognosceret.

Porro ut sensa scripta a Deo suppeditata ac Dei nomine exarata dici queant et sint, satis est ut hagiographus, divinitus ad scribendum motus, de veritate et certitudine sensuum ex aliis fontibus haustorum ultimum sibi informet judicium sub speciali motione et illustratione divina. Quo posito, facile intelligitur, quomodo, non obstante inspiratione divina, hic scriptor memorare potuerit vigilias insumptas laboremque impensum, ut propositum illud opus executioni traderet. Et quidem adhuc multo facilius illud animo concipitur in nostra sententia, qua tenemus propriæ industriæ hujus scriptoris, sicut generatim omnium hagiographorum, relictum fuisse delectum verborum et styli, necnon rerum scribendarum dispositionem atque coordinationem, ut infra late declarabimus atque demonstrabimus. Quinimo, hac sententia admissa, non solum probius intelligitur scriptori studio et labore fuisse opus, sed etiam mirari non subit scriptorem, forsitan in hisce non admodum versatum, nonnihil potuisse dubitare, num forte opus suum non minus « digne » vel juxta græcum non « exiliter et mediocriter ευτελως ται μετριως » concinnasset, atque hoc in casu veniam a lectoribus flagitare. Hæc namque istius libri ultima verba, si non necessario omnino de solo stylo universoque dictionis genere accipienda sunt, saltem commodius multo et abunde quidem satis intelliguntur, si nobiscum admittas, idoneam rerum scribendarum descriptionem aptamque eorumdem in minutis dispositionem industriæ scriptoris fuisse relictam (1).

Ex his concludimus, sicut nil inest huic libro, quod doctrinæ de inspirationis natura a nobis explanatæ contradicat, adeo ut, canonicitatis libri salvandæ ergo, non opus sit recurrere ad simplicem Spiritus S. assistentiam vel subsequentem approbationem, ita pariter nil in eo offendi, quod in scriptore *certo* excludat divini sui charismatis conscientiam. Hic illic tamen occurrit aliquis loquendi modus, ex quo cum probabilitate concludere quis posset, eum divinæ inspirationis fuisse ignarum. Notandum nihilominus est, si

(1) Cfr. Fullonius et Sanctius in h. l. et Schmid. n. 109 seqq.

ponatur nobiscum auctor fuisse divini influxus conscius, concedendum simul esse eum novisse se quoad sola sensa, non autem quoad stylum et quidem, quoad istorum apprehensionem, dumtaxat mediate fuisse inspiratum; secus namque nullo pacto videtur intelligi posse, quomodo ita interdum loqui potuerit, seu Deus tales conceptus scribendos, nominatim illas excusationes, suggerere potuerit.

ART. II. QUOMODO SPIRITUS SANCTUS MOVET SCRIPTORIS VOLUNTATEM?

Jamjam supra evicimus, præter scribendorum suppeditationem ad completam inspirationis notionem requiri divinum in voluntatem impulsum, quo Spiritus S. hagiographum efficaciter et infallibiliter ad scribendum moveat. Hujus quidem necessitas adeo patens est, ut etiam illorum plerique, qui opinioni de sufficientia divinæ assistentiæ in scribendo sunt patrocinati, præter illam tamen quemdam antecedentem ad scribendum impulsum postulaverint (1), et nonnisi pauci, inter quos Dupin (2) et Jahn ejus mentionem non ingesserint. Et sane ipsa formula *inspiratio ad scribendum* seu generatim *ad aliquid faciendum*, *directe* et *formaliter* significat actum, qui in alterius voluntate movenda consistit (3), licet *oblique* atque *implicite* eum quoque designet, qui in docendo intellectu versatur : nemo enim quemquam ad agendum inducere valet, quin simul ea doceat, quæ agi ab ipso velit. Excitatio ergo hæc eo spectat, ut θεοπνευστος scripto mandare velit eas omnes res et sententias easque solas, quas Deus ipsi ad scribendum revelat vel suggerit, adeo ut non tam ex naturali determinatione, quam ex instinctu

(1) Horum nonnulli in hac sola antecedente motione discrimen posuerunt inter charisma inspirationis et assistentiam Spiritus S. Ecclesiæ promissam; at præpostere, uti patet. (2) Ap. Illust. Lamy. l. c. n. 7.

(3) Inde fit ut divinæ illæ motiones voluntatis, quibus in ordine gratiarum actualium Deus hominem ad actum ethice et supernaturaliter bonum allicit, *inspirationes voluntatis* nuncupentur.

divino agat et scribat. Et hæc quidem proprie est forma, quæ discrimen ponit inter inspirationem, qua hagiographi, interque eam qua prophetæ plerique agebantur, id est, inter eam quæ ad scribendum quæque ad loquendum est θεοπνευστια. Enimvero, si quis propheta solummodo a Deo citus, ut ea, quæ ab ipso per revelationem accepit, verbis oretenus proferret, ea etiam absque novo Dei impulsu proprio marte scripto mandaret, non esset in hac scriptione inspiratus, neque ejus liber haberet Deum auctorem. Quamvis enim sub aliquo respectu, scilicet ratione materiæ divinus dici posset, non tamen Dei opera effectum esset, ut illa sensa tali formæ, hoc est, scripturæ traderentur, neque in hac scriptione propheta nomine et velut instrumentum Dei ageret. Ita sane plures fuere prophetæ, qui arcana divinitus revelata populo annuntiabant sub divino impulsu, quin divinitus moti fuerint ad ea scripto mandanda, alii vero solum scribendo prophetarunt, nonnulli tandem utroque charismate donati, quæ prius ore vaticinati erant, postea excitabantur ad ea in libro exaranda. Hi postremi duplici impulsu indigebant : sic v. g. quum Isaias virginem parituram prædixit, ea inspiratione agebatur, quæ est ad loquendum ; at non hoc ipso ea prædictio ab Isaia sponte litteris postea mandata, Dei liber vel Scripturarum pars haberi potuisset, ut ex dictis consequitur, verum necesse fuit, ut eum præterea Deus ea inspiratione quæ est ad scribendum, ageret (1).

Age jam hæc voluntatis motio ad ea omnia se porrigit,

(1) Eapropter acquiescere non possumus sententiæ, quam Cl. Ubaldi, licet dubitantis interrogantisque more, proponit in sua Introd. vol. II Th. 44. Hic nempe, postquam generatim probavit in th. præcedenti necessitatem divinæ motionis ad scribendum, dubium movet, an etiam in Apostolis hæc specialis ac antecedens Dei excitatio necessaria fuerit. Putat ipse Apostolos jugiter fuisse inspiratos in exercitio muneris apostolici. Quid namque sibi velit jugis illa inspiratio, quam ipse *concomitantem* vocat, ingenue fateor me assequi non posse. Non enim jugiter inspirati erant, h. e. ad scribendum specialiter a Deo moti, secus sine intermissione in exercitio sui muneris inspiratos libros scripsissent. Itaque ipsi Apostoli, non secus ac reliqui scriptores hagiographi, indigebant antecedente et peculiari divino impulsu.

quibus scriptor tamquam causa instrumentalis sub causa principe ad existentiam libri *active et deliberate* concurrit. Dico autem *active et deliberate*, nam evidens est ad ea necessariam haud esse motionem voluntatis, in quibus homo influxum divinum veluti patitur vel indeliberate agit. Itaque *a) antecedenter* ad scriptionem opus est, ut hagiographi voluntas efficaciter ad scribendum divinitus moveatur, et quidem vel indeterminate, ut forte aliquando prophetæ, vel determinate, ad scribendum v. g. talem historiam, Evangelium Christi, quin tamen ideo singillatim jam omnia in mente habeant, quæ litteris ab ipsis sunt excipienda. Ista porro antecedens motio etiam complectitur voluntatem ea adhibendi subsidia eosque consulendi fontes, quibus ad veritatum scribendarum apprehensionem uti eum velit Deus. Deinde *b)* in ipso actu scriptionis hic voluntatis impulsus perdurat seu concomitans est, et terminative consistit formaliter in rectæ voluntatis proposito ea omnia et sola scripto excipiendi, quæ vera simulque scribenda sub divina illustratione scriptor cognoverit. Si igitur consideratur voluntatis motio particularis ad determinatas sententias libro consignandas, liquet harum subministrationem *logice* saltem præcedere voluntatis motionem ad ea scribenda. Denique *c)* divinus hic impulsus *directe* attingit omnes actus, qui a voluntate eliciuntur, *indirecte* autem actus imperatos voluntatis, scilicet eos qui sub imperio voluntatis ab aliis facultatibus immediate procedunt seu a viribus executivis ponuntur, quarum opera et concursu efficitur liber Dei scriptus.

Hinc intelligitur, quo sensu dixerit S. Petrus prophetas vel scriptores sacros non propria voluntate, sed divino impulsu vaticinia seu Dei eloquia proferre, et cur Sancti Patres, in locis supra adductis, dicere potuerint hagiographos *in Spiritu Sancto, inspiratione Spiritus S.* libros sacros exarasse, necnon *Christum illis tamquam manibus suis, quod scriberent*, (motione voluntatis) *imperasse.*

Verum, quemadmodum proprium studium vel documentorum collatio non impediunt, quin Deus auctor conceptuum scriptorum esse queat, ita hæc Spiritus S. ad scribendum

impulsio non excludit alia, quæ in se sint naturalia, ad scribendum incitamenta. Enimvero non obstat ex. gr. inspirationi Evangelii S. Marci vel S. Joannis, quod ipsi ad evangelicam scriptionem fuerint a fidelibus impulsi, uti de priore narrat S. Hieronymus : « Marcus, inquit, discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, *rogatus Romæ a fratribus*, breve scripsit Evangelium » (1). Etenim divina motio ac pia fidelium postulatio stare simul et ad excitandum scriptorem concurrere possunt, quandoquidem Deus in cordibus fidelium excitare poterat bona desideria, quorum occasione et ipse intus afflabat Evangelistam, ut fidelium precibus victus ad scribendum manus daret. Reapse illud contigisse testatur Clemens Alexandrinus de S. Joanne apud Eusebium, ubi legimus : « At Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse *divino Spiritu afflatus* Evangelium *familiarium suorum rogatu* conscripsit » (2).

Modus autem, quo Deus Bibliorum scriptores excitabat, non semper unus idemque erat. Nam vel per se id exequebatur, vel per alium, externoque ac sensili edito indicio vel secus. Modus maxime usitatus et quasi communis is fuisse videtur, quo Deus immediate per se absque ullo externo

(1) In lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

(2) L. VI. *Hist. Eccles.* c. XIV. — Idem affirmat S. Epiphanius (Hær. LI § 7) de S. Luca, qui etiam videri posset solummodo motu proprio se ad scribendum accinxisse, dum in exordio sui Evangelii scribit : « Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem... *visum est et mihi*, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere » : « Spiritus S., scribit ille S. Pater, beatum Lucam occultis quibusdam stimulis cogit et excitat, ut ex altissima illa voragine cæcorum hominum mentes educeret et quæ fuerant ab aliis prætermissa, scriptis commendaret. » Qui autem curiosius a nobis inquirit, cur non æque divinum ac humanum impulsum S. Lucas memoraverit, accipiat hoc breve responsum, nos illud nescire; vel potius vicissim ab eo petemus, cur S. Lucas vel Spiritus S. debuerit illius divini impulsus meminisse, cum inutile prorsus esset, tam relate ad fideles, qui istius Evangelii divinitatem aliunde discere valent, quam relate ad infideles, qui humanis solum criteriis ad credendum alliciuntur.

signo scriptoris voluntatem excitabat. Hac ratione ad scribendum impulsi fuere scriptores pene omnium sacrorum librorum, puta historiarum, psalmorum, librorumque moralium, Novi etiam Testamenti, excepta Apocalypsi, sed et plurimorum vaticiniorum. Aliis vero excitandi modis nonnisi cum prophetis usus videtur. Hos nempe interdum per se ad scribendum impellebat, adhibito tamen signo externo, quo scribendi imperium significabatur, vel etiam verbis sensibiliter prolatis simul tum scribenda docebat, tum scribendi mandatum intimabat. Inde frequenter legitur in Scripturis Deum voce sensibiliter prolata ad scribendum excitasse : « Scribe tibi omnia verba quæ locutus sum ad te in libro ». Jer. XXX, 2. « Sume tibi librum grandem et scribe in eo ». Is. VIII, 1. « Scribe visum et explana eum super tabulas ». Hab. II, 2. « Quod vides, scribe in libro » Apoc. I, 11. Idem aliquando etiam occurrit in libris historicis, ut apud Moysen : « Scribe hoc (cladem Amalecitarum) ob monumentum in libro » Exod. XVII, 14. Subinde etiam Deus utebatur ministerio angelorum, qui ipsius vice ac nomine scribendi mandatum extrinsecus adferrent, uti Apoc. XIX. 9. 10. Semper tamen ita voluntatem afficiebat Deus, ut libertas salvaretur saltem quoad exercitium : neque enim illa motione antecedenter necessitabatur seu irresistibiliter determinabatur homo ad scribendum. Et sane non deerant Deo modi suaves, quibus hominem salva libertate ad scribendum infallibiliter alliceret. Inter scribendum tamen liberi non erant quoad specificationem; non enim liberum illis erat ea, quæ vellent, scribere, sed ea dumtaxat quæ per revelationem vel suggestionem scribenda accipiebant. Sed de libertate hagiographi inferius plura.

Corollarium I. Cum ad accuratam completamque alicujus rei notitiam nil magis conducat, quam ejus conceptum per comparationem cum affinibus illustrare, abs re non erit ob oculos posuisse in quibusnam charismata in antegressis memorata, nempe : *revelationis*, *inspirationis* et *divinæ assistentiæ* seu *infallibilitatis activæ* sive *efficientis*, tum inter se conveniant, tum ab invicem discriminentur. Illud potissimum

haud supervacaneum erit ideo, quod non raro permixtim a quibusdam hæc nomina usurpentur cum præjudicio claritatis et accuratæ dictionis.

Jam porro commune illud habent, quod ad verbum Dei referuntur et quamdam specialem Dei providentiam important. At quando consideratur specifica eorum ratio, non parum inter se differre comperiuntur.

Etenim 1° revelatio divina, secundum strictam hujus vocis significationem, est veritatis antea ignotæ facta divinitus immediata manifestatio. Ast persæpe illa vox sensu minus stricto adhibetur, ut supra notatum fuit, scilicet, quando consideratur in ordine ad fidem, quo casu revelatio tantumdem audit ac *immediata Spiritus S. testificatio*. Hoc sensu *revelatæ* dicuntur non modo veritates occultæ a Deo manifestatæ, sed quæcumque fuerunt divinæ testificationis objectum. Quum porro motivum seu objectum formale fidei divinæ sit auctoritas Dei revelantis seu attestantis aliquam veritatem, ea quæ Deus immediate per se testificatur, sive occulta illa sint, sive aliunde nota, objectum materiale fidei constituunt. *Revelatio* itaque latius accepta confunditur cum *locutione Dei*, ac idcirco tum inspiratio quævis ad scribendum libros sacros est hoc sensu latiori divina revelatio, tum Scriptura ipsa dicitur revelata, quia est *verbum Dei scriptum*. Siquidem vero *tota* Scriptura est verbum Dei seu terminus locutionis formalis Dei, ideo omnibus, quæ in ea consignata reperiuntur, eadem supernaturalis fides debetur tam ab homine inspirato, quam ab aliis, quibus factum inspirationis sufficienter fuerit propositum (1).

(1) Summopere igitur errat Chrismann, in sua *Regula Fidei cathol.* l. I, c II § 51 (Ap. Kleutgen. *Theol. der Vorzeit*. I B. I Abth.), ubi, post præmissam strictiorem revelationis conceptum, asserit « illud solum ex libris divinis fide divina credendum esse, quod *tamquam doctrina revelata* (hoc strictiori sensu) refertur ». Quoniam vero sacri scriptores non in omnibus quæ scripto consignarunt, indigebant revelatione stricte dicta, alium adhuc addit errorem, asserendo in hisce suffecisse eam inspirationem, qua Spiritus S. auctores sacros inter scribendum direxit ne errarent. Unde devenit ad hanc conclusionem, ea tantum in sacris libris fide divina esse

2° *Divina inspiratio* ad scribendum formaliter dicit incitationem quamdam interiorem, qua hagiographi a Spiritu S. aguntur et impelluntur ad ipsius sensa scripto excipienda. Quæ autem scribenda intendit Deus, non necessario per stricte dictam revelationem manifestat, ut abunde dictum fuit, sed sufficit ut scribenda suggerendo assignet. Itaque charisma inspirationis non per se includit vel annexam habet revelationem stricte sumptam, sicut nec revelatio veritatum occultarum secum necessario habet inspirationem ad eas litteris mandandas. Similiter inspiratio *per se* spectata non involvit divinam assistentiam in scribendo : potest nempe Deus ad scribendum impellere, nec tamen impulsum dirigere, ne erret θεοπνευστος. Quo casu tamen ipse liber, utut ab homine inspirato conscriptus, infallibiliter inspiratus seu Scriptura Sacra non erit. Cum vero Deus hunc scopum semper attingere velit, ubi aliquem hominem ad scribendum inspirat, semper in hac inspiratione præter duplicem positivum influxum in mentem et voluntatem scriptoris, includitur hæc divina assistentia tamquam elementum ejus integrale.

3° *Divina assistentia* tandem est tertium illud Spiritus S. præsidium, quod nominatim Ecclesiæ promissum est in deposito fidei custodiendo et explicando. Hæc assistentia generatim sita est in externo Spiritus S. munimine, quo hominem in rebus pertinentibus ad fidem ab errore præservat immunem. Ubi itaque agitur de divina assistentia Ecclesiæ docentis, illud peculiare auxilium eo spectat, ut mens docentis ceu verum apprehendat et proponat, quod reapse verum est vereque tenendum ab omnibus. Illa mentis directio esse potest ac sæpe est solum negativa, quatenus Spiritus S. impedit solum, ne subrepant falsa judicia, neve formulæ ineptæ adhibeantur; aliquando est etiam positiva,

credenda, quæ, utpote supra humanam intelligentiam posita, non poterant nisi divina revelatione innotescere. Kleutgen ibidem eum invicte refutat, et maxime urget hanc ex ejus systemate logice sequentem absurditatem, nequidem fide divina credi oportere passionem, crucifixionem et mortem D. N. J. C., quæ tamen facta inter articulos fidei in symbolo Nicæno et Constantinopolitano recensentur.

quatenus Spiritus S. suscitat (ad eum modum quo salutares actus excitantur) in mente loquentis vel scribentis eas claras apprehensiones et judicia certa, quibus verum apprehendatur. Perspicuum est hoc casu aliquid amplius adesse quam simplicem assistentiam vel externam directionem. Formalis igitur effectus assistentiæ est solummodo infallibilitas seu infallibilis præservatio ab errore in usu mediorum, quæ aliunde Ecclesiæ præsto sunt, ad veritates revelatas et res fidei pure et integre proponendas. Hinc jamjam inferre licet discrimen, quod revelatum inspiratumque inter et inter infallibile intercedit : illud quod est *revelatum* seu *inspiratum* ex ore Dei procedit et est formaliter *verbum Dei*, *infallibile* procedit ex mente et ore hominis seu Ecclesiæ, et qua tale non est formaliter locutio Dei. Nimirum infallibiles Ecclesiæ definitiones versantur tum circa doctrinam olim jam revelatam, quam proponunt atque declarant, tum circa facta non divina quæ cum illis nexum aliquem historicum vel logicum habent, tum circa propositiones vel veritates in se non revelatas, quatenus cum doctrina Christiana relationem convenientiæ vel disconvenientiæ habent. Idcirco infallibiles Ecclesiæ definitiones non sunt *Scriptura Sacra*, neque iis *qua talibus* fides *immediate divina* debetur. Dico : *qua talibus*, nam veritatibus quæ ab Ecclesia infallibili judicio declarantur revelatæ, fides quidem divina est præstanda, ast motivum formale illius fidei semper est auctoritas Dei revelantis, non autem auctoritas Ecclesiæ definientis, quæ solummodo factum revelationis testatur. Dein addidi *immediate divina*, idque propter definitiones versantes circa facta dogmatica, quæ licet per definitionem Ecclesiæ evadant pro nobis infallibiliter vera, non tamen sunt in se revelata et ideo fide solum mediate divina creduntur, scilicet propter interpositam infallibilitatem Ecclesiæ immediate revelatam.

Operæ pretium est hic loci notare hæc duo charismata, *inspirationis* scilicet et *infallibilitatis*, olim non semper ita sedulo distingui solita fuisse in modo saltem loquendi. Ita non pauci, esto apprime decreta dogmatica Ecclesiæ a Scripturis discernerent, has tamen sub divina *assistentia*

exaratas fuisse dictitabant, dum alii econtra præsidium illud Spiritus S., quod Ecclesiæ et nominatim Œcumenicis Conciliis et Romanis Pontificibus ex cathedra loquentibus tribuimus, *inspirationem* vocarent (1). Hi vero loquendi modi difficultatem facessere non debent, siquidem qui priori usi sunt, ut ex eorum doctrina et ex contextu ut plurimum patet, nomine *assistentiæ* non intelligunt simplicem illam assistentiam ex sese mere negativam, quæ errorem solum removens etiam *præservans* dicitur, quamque nobiscum ipsi Ecclesiæ tribuunt, verum assistentiam positivam, quam alii suggestionem nuncupant quæque in inspirationem recidit. Qui vero Ecclesiam a Spiritu S. *inspiratam* docuerunt, non tam intelligendi sunt de proprie dicto inspirationis charismate ad loquendum vel scribendum, quam de influxu quem Spiritus S. tamquam inhabitator et causa formalis Ecclesiæ in eam exercet. Et eo melius hoc dici potuit quod divinus ille afflatus, quo Ecclesiæ animam divinus ille Spiritus pervadit, ac veluti informat, præprimis eo tendat, ut fidem in Ecclesia foveat, nutriat et propaget, atque idcirco habendus sit veluti continuatio quædam illius primordialis inspirationis, quacum in unam quasi actionem convenit. Cæterum hujus expressionis vim servare nil vetat, si hanc Spiritus operationem, non inspirationis sed *adspirationis* nomine designemus, ut in bulla *Ineffabilis* legimus : « Invocato Spiritu S. eoque sic *adspirante*... definimus » (2).

Corollarium II. Ex supra disputatis pariter colligere fas est, quodnam discrimen intercedat inter illustrationem intellectus ac motionem voluntatis, quas in hagiographo requisivimus, interque eas, quibus homo in ordine ethico supernaturali instruitur et quibus formaliter completur gratia prævenians seu excitans. Utraque gratia in hoc convenit, quod sit specialis Dei operatio, qua intellectus hominis divinitus instruitur et voluntas ad actum allicitur. At mul-

(1) Plura hujus consuetudinis testimonia colligit Schulte in opere : *Die Stellung der Concilien*, animo utique acatholico conscripto.

(2) Cfr. Scheeben. I lib. § 16.

tiplici ratione ab invicem discriminantur non tantum ex nomine, sed præcipue ex fine et destinatione.

Verum enimvero gratia præveniens seu actualis est *gratia*, uti dicunt, *gratum faciens*, pertinens ad ordinem ethicum supernaturalem, sistitque in subjecto quod elevat, illustrat, atque ad utile ac salutare provehit et allicit; illa vero, utpote *gratia gratis data*, est charisma pertinens ad ordinem supernaturalem ministerii referturque ad alios præter subjectum cui inhæret, scilicet, datur vel unice vel potissimum in utilitatem membrorum Ecclesiæ. Ex his porro probe consequitur Deum, licet haud absimili modo in utroque ordine gratiæ in facultates homines vitales influat, non ex eodem sed ex fine objective et specifice diverso hominis potentias attingere. Sane in gratia ordinaria illustrationis et inspirationis Deus infundit homini pias cogitationes sanctasque affectiones non proprie ac ultimatim, ut homo doceatur, ipseque edoctus alios docere velit per verbum vel per scriptum, sed ut ipse elevatus, illustratus et allectus rite apprehendat veritatem pertinentem ad salutem, atque sic ad actum supernaturalem expeditus velit cum et sub auxilio gratiæ, suo nomine, in ordine ad propriam justificationem vel sanctificationem, eos actus salutares ponere, ad quos vocatur et pulsatur. Hæ itaque illustratio et inspiratio huc formaliter spectant, ut facultates hominis naturales, ad ordinem supernaturalem evectæ, constituantur in actu primo proximo ad actus supernaturales deliberatos eliciendos. Proinde piarum cogitationum, quas Deus homini immittit, utut omnino et infallibiliter in se veræ sint, non tamen proprie Deus testis invocari potest, quia non eas infundit qua sensa sua seu veritates a se manifestatas, sed dumtaxat qua dispositivas et congrue excitativas ad actus salutares supernaturales. Charisma vero θεοπνευστιας per se eo spectat, ut Deus aliquid novi homini inspirato patefaciat, non quidem ultimatim et primario, ut ipse doceatur, sed ut per ipsum veritates sub lumine divino acceptæ, *nomine et qua sensa Dei* oretenus vel per Scripturam hominibus credendæ proponantur. Hagiographus qua talis litteris tradit

non suos conceptus sed sensa Dei, non suo sed Dei nomine, non propria determinatione sed ex Dei motione et nutu. Quando igitur consideratur ex una parte Deus, causa princeps, hominibus sua sensa per scripturam communicans, ex altera parte liber, qui est terminus ultimus et principaliter intentus in operatione Dei inspirantis, oppido liquet hominem per quem Deus suam veluti epistolam scribit, quique medium tenet inter illa duo extrema, vere habere rationem instrumenti non inanimis quidem, sed animati. Quare liber scriptus propriissime Deo *auctori* adscribitur, non vero scriptori hagiographo. Opus vero ethicum supernaturale, quamquam Deo adscribitur, qua primo moventi et principali auctori, tamen etiam suo modo tribuendum est homini et quidem totum, scilicet, totalitate effectus. non vero totalitate causæ, uti liquet. Ipso enim vitali et libero assensu gratiæ, homo deliberate et suo nomine actum ponit supernaturalem, quo se disponit ad justificationem vel, si jam justificatus est, de condigno meretur vitam æternam, ipseque ab opere posito denominationem omnino propriam accipit : ita homo dicitur vere supernaturaliter credens, sperans vel amans. Unde homo ex gratia ordinaria ponens opus bonum supernaturale est suo modo etiam causa ac auctor illius operis (1).

Corollarium III. Ex eadem doctrina responderi potest quæstioni illi, quo videlicet pacto inter se differant Scripturæ Sacræ ac libri illi, quos quidam homines pii divina gratia excitante composuisse, atque speciali Dei auxilio absolvisse creduntur. Illi libri neque inspirati sunt neque nomine Scripturæ Sacræ venire possunt. Etenim illis scriptoribus Deus sententias seu veritates scribendas plerumque neque revelavit, neque suggessit, sed ad summum speciali providentia, assistentia vel directione scriptores a gravibus erroribus in præcipua saltem sui operis parte immunes servavit. Quod attinet ad specialem impulsum, quo illi scriptores ad

(1) V. de hac re Suarez. *De Gratia* lib. VI c. VI et Lessium, *Opusc. de Gratia efficaci* c. XIV, n. 7.

libros illos conscribendos moti creduntur, hæc excitatio non differt a communi illo impulsu, quo homines ad bona opera alliciuntur. Proinde potest quidem Deus dici auctor seu causa horum librorum, sicut est causa omnium operum salutarium et supernaturalium per gratiam, at non sic est illorum auctor, ut hi sint vere ac proprie Dei eloquia ad hominem. Quapropter gratiæ excitantis discrimen a singulari illa motione in hagiographis non in eo reperitur, quod hæc, licet voluntatem antecedenti necessitate non agat, *infallibiliter* tamen ad obsequendum moveat, priori vero haud certo obtemperetur, sed potissimum et ultimatim repetendum est ex illo summæ pietatis consilio, quo Deus statuit *hujusmodi scripto sermonem ad homines habere*, iisque fidei ac morum normam per semetipsum tradere.

CAPUT IV.

DE HABITUDINE HOMINIS INSPIRATIONIS CHARISMATE ORNATI SEU DE INSPIRATIONE PASSIVE SPECTATA.

Anteacto capite pro modulo enucleavimus multiplicem illum influxum, quem Deus in hagiographum exerit. Huic porro operationi correspondet, tamquam immediatus ejus terminus, passiva hominis elevatio, actio cogitandi, judicandi et volendi, prout ex ipsa rei natura et ex dictis evidens est. Quare supervacaneum ducimus illa denuo hic repetere vel fuse ea expolire. Quo tamen plenior hujus charismatis notio habeatur, e re esse opinamur, aliquanto penitius investigasse, an et quousque sub hac divina operatione propria hominis activitas salvetur, atque nominatim an aliquid et quantum momenti habeant naturales vel acquisitæ dispositiones causæ instrumentalis in libri confectione ejusve saltem forma externa. Quibus explanatis simul præoccupata atque e medio sublata partim erunt objecta, quæ osores divinæ revelationis contra divinam originem Scripturarum opponere affectant.

ART. I. AD INSPIRATIONEM NON REQUIRITUR SUSPENSIO USUS RATIONIS VEL LIBERTATIS.

Sicut nec ad ullum aliud charisma supernaturale, ita neque ad donum θεοπνευστιας pertinet velut elementum essentiale vel necessarius effectus sive exstasis mentis sive suspensio libertatis hominis inspirati. Hic quidem fuit error Montanistarum, qui docebant prophetas sub divino afflatu constitutos, non secus ac ipsorum prophetissas Priscam et Maximillam, more arrepticiorum extra semetipsos raptos, sensibusque ac libertate penitus fuisse privos, ita ut passive omnino sese habentes, omni spontanea activitate essent destituti, nec quidquam intelligerent eorum quæ loquebantur, nec in potestate haberent non loqui. Hanc autem sententiam, in qua discrimen veram prophetiam inter et ethnicorum μαντειαν tollitur, quasi uno agmine debellarunt SS. Patres, atque statuerunt sacros vates inspiratosque scriptores non furore atque æstu abreptos insaniisse, sed cœlesti lumine perfusos humanis rebus altiora ita esse vaticinatos, ut perfectam suimetipsorum conscientiam haberent. Hunc in finem scripsit Miltiades opus suum : περι του μη δειν προφητην εν εκστασι λαλειν, et S. Hippolytus : *De charismatibus apostolica traditio.* Horum sententiam ab universa Ecclesia receptam fuisse testatur S. Hieronymus in Præf. in Isaiam : « Neque vero, ut Montanus cum insanis fœminis somniat, prophetæ in exstasi sunt locuti, ut nescirent quid loquerentur, et quum alios erudirent, ipsi ignorarent, quid dicerent »; et in cap. III Ephes. « Aut igitur, scribit, juxta Montanum, Patriarchas et Prophetas in exstasi locutos accipiendum, et nescisse quid dicerent; aut, *si hoc impium est* (spiritus enim prophetarum prophetis subjectus est), intellexerunt utique quæ locuti sunt » (1). Et re quidem vera

(1) Similia habent Origenes. *Contra Celsum* 3; Chrysost. in Ps. 44 n. 1; Epiphanius. *Hær.* 48, n. 2; Athanasius. *Orat.* 3 *cont. Arianos*, n. 47. Videsis etiam S. Thom. Qu. disp. XII, art. 9 ad 3 et tot. art.

nullibi in sacris litteris docemur omnes revelationes in exstasi fuisse consignatas. Dein status exstaticus, quem Scriptura novit, cessationem quidem cogitationis discursivæ, neutiquam vero talem mentis perturbationem infert, ut inspiratio sit θεοφορητος μανια. Sane « id abhorret a professione divinæ præsentiæ, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, et cum plenus esse cœperit divinarum doctrinarum, tunc a propria mente excidat... Quin potius neque lumen cæcitatem parit, sed videndi facultatem a natura insitam elevat; neque Spiritus tenebras inducit, sed ad rerum intelligibilium cognitionem mentem excitat a peccati maculis puram » (1).

Præpostere autem provocabant Montanistæ ad priorem epistolam ad Corinthios, itidem ac si in capite ejus XIV Apostolus faveret manticæ naturæ θεοπνευστιας. Ibi namque instituit S. Paulus comparationem inter glossolaliam seu donum linguarum et inter prophetiam. Quum nimirum Corinthii de illa præter modum gloriarentur ob eamque cum præjudicio pacis ac humilitatis christianæ intumescerent, docet eos Apostolus hanc illi, si simul conjunctum non habeat donum intelligentiæ seu interpretationis, esse anteponendam. Jam autem hæretici illi male sani præcipue appellabant ad v. 2^{m} : « qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit, spiritu autem loquitur mysteria », quasi Apostolus designaret statum, in quo homo præ abalienatione mentis et sensuum deliquio sui impos, sonos inconditos et voces fere inarticulatas profert. Verum ut illud omittam, S. Paulum loqui de solis Corinthiis, vel etiam eum solum intelligentiam iis abnuere, qui dono linguarum sunt aucti, eis autem qui prophetant, concedere, hoc unum animadverto, hunc locum non eum sensum habere, quem volunt illi hæretici. Alias enim neque Apostolus harum vocum sensu destitutarum interpretationem exoptaret (v. 5, 13), neque eum, qui hoc dono insignitus est, hortaretur ut hoc charismate nonnisi præsente interprete uteretur

(1) S. Basilius. In Is. n. 5.

(v. 26-28), neque de loquentis ædificatione, quæ usum ratíonis supponit, mentionem faceret (v. 4), neque incipiendi atque cessandi tempus opportunum, nec generatim ea præscriberet, quæ ad rectum et ordinatum ejus usum conducere possunt (v. 28-31). Quod autem vv. 14, 15 scribit, eum, qui orat lingua, spiritu non mente orare, profecto hunc sensum fundere nequit, quod omnis rationis ac libertatis usus fuerit expers, secus nec loquendo oraret, nec orando semetipsum ædificaret; sed illud tantum supponit, eum non semper omnia intelligere, quæ verbis dicit, et hac ratione non orare νοΐ, bene vero πνευματι, h. e. sub impulsu divino, non tamen sine rationis usu. Cæterum Scripturæ manifeste adversantur Montanistarum placitis quandoquidem solummodo falsos prophetas vel qui a spiritu nequam moventur, peculiari hoc nomine מְשֻׁגָּעִים *mente captos* compellat (1), veros autem et a bono spiritu ductos solum ubi de iis cum despectu loqui oportet (2).

Aperte etiam falluntur ii, qui cum Semischio (3), Joanne Delitzschio (4) aliisque protestantibus non aliam ab apologetis sæculi secundi et nominatim a Justino agnitam fuisse autumant theopneustias rationem, quam quæ a Montano ejusque gregalibus probata deinceps fuerit. Verum quidem est illos Patres in locis quæ adducuntur, omnia in Scripturis Deo tribuere tamquam principi, imo quasi unico librorum propheticorum auctori, scriptorum vero nullam pene rationem habere. At hæc loquendi ratio probe intelligitur, quin recurratur ad placita Platonis, quæ ante conversionem suam Patres illi professi, et ex quibus hanc manticam inspirationis notionem mutuati fuissent. Enimvero scopus illorum imprimis erat, sacros libros ceu divinum ac infallibilem totius veritatis codicem opponere falsæ sapientiæ gentilium eorumque libris ab invicem dissentientibus. Quare eos plu-

(1) Jer. XXIX, 26; Os. IX, 7; Soph. III, 4. (2) V. plura ap. Denzinger. l. c. n. 120. (3) In op. *Justin der Märtyrer*. II, p. 12-22. (4) *De Inspiratione Scripturæ S. quid statuerint PP. Apostolici et Apologetæ sæc. II*, p. 42-55.

rimi intererat Spiritui S. operationem principem in librorum confectione vindicare, scriptoribus vero humanis rationem causæ instrumentalis, quæ reapse illis convenit, solummodo tribuere. Hinc fit ut assimilent scriptores humanos instrumentis torpentibus mentisque impotibus, puta, citharis seu lyris, quæ divino plectro tanguntur vel pulsantur (1). Quibus tamen imaginibus opinandum haud est prophetis propriam mentem propriamve voluntatem abjudicari, perinde ac si citra intelligentiam et contra voluntatem suam inscii aut inviti scripserint. Tales enim comparationes, quæ et apud Patres subsequentes, uti apud S. Hippolytum (2), similiter occurrunt, emphatice solum docent scriptorem penitus evehi, moveri ac illustrari, nihil ex suo mere humano sensu scribere, et secundum solas vires naturales ad inspiratam scriptionem seu ad formalem sive materialem revelationum conformationem active non concurrere, verbo : prophetam seu hagiographum tam amplo et efficaci auxilio divino ditari, ut pene solius Dei, non autem amanuensis, in scriptione libri ratio sit habenda. Tandem hæc mantica inspirationis notio adeo aliena est a mente S. Justini, ut externam verbi divini formam hagiographis adscribat (3), et ipsis in actu scriptionis admirationem aliosve sensus tribuat (4). Sed neque aliorum Patrum testimonia, quæ afferuntur, istiusmodi sunt, quæ manticam inspirationem manifeste adstruant, siquidem vel ex natura tum orationis figuratæ, tum rei, de qua agitur, manifestum est illas similitudines non nimium esse urgendas : vel enim unice supponunt non omnibus semper prophetis plenam et perfectam intelligentiam impertiri eorum, quæ ipsis panduntur, vel denique accipienda sunt, non de mentis perturbatione, sed de exstasi seu simplici abstractione a sensibus exterioribus seu potius ab actuali eorumdem usu. Illa porro locum habet non quidem in denuntiatione seu scriptione, sed in acceptione, et tunc solum quando prophetis aliqua divinitus manifestantur per

(1) Justinus. *Coh. ad Græc.* c. 8. (2) In limine operis : *De Christo et antichristo.* (3) *Coh. ad Græc.* c. 35. (4) *Dial. c. Tryph.* c. 118.

visionem imaginariam, ut perpulchre explicat S.Thomas (1). Hic tamen notetur fieri posse et forsan aliquando factum esse, ut videlicet homo divinitus ita extra se rapiatur, ut nesciat, quid circa ipsum agatur nilque intelligat eorum, ad quæ proferenda excitatur. At semper tenendum est, quod post Angelicum animadvertit Suarez, « eos qui veri prophetæ sunt, etiamsi in exstasi illuminentur, vere nihilominus intelligere, quid sibi reveletur, alias non essent vere illuminati a Deo, sed tamquam instrumenta mortua se haberent » (2).

Quod vero speciatim attinet ad hagiographorum libertatem, distinguendum est inter ipsam acceptionem specierum et lucis seu apprehensionem veritatum scribendarum et inter ipsam operis externi positionem, nominatim scriptionem, ad quam divinitus impelluntur. Quoad primum enim necessario prævenitur hominis voluntas, unde non posset, etiamsi vellet, ulla ratione avertere intellectum a consideratione et quasi auditione divinorum, sicut in cognitione naturali non possumus mentem impedire a prima et spontanea consideratione objectorum, quæ per sensus apprehendimus. Quoad secundum vero, scilicet ipsam actionem scribendi, hagiographi non erant sub impulsu Spiritus S. sicut calamus in manu scribentis, vel penicillus in manu pictoris, quasi absque libertate obsequerentur motui principalis agentis, sed volentes ac plane liberi sub divino afflatu libris scribendis sese accinxerunt. Quare inspiratio haberi non debet ad instar actionis subvertentis libertatem, neque Spiritus divinus velut oppressor voluntatis humanæ, eam antecedenter necessitando. Hominem namque non decet operatio bruta, quæ evertat ejus libertatem ; verum ei convenit operatio humana eaque ethica. Idcirco Jonas fugit, Ezechiel distulit, Jeremias recusavit. Ex altera tamen parte, quando Deus aliquem hominem ad scribenda hagiographa impellit, vult ut tuto et infallibiliter consequatur effectum intentum.

(1) Qu. disp q. XII, a. 9 et 2. 2. q. 173, a. 3. (2) Tract. de Fide, disp. VIII, sect. IV, n. 2.

Sed enim, ad hoc minime requiritur necessitas vel determinatio antecedens, sed oppido satis est necessitas consequens seu infallibilitatis, subsequens nempe divinam præscientiam, qua cognoscitur inspiratus infallibiliter divino impulsui morigerus fore. Hæc necessitas libertatem seu naturam non perimit, sed supponit atque confirmat. Porro nemo negabit Deum, qui, ut ait Augustinus, « humanorum cordium convertendorum, quo placet, omnipotentissimam habet potestatem », ita suaviter et nihilominus efficaciter voluntatem scriptoris afficere posse, ut homo salva libertate infallibiliter ad scribendum permoveatur.

ART. II. DE DISPOSITIONIBUS ET FACULTATIBUS SEU DOTIBUS NATURALIBUS HOMINIS INSPIRATI.

Verbum facientes de dispositionibus hagiographi, nolumus fuse indagare, num aliquæ in ipso necessario prærequirantur ad recipiendum prophetiæ vel inspirationis donum. In propatulo namque est nullas dispositiones naturales præexigi ad inspirationis charisma, quandoquidem in omni creatura rationali est per se loquendo capacitas seu potentia obedientialis ad illud donum recipiendum, obstante etiam quacumque dispositione naturali. Deus enim, qui est causa universalis in agendo, sicut potest dispositiones pravas vincere et removere, ita valet hominis animæ formam congruasque dispositiones inducere. Hanc in rem apposite dicit S. Gregorius : « Implet namque (Spiritus S.) citharædum puerum, et Psalmistam facit. Implet pastorem armentarium, sycomoros vellicantem, et Prophetam facit » (1). Argumentum a posteriori etiam, si opus est, desumi potest ex facto omnibus noto, quod videlicet Deus dignatus sit communicare donum prophetiæ hominibus omnis ætatis, ingenii et conditionis. Quæ modo dicimus, valent etiam de sanctitate vel morum probitate in hagiographo. Enimvero

(1) In Hom. 30. In Evangel. num. 8.

donum prophetiæ vel inspirationis etiam per se non postulat conjunctionem cum Deo per charitatem, atque ita interdum etiam non sanctis, quin et peccatoribus fuit communicatum, uti Balaam et Caïphæ. Sicut enim juxta S. Paulum, loquentem de gratiis gratis datis, « hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult », ita etiam dividit quibus vult (1). Verum quemadmodum magis obvium est a priori conjicere Deum nonnisi per viros bonos et sanctos ac publicos suos ministros libros inspiratos edere voluisse, ita de facto comperimus, libros sacros, quantum eorum auctores cognoscere datum est, a viris probis et sanctis, Prophetis nempe, Apostolis vel discipulis Christi fuisse concinnatos (2).

Hisce porro præmissis, tenendum omnino est, non solum rationis ac libertatis usum scriptori inspirato haud esse denegandum, verum etiam dotes seu facultates ejus naturales vel acquisitas, puta ingenium, culturam spiritualem, personalem characterem, educationem ita integras mansisse, ut elevatæ quidem et a Deo adhibitæ in externam librorum formam, quin et in ipsam rerum scribendarum materiem, ordinem et nexum non leviter influxisse comperiantur. Quod ut rite intelligatur, in memoriam revocandum est principium quod jam innuimus, nempe Spiritum S. in operationibus supernaturalibus agere ad analogiam naturæ, id est, quando utitur aliqua causa instrumentali ad aliquem effectum producendum, præsertim ubi ea est creatura rationalis, illius facultates et dispositiones non destruit, sed elevat, perficit ac assumit ad scopum suum. Nihilominus sedulo notetur, nos nullatenus hic asserere hagiographum in libris Scripturæ concinnandis ad horum partem formalem seu substantialem aliquid *positive conferre ex solis naturalibus facultatibus*, sed dumtaxat hominem ejusque habitudines evehi et assumi, ut in sua activitate, quemadmodum in ordine gratiæ, a Spiritus S. impulsu et auxilio plane depen-

(1) I Cor. XII, 11. (2) Bened. XIV. *De serv. Dei beatif.* l. III, cap. XLV n. 9.

deant. Aliis verbis, quamvis ingenii dotes seu facultates et qualitates naturales, ubi adsunt, ad charisma inspirationis recipiendum nullatenus active conferant, nec majorem inducant aptitudinem positivam, nihilominus, quando a Deo inspirante gratuito elevantur et assumuntur, activæ fiunt et per modum causarum instrumentalium influunt.

Quemnam igitur influxum exercent in librum inspiratum dotes et facultates naturales hominis θεοπνευστου? Duplex videtur esse possibilis et reapse locum habuisse in libris nostris sacris : *positivus* nempe et *negativus*. Nimirum 1° in ea, quam tuemur, sententia, quæ docet singula verba phrasiumque constructiones non fuisse determinate et singillatim inspirata, positivus influxus statui potest et quidem duplex. Videlicet *a)* influunt in ipsam individuam formam externam seu stylum librorum. Cum enim unicuique propria sit ac individualis loquendi vel scribendi ratio, necesse est ut, si ipsa verba in individuo non dictantur, pro diversa loquentis vel scribentis eruditione, conditione et ingenii cultura, singuli Scripturarum libri diversum stylum variumque expressionum delectum præseferant. Porro de facto rem sic sese habere, extra omne dubium est. Ut paradigmate assertum confirmemus, sufficit indicasse Evangelia : S. Lucas, qui, teste S. Paulo, erat professione medicus, ac proin plus reliquis in scientiis versatus, stylum habet elegantem et excultum, necnon accuratos et technicos usurpat terminos, ubi v. gr. de morborum descriptione sermo est, prout a recentioribus quibusdam criticis ingeniose ostenditur; cæteri vero Evangelistæ eruditione scholari fuere destituti : S. Joannes quamvis sublimia tractet, stylo utitur vulgari et rudi; pariter S. Marcus græcam dictionem adhibet minus puram et impolitam, in narrandis rebus brevior est ac rapido desultorioque utitur stylo (1). *Positive* influunt *b)* non

(1) Videsis : Hug. *Introd.* p. I, in qua ad probandam authentiam Evangeliorum indicia interna magno numero colligit et erudite venditat. Cfr. etiam Gab. Günthner, *Introd. in libros N. T.* P. I, sect. II § 83 et seqq. Nos affatim de hac re plura dicemus infra.

solum in delectum verborum in atomo symptorum, sed et in ipsam cogitatuum formam seu modum apprehendendi et consequenter exprimendi conceptus inspiratos. Et re quidem vera propria pariter est unicuique scriptori sensa, etiam quoad substantiam eadem, concipiendi et exponendi ratio. Ita scriptores N. T. sæpe eamdem narrationem, eosdem conceptus, secundum diversam singulorum culturam intellectualem necnon personalem characterem diversimode referunt (1). Nominatim videmus S. Joannem ob mysticam et contemplativam indolem suam conceptus inspiratos secundum altiorem sublimioremque sensum considerare, adeo ut non immerito aquilæ fuerit comparatus. S. Pauli tractatio didactica est, erudita et subtilis, nunc philosophice procedit, nunc familiariter, semper tamen sibi constat. S. Jacobus magis sententiosus axiomatibus delectatur adinstar antiquorum sapientum suæ gentis, ac sensa sub perspicuis et familiaribus imaginibus proponit. Sed et quotidianæ scriptoris occupationes non modici sunt momenti in determinando modo veritates concipiendi et exprimendi, ut Doctor Angelicus post S. Hieronymum advertit de Amos Propheta, qui, cum esset ex pastoribus Thecuæ, imagines suas desumit ex vita et curis pastoralibus (2). Rursus tamen notetur hæc non tam

(1) Per *culturam intellectualem* intelligimus hic omnem loquentis vel scribentis cogitandi ac sentiendi modum, necnon cogitata sensaque sua exprimendi rationem. Ad illam itaque pertinet complexus cognitionum, quibus homo pollet, earumque perfectionis gradus. — Nomine *characteris* intelligimus prædominantem mentis ac voluntatis directionem animique affectionem, vel ex nativa animæ facultatum temperie, vel ex principiis acquisitis, vel ex utrisque ortam, qua quis ad certum cogitandi, sentiendi adeoque scribendi modum determinatur.

(2) S. Thom. Qu. disp. XII, art. 4, ad 1^{m}, item 2. 2. q. 173, a. 2 ad 1^{m}. S. Hieronymus hæc pulcherrima et verissima habet in illud Amosi : *Dominus de Sion rugiet* (cap. I) : « Naturale est ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, et unusquisque, in quo studio trivit ætatem, illius similitudinem proferat : v. g. qui nauta est et gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum prosperitatem et lætitiam, auram placidissimam, et secundos nominat ventos, tranquilla maria et æquora, campi similia... Cur hæc dicta sunt? Ut scilicet ostendamus etiam Amos prophe-

attingere ipsam substantiam divinarum communicationum, quam potius spectare indolem et speciem externam librorum sacrorum.

Ast 2°, quæ modo diximus, partim quidem, non autem sufficienter nos edocent, quî cum inspiratione componi possit, quod et ipsæ ideæ ac judicia in libris consignata, imo interna horum indoles haud raro reflectant hominis inspirati ingenium, indolem, educationem, gentem, patriam aliasque personales qualitates ipsius scriptoris; neque satis declarant, undenam repetere oporteat tum apparentes illas antilogias, quæ in Scripturis frequenter occurrunt, tum diversum librorum characterem, uti dicunt, dogmaticum; verbo : multiplicem illam varietatem quæ inter libros inspiratos deprehenditur; hæc, inquam, sufficientem sui rationem haud inveniunt, nisi simul admittatur alius influxus dotum et facultatum naturalium scriptoris, qui potius *negativus* est dicendus. Hic porro in eo consistit, quod non raro Deus ideas et judicia scriptori inspiret juxta ejus, ut ita dicam, individuam habitudinem, id est, juxta ejus notitias et facultates tum naturales tum acquisitas. Illud facilius intelligitur, si consideratur α) conceptus inspiratos, ut supra notatum est, sæpe tum materialiter, tum formaliter desumi vel saltem constitui ex speciebus in imaginatione, vel ex ideis et judiciis in mente jam præexistentibus; dein β) Spiritum S. haud raro conceptuum scribendorum inspirationem consulto attemperare ingenio, characteri et naturali cognitioni scriptoris, eo quidem sapienti consilio, ut libri criteria gentis, temporis, educationis indolisque hagiographorum reflectentes, argumenta sua e authentiæ præseferrent. Hinc etiam adparet, quamvis omnis influxus humanus excludendus sit, qui privativam restrictionem includat, admitti posse cum S. Augustino aliquam in ideis vel conceptibus limitationem mere negativam, non solum illam, quæ propria est omni

tam, qui pastor de pastoribus fuit... artis suæ usum esse sermonibus : ut vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum et fremitum nominaret; eversionem Israëliticarum urbium, pastorum solitudini et ariditati montium comparans. »

humanæ cognitioni, verum etiam illam, quam particularis scientia restricta hagiographi inducit. Videlicet cum inspiratio non sit omniscientia, sed revelatio vel suggestio quarumdam veritatum in ordine ad earum scriptionem, nil obstat quominus dicamus, Deum sæpe inspirationem attemperasse limitibus ingenii scriptoris ejusque notionum aliunde haustarum. Hoc sensu dicit S. Augustinus de generali illa limitatione : « Forsitan nec ipse Joannes dixit, ut est, sed et ipse ut potuit, quia de Deo *homo* dixit et quidem inspiratus a Deo, sed tamen homo. Quia inspiratus dixit aliquid : si non inspiratus esset, dixisset nihil ; quia vero homo inspiratus, non totum quod est dixit, sed quod potuit homo, dixit » (1). Et alibi de speciali illa restrictione scribit de Evangelistis : « ut quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius » narravit (2). Hoc etiam sensu plures animadvertunt sacros scriptores aliqua, quorum testes oculati non fuerunt vel quorum memoria jam prope abolevat, brevius et quasi summatim exarasse, quin particulatim minutissima consectarentur. Illud luculenter confirmatur narratione mosaïca Pentateuchi, quæ pauca admodum ad primam et secundam mundi ætatem pertinentia commemorat, eaque imprimis, quæ non facile poterant oblivione deleri ; prolixius vero excurrit in narrandis eventibus, qui suæ ætati suppares erant (3).

(1) Tract. 1. in Joan. n. 1. (2) De Cons. Evangel. l. II cap. 12, n. 27. Cf. etiam S. Greg. M. Hom. in Ezech. l. I Hom. 1, n. 11-14 et S. Thom. 2. 2. q. 171, art. 4.

(3) V. Denzinger, l. c. nn. 121-123. Vix notatu opus est, nos nullatenus diversam librorum indolem et naturam unice repetere ex diversa hagiographorum indole et habitudine naturali, verum etiam et quidem maxime tribuere tum diversæ materiæ quam singuli tractant, tum vario scopo peculari quem hagiographi sibi præfigunt, tum sapienti Dei consilio, quo eamdem quidem historiam sed alio sub respectu enarrandam dictat, tum tandem diversis fontibus, ex quibus scriptores sub directione Spiritus S. sensa scribenda hauserunt.

CAPUT V.

DE INSPIRATIONE TERMINATIVE SPECTATA SEU IPSIUS LIBRI.

Jam plus semel diximus, inspirationis activæ Spiritus S. effectum mediatum, et inspirationis passivæ seu scriptoris effectum immediatum esse ipsum librum sacrum infallibiliter inspiratum terminative. Insuper notavimus librum inspiratum, utpote Spiritu S. dictante conscriptum, esse formaliter *verbum Dei* ac *divina gaudere auctoritate*. Verum, si hæc formula haud probe intellecta temere atque inconsiderate adhiberetur, perniciose aliquem falleret, atque idcirco opportuna declaratione indigere videtur. Enimvero non omnia quæ in Scripturis occurrunt *eodem sensu* sunt verbum Dei, neque *eadem ratione* divina sunt dicenda. Quis, vgr. dicet in se verbum Dei ac consequenter infallibiliter in se verum esse dictum insipientis : *Non est Deus,* ideo quod in sacris litteris illud assertum occurrat? Pariter absurde et inscite ageret, qui sibi probandum assumeret ex verbis cœci nati, *Deum peccatores non audire,* causans illa, utpote sententiam Scripturæ, non minus esse verbum Dei, quam illud Pauli (Rom. II, 4) : « Benignitas Dei ad pœnitentiam te (hominem peccatorem) adducit »; vel ob eamdem rationem contenderet minima quæque præcepta et mandata, quæ v. gr. in familiaribus epistolis S. Pauli occurrunt ad jus divinum pertinere, non secus ac legem, v. gr., de unitate matrimonii. Præterea prima fronte non omnibus liquidum est, quo pacto in Deum referri possint, quove sensu debeant ea loca, in decursu librorum sacrorum identidem occurrentia, in quibus scriptor sacer uti merus homo sua personalia sensa suosque affectus exprimit.

Hæc jam abunde sufficientia sunt, ut pervideas abs re non esse, quinimo ad plenam hujus materiæ tractationem perquam necessarium, sensum hujus formulæ : *Scriptura est verbum Dei,* penitius enucleasse, ac præ diversa Scripturarum materia seu objecto aliquanto fusius expendisse.

Quidquid vero sit de singulorum in Scripturis contentorum veritate, auctoritate ac ut ita dicam, divinitate, illud sedulo et religiose animo teneatur, quod jam diximus et infra specialibus argumentis probabimus, scilicet Deum omnia sensa, quæ in libris sacris consignata reperiuntur, expresse ac determinate *ceu scribenda* hagiographis inspirasse. Hoc enim nil aliud est quam dogma revelatum de divina Scripturarum inspiratione. Ut porro tuto discernatur, utrum et quo sensu singula quæque sensa etiam *objective et secundum rem expressam* divina dici debeant, generali hoc utendum est principio : quidquid in Scripturis continetur, est divinum et Deo adscribendum *sub ea ratione et eo sensu, quo a scriptoribus ut inspiratis repetitur;* quod vero a scriptore theopneusto formaliter qua tali non repetitur, non est divinum, neque gaudet divina auctoritate, *ideo quod in libris inspiratis expositum vel narratum reperiatur*, quamvis aliunde possit ea fulciri. Hæc omnia perspicua fient ex infra tractandis. Ut modo hoc principium jam in antecessum applicemus doctrinæ supra positæ, qua tenendum diximus, nullam in Scripturis reperiri sententiam, quæ a scriptore humano, non ex divina illustratione et impulsu, sed proprio suo marte scribente sit repetenda, ex eo inferimus omnes sententias Scripturarum, *formaliter quatenus scriptæ sunt*, a scriptoribus ut inspiratis esse repetendas, adeoque divinas esse saltem *quoad scriptionem.*

Ast quæstio magis intricata ea est, qua nunc ulterius inquirimus, utrum necne omnes conceptus indiscriminatim dicendi sint divini divinaque auctoritate fulti etiam ratione objecti, materiæ seu rei enuntiatæ. Illud modo examinandum suscipimus, illudque præstabimus, concludendo ea, quæ ex ipsa natura inspiratæ scriptionis juxta principium supra indicatum sponte sequuntur. Illa autem Scripturarum loca, quæ difficultatem in hac re aliquam facessere videntur, reduci possunt ad duas classes : ad priorem pertinent textus, quibus hagiographus nomine proprio et velut in sua persona ea narrat, quæ sibi sunt propria, quæque non videntur formaliter Deo posse attribui, verbo : ea in quibus

homo *sensu humano* loquitur; ad posteriorem vero spectant *verba aliorum*, quæ in Scripturis referuntur. De utrisque distincto articulo jamjam agendum.

ART. I. DE LOCIS IN QUIBUS HAGIOGRAPHUS DE SEIPSO ET EX PROPRIA AUCTORITATE VERBA FACIT.

Quo in antecessum penitius intelligatur tractandorum objectum et momentum, operæ pretium est distinctius declarasse, quænam loca sub titulo præmisso a nobis designentur. Auspicantes per viam remotionis, seponimus eos textus easque partes librorum, in quibus hagiographus ea quæ olim ipse gesserit vel senserit, litteris enarrat. Perinde est, utrum de seipso loquatur in tertia persona, uti Moyses in Pentateucho, sive in prima persona, uti Paulus in Epistola ad Galatas (cap. I, v. 11 seqq. et cap. II). Quamvis enim talia, saltem hæc ultima, in ore Dei poni nequeant, quasi ea sibi tribueret velut a semetipso facta vel cogitata, illa tamen sunt sensa Dei sub eo formali respectu, quatenus sunt scripta; hoc est : Spiritus S. hagiographos impulit, ut tamquam a se olim gesta vel cogitata ea referrent. Consequenter illa sunt non secus ac aliorum facta, quæ narrantur, ratione scriptionis verbum Dei et infallibiliter historice vera; hoc est, illæ narrationes qua tales divina et canonica gaudent auctoritate. Liquido autem apparet, et ex dicendis amplius clarescet, pro honestate seu probitate morali illorum factorum vel cogitatuum ex sola inspirata scriptione seu relatione per se nil deduci posse, bene vero si cum explicita vel implicita approbatione narrentur.

His missis, alia hic consideranda occurrunt, quæ graviora offendicula concire possent et quæ rursus claritatis gratia in duplicem seriem dispescimus. Videlicet 1° hagiographi in suis libris persæpe præsentes suos affectus ac animi motus exprimunt, quibus inter scribendum agitantur, puta affectus reverentiæ, gratitudinis, contritionis, fiduciæ, ut in orationibus v. g. in Psalmis; sive etiam aversionis, indignationis in suos vel Dei inimicos; vel etiam hæsitationis, dubita-

tionis. Deinde 2° in nonnullis libris maxime in Epistolis Apostolorum, nomine suo et quasi propria auctoritate tradunt iis, ad quos sermonem dirigunt, præcepta vel consilia, et quidem ita, ut ea interdum a divinis distinguant, quasi non ea quæ Deus ipsis communicavit, sed quæ sibi ut homini opportuna videbantur, paginis infigerent. Nemo negabit non illico patere quid, attenta harum rerum indole et varietate, relate ad singula memorata ex inspirationis conceptu necessario ac sponte consequatur. Quare de bina dictorum specie distinctis paragraphis declarationis instar pauca dicemus.

§ 1. *De personalibus actualibusque hagiographi affectibus.*

Ex sæpe dictis firmiter teneatur oportet illa omnia sensa, in quibus affectus suos variosque animi motus exprimit hagiographus, sub divino impulsu conscripta fuisse, ac proinde, quod ex scriptione inspirata sponte sua, ut ita dicam, sequitur, scriptorem sacrum illis motibus, quibus se agitari verbis suis vel asserit vel significat, revera inter scribendum affectum fuisse. Evidens enim est, Deum nullatenus hagiographum excitare posse, ut verbis externis eos exprimat internos animi affectus tamquam actu suos, quos revera in animo suo non experitur : hoc namque ipso Deus propriissime esset causa mendacii et hypocriseos. Quando ergo Psalmista exprimit sensus contritionis, ut in Ps. 50, vel laudis, ut in Ps. 137, sive Paulus testatur se de re quapiam gaudere, (Rom. XVI, 19), vel aliquid sperare (II, Cor. I, 13), vel desiderare (Rom. I, 11), infallibili certitudine constat eos has affectiones reipsa in animo habuisse, dum hæc scriberent.

At quod hic inquiritur, illud est, utrum ratione scriptionis inspiratæ illi affectus semper dicendi sint boni, honesti ac laudandi, ita ut non modo infallibiliter doceamur eorum existentiam, sed etiam eorum honestatem. Jamvero illud affirmandum esse evidenter liquet ex ipsa affectuum natura et modo eos efferendi, quoties hagiographus sub divino

afflatu exprimit sensa contritionis, gratiarum actionis, divinæ laudis, fiduciæ in Deum etc. uti accidit ex gr. in Psalmis David Prophetæ. Hæc namque, utpote in se supernaturaliter bona, speciali motione divina, qua Deus nonnisi ad licita et honesta allicit et concurrit, in hagiographo fuerunt excitata. Verum non minus illud affirmandum videtur quoad affectus, qui ex se et specifice considerati indifferentes videri possent, uti v. gr. gaudii (1), spei (2), dilectionis amicorum (3), adeo ut non modo auctoritate divina nobis constet, tum hagiographum revera illos animi motus habuisse, dum eos scripto efferret, tum bonum utileque fuisse eosdem externe prodere aliisque manifestare, sed etiam eos in se honestos ac licitos fuisse. Illius asserti ratio in promptu est. Dum enim sacri scriptores præsentes animi affectus scripto exprimunt, illos non narrant tantummodo historice, seu non efferunt simplicem testificationem theoreticam de illorum existentia, sed simul actu exercito, dum scribunt, eos veluti eliciunt, adeo ut illa externa manifestatio sit interioris motionis quædam continuatio ac quasi spontaneus fructus, et ita cum interno motu in unum quasi actum coalescat. Porro cum Deus hominem suo impulsu excitare nequeat, nisi ad actus ethice honestos et probos, dicendum est illos, qui vel Deo ciente fuerunt concepti, vel saltem sub ejus impulsu fuerunt ad extra producti, a Deo ceu bonos ac honestos probari (4).

Verum hic sponte exurgit difficultas quædam petita ex maledictis et imprecationibus, quibus nonnullæ Scripturarum partes sunt refertæ. Ita nominatim psalmista in suis versibus continuo quæcumque mala tum temporalia, tum æterna inimicis suis exoptat; præ cæteris psalmus CVIII scatet diris, quas David suis adversariis imprecatur. Porro talia verba manifesto spirant implacabile odium et insatiabile studium vindictæ, ideoque, salva in Deum pietate,

(1) I Cor. XVI, 17; Coloss. I, 24. (2) Rom. XV, 24; I Cor. XVI, 7; Philip. II, 29; I Tim. III, 14; II Joan. 12. (3) III Joan. 1.
(4) V. Schmid o. c. n. 169.

dici nequit, eos affectus ipso probante vel excitante fuisse in libris sacris scripto expressos.

Sed enim, hic nodus facile solvitur, si consideratur talia verba diras non esse, vel saltem non ex affectu improbando prosiliisse. Illud perbelle explicat S. Thomas in 2, 2, q. XXV a. 6, ad 3, ubi occasione alterius quæstionis eamdem sibi facit difficultatem eamque sequenti ratione enodat : « Hujusmodi imprecationes, quæ in Scripturis inveniuntur, tripliciter possunt intelligi : uno modo, per modum prænuntiationis, non per modum optationis, ut sit sensus : *Convertantur peccatores in infernum*, id est, *convertentur*. » Et revera imprecationes solum videntur, prout sunt in græco et latino, ubi modo optativo redduntur, dum in textu hebraïco per tempus futurum enuntiant impendentium malorum vaticinia. Verum quidem est has formulas temporis futuri sæpe reddi debere in græco et latino per formulas imperativi vel optativi, quia in grammatica hebraica tertia persona imperativi deest, ac pro illa usurpatur tertia futuri ; certum nihilominus est eas per futurum reddi potuisse, neque ostendere quis valet illud futurum hebraïcum loco imperativi in omnibus his textibus fuisse positum. Quum vero hæc solutio non quadret in omnia loca objecta, pergit S. Thomas : « Alio modo per modum optationis, ut tamen desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis secundum illud Ps. LVII, v. 11 : *Lætabitur justus, cum viderit vindictam.* » Scilicet sacri scriptores pœnas impiis non efflagitant ex privatæ vindictæ amore, sed cum ex obsequio voluntati Dei pœnas ab improbis juste repetentis, tum ex zelo justitiæ, ut nempe ordo violatus reparetur, ut innocentes ab iniqua oppressione liberentur, ut tandem Dei providentia et sanctitas vindicentur a calumniis impiorum, qui peccatorum prosperitatem intuentes ipsam Dei providentiam irrident atque inficiantur. « Tertio, subdit Angelicus, ut desiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad ipsam pœnam, ut scilicet peccata destruantur et homines remaneant. » Nimirum optant hagiographi regnum peccati ubique eversum, necnon iniquitatem omni loco depulsam.

Quare cupiunt mala illa hominibus prava agentibus immitti, ut pœnarum severitate deterriti justi non depraventur, et ipsi peccatores a vitiis forte avocati ad Dominum redire cogantur, juxta illud Ps. LXXXII, v. 17. « Imple facies eorum ignominia et quærent nomen tuum Domine. » Ex his perspicuum est istos affectus, nedum in se sint mali et improbandi, quam plurimum honestos esse ac scriptores inspiratos summopere decere (1).

Tandem quid dicendum de locis in quibus hagiographus dubitanter loquitur vel aliquid se nescire ingenue fatetur? Ita, ex. gr. Paulus testatur se nescire, utrum præter Stephanæ domum aliquem alium ipse baptizaverit I Cor. I, 16; et ignorare sese utrum in corpore an extra corpus in cœlum raptus fuerit, II Cor. XII, 2, 3. Evidens porro est Spiritum S. hoc dubium, hancve indeterminationem sacro scriptori non immittere, seu illa qua talia non esse objectum divinæ inspirationis, sed statum illum dubitationis seu hæsitationis in quo versatur hagiographus, illud esse quod Deus scripto vult consignari (2). Talia igitur sensa sub eo respectu, quo dubium vel ignorantiam exprimunt, Deo appropriari nequeunt, sed ipsius hagiographi personalem nescientiam et hæsitationem edicunt. Porro nil prohibet, quominus talia sensa hagiographo scribenda dictaverit Deus : sicut enim Spiritus S. hunc movere potuit, ut ea scripto significaret,

(1) Eadem prorsus habet S. Hieronymus in comm in Ep. ad Gal. cap V. v. 12 ad hæc verba : Utinam abscindantur, qui vos conturbant. « Non tam furoris in adversarios, ait, quam dilectionis in Ecclesias Dei, verba esse quæ locutus sit. Videbat quippe totam provinciam, quam ipse suo sanguine et periculis ab idololatria ad Christi traduxerat fidem, subito turbatam esse ; et dolore apostolico, dolore patris, se tenere non poterat ; mutabat vocem, et quibus blanditus fuerat, irascebatur ; ut quos nequiverat lenitate, saltem objurgatione retineret ».

(2) Hæc paucis complectitur P. Patritius. *De Evangeliis* lib. II (pag. 405 vol. I) : « Licet utique illud positum habeamus aliqua fuisse, de quibus scriptores θεοπνευστοι dubitarent, aut quæ etiam ignorarent, idque ea ratione efficitur, quod divina inspiratio eo spectat, ut nihil falsi illi proferant, non autem ut quidquid veri est, id totum referant, item, ut ne dubia pro certis tradant, minime vero ut nequid dubitando enuntient. »

quæ aliunde comperta habebat, ita ob rationes sua sapientia dignas efficere potuit, ut ille actu conscius fieret alicujus ignorationis vel dubitationis eamque animo versaret ac litteris consignaret. Neque revera semper impossibile est conjicere rationes, cur Spiritus S. talia litteris mandari voluerit : ex eo enim quod ex. gr. dicat Paulus, se nescire quibusnam determinate ipse baptismum contulerit, colligere fas est Apostolum illud ministerium ut plurimum aliis demandasse, cujus rei notitia illa prisca Ecclesiæ ætate præsertim Corinthiis haud inutilis erat. Ex eo vero quod Paulus nesciverit, utrum in corpore vel extra corpus in tertium raptus fuerit cœlum, pluribus instruuntur theologi et mystici, tum de natura raptus, tum de modo, quo Deus sanctis suis nonnumquam jam in vita hac sese potest manifestare.

§ II. *De mandatis et consiliis, quæ Apostoli suo nomine in sacris litteris tradunt.*

Pariter utilitate non caret, pro recta Scripturarum intelligentia, probe novisse, quid sentiendum sit de nonnullis legibus particularibus, præceptis et consiliis, quæ in sacris paginis præsertim in epistolis Nov. Test. ab Apostolis tradita hic illic occurrunt. Quandoquidem enim omni christiano ore feratur Scripturam esse verbum Dei divinaque gaudere auctoritate, posset quis prima fronte ea mandata omnia et consilia, etiam in se minoris momenti, indiscriminatim ceu in se divina ac ad jus divinum pertinentia amplecti ac porro urgere. Verum mox in scrupulos incideret, ubi comperisset in sacris litteris, præsertim in Epistolis S. Pauli plura particularia præcepta intimari, seu negotia imponi, puta afferendi penulam (II Tim. IV, 13), salutandi determinatas personas, veniendi ante hiemem (I Tim. IV, 21); vel etiam consilia tradi, puta, non amplius bibendi aquam, sed utendi modico vino propter stomachum (I Tim. V, 23), quæ sane præceptis vel consiliis proprie divinis accenseri vix possunt; tum ubi audiret Ecclesiam, quæ in jure divino dispensare nequit, nonnullas hujusmodi

leges abrogasse vel saltem in iis dispensasse, quales sunt præscriptiones Pauli de usu charismatum in Ecclesia (I Cor. XIV); de se invicem exspectandis in cœna eucharistica (I Cor. XI, 33), de non eligendo bigamo in episcopum (I Tim. III, 2).

Quocirca notetur, 1° ea omnia quæ indigitavimus, sive præcepta sint seu mandata, sive consilia, quæ sacri scriptores suo nomine et propria auctoritate scriptis promulgant vel intimant, sub afflatu et impulsu Spiritus Sancti scripto fuisse consignata, ac proinde sub ea formali ratione esse sensa seu verbum Dei. Exinde porro sequitur illico eas leges, eaque consilia, sive ea humana, sive apostolica dixeris, objective et in se esse prudentia, salutaria, ad profectum spiritualem fidelium universæque Ecclesiæ conducere, vel pro eo saltem tempore, pro quo data fuere, conduxisse, aut saltem, ubi agitur de mandatis omnino particularibus et familiaribus, fuisse in se licita et honesta. Hæc assertio seu conclusio speciali probatione haud indiget : sufficit enim considerare illa præcepta, illa consilia non solum historice narrari, sed movente Deo per sacras ipsas litteras imponi ac tradi. Quodsi igitur illa in damnum Ecclesiæ vel fidelium vergerent, vel falso niterentur supposito, vel inhonesta essent, hæc profecto Deo auctori imputanda forent.

Ast 2° nodus hic solvendus in eo est, ut ostendatur, quomodo particulare aliquod hujusmodi mandatum, sub divina inspiratione in Scripturis consignatum et impositum, possit non esse juris proprie divini, quandoquidem omnia, quæ continentur in Scripturis, sint verbum Dei. Scilicet declarandum est, quomodo cum Scripturæ inspiratione non pugnet, ut loquitur Schmid, ut leges, mandata et consilia, quæ sacer auctor in ipso libro inspirato conscribendo dedisse invenitur, non sint divini, sed per se juris tantum humani vel ecclesiastici esse possint. Quod ut intelligatur, recolendum est illud solum præceptum esse juris divini adeoque indispensabile, quod sive immediate ab ipso Deo supremo legislatore, sive mediante legato, nomine et auctoritate Dei agente, creaturis rationalibus imponitur. Legis ergo divinæ

auctoritas et obligatio provenit immediate ab ipso Deo, quamvis in ejus promulgatione intervenire possit ministerium hominum legatione pro Deo fungentium. Proinde eæ omnes leges, quas hagiographi in sacris litteris nomine Dei promulgant, nominatim eæ, quibus veritates speculativæ credendæ vel practicæ observandæ nomine Dei imponuntur, pertinent ad jus divinum : tales itaque sunt v. gr. (ut nunc solum de Nov. Test. loquamur) illæ, quæ ad fidem christianam, Ecclesiæ constitutionem, Sacramentorum substantiam et generatim ad vitam religiosam et moralem ex Christi voluntate spectant. Verum, ut unicuique scitum est, Apostoli non modo erant promulgatores divinorum mandatorum, quæ a Christo vel Spiritu S. acceperant revelata, sed etiam rectores et pastores Ecclesiarum, vi cujus muneris poterant, potestate utique divinitus accepta, attamen qua legislatores a Deo distincti, disciplinam ecclesiasticam moderari, ac porro pro adjunctis peculiaribus quasdam leges ferre, quas ad finem propositum sanctificationis et bonum regimen fidelium pro tempore proficuas judicabant. Porro hæ leges, uti patet, quas non qua præcones et internuncii Dei, sed qua pastores et rectores Ecclesiarum statuerunt, divinæ non erant, sed solummodo humanæ seu apostolico-ecclesiasticæ, ac proinde in iis potestate ecclesiastica dispensari potest. Similiter nil mirum S. Paulum in suis ad discipulos et fideles epistolis, ab eis quædam servitia præstanda expostulasse vel quædam particularia negotia imposuisse.

Quibus positis, nil obstat quominus Deus talia quædam præcepta ac consilia in ipsis epistolis inspiratis sub divino afflatu inseri voluerit, non secus ac ubi hagiographum impulit ad suos personales affectus per scripta inspirata aliis significanda. Porro sicut hi affectus objective humani sunt et homini inspirato proprii manent, ita hæc mandata, utut a Deo inspirentur scribenda, ipse tamen sua non facit in sensu formali, neque iis immediate vim obligandi tribuit; adeoque illa non divina sunt, sed quoad auctoritatem et vim obligandi manent juris humani seu ecclesiastici. Istud paucis complectitur Suarez : « Aliud igitur est scriptorem

aliquid statuere spiritu suo humano seu voluntate propria, aliud vero scribere illud spiritu humano... Itaque certum esse debet, scriptionem semper esse a Spiritu S., etiamsi factum, vel statutum, vel aliud simile non sit ita specialiter a Spiritu Sancto (1). »

Hinc concludimus leges vel præcepta supra memorata sive particularia sive generalia, quæ Ecclesia abrogavit vel in quibus dispensavit esse juris mere apostolici. Ita docet S. Thomas legem de bigamo non ordinando in Episcopum, in qua Romani Pontifices identidem dispensarunt, esse juris ecclesiastici. Nimirum in supplem. III part. Sum. Theol. q. LXVI, art. 5, ubi hanc quæstionem versat, hanc sibi facit objectionem sub n° 2 : « Contra jus divinum non licet dispensare. Sed omnia quæ in canone dicuntur ad jus divinum pertinent. Cum ergo Apostolus in Scriptura canonica dicat : Oportet Episcopum unius uxoris virum esse I Tim. III,3, videtur quod in hoc non possit dispensari. » Hunc nodum solvit implicite negando illam legem, quoad vim obligandi esse divinam : ait nempe, Rom. Pontificem dispensare posse in iis « quæ sunt de institutione Apostolorum, cum Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi et destituendi quam tunc habuit (2). »

Scholion. Ut res per se clamat, per dicta non negamus, pleraque præcepta, quæ nominatim in scriptis apostolicis occurrunt, pertinere ad jus divinum, utpote emanantia a viris charismate novarum revelationum auctis et sub divina inspiratione scribentibus ; solummodo ostendere intendimus inspirationis charisma non excludere, quominus præcepta juris solum apostolici in sacris litteris consignata reperiantur. Quandoquidem vero scriptores inspirati non semper expressis verbis asseverent, quænam præcepta sua potestate regiminis, quænam Dei nomine fidelibus promulgent vel imponant, caute admodum in hac re dijudicanda est

(1) Tract. de Fide. Disp. V sect. III, n. 15.

(2) Vide Sylvium in h. l. S. Thomæ, coll. Suarez in III part. d. Thomæ, Tom. V de censuris disp. XLIX, sect. V.

procedendum. Videlicet, quum Deus sit princeps auctor librorum sacrorum, etiam epistolarum, quas Apostoli ad particulares direxerunt Ecclesias vel personas, haud illico judicandum erit aliquod præceptum ex sola auctoritate apostolica sub divino afflatu in iis fuisse consignatum; sed solum tunc, ubi illud manifeste elucet ex objecto seu materia præcepti. Quodsi hac via res non claret, præsto est aliud criterium maxime universale positum in sensu et praxi Ecclesiæ et consentiente doctrina theologorum. Hæc namque norma, sicut in qualibet quæstione ambigua semper tuta est, ita in hac re, identidem valde intricata, potissimum est adhibenda. Ubi igitur Ecclesia aliquod præceptum in Bibliis contentum abrogavit, vel in eo dispensavit, sive ex communi Ecclesiæ sensu ut mere Apostolicum habetur, sufficiens prostat momentum, ut judicetur mandatum non pertinere ad jus divinum. Cum autem ea fuse expendere nostri haud sit instituti, idcirco ad ampliorem hujus rei declarationem ad exegetas remittimus.

ART. II. DE VERBIS ALIORUM IN SCRIPTURA RELATIS.

Properamus ad quæstionem magni etiam momenti, ast simul haud parum implicatam, quid videlicet sentiendum sit de auctoritate eorum verborum, quæ hagiographi tamquam ab aliis dicta in sacris paginis referunt (1). Dico rem esse magni momenti : latet namque neminem, qui Scripturas vel leviter pervolverit, in iis occurrere frequentissime sermones aliorum valde prolixos, in quibus plura adstruuntur ad fidem vel mores spectantia, quorumque proin valorem auctoritatemque notam habere summopere theologi refert. Ut igitur denuo a magis universalibus et prorsus certis ad

(1) Verbis aliorum etiam accensemus verba, quæ ab hagiographis tamquam a se quondam dicta adducuntur. Hæc namque sedulo secernenda sunt ab iis, quæ nunc sub speciali divino influxu et impulsu litteris exarant.

particularia magisque dubia gressum faciamus, tenendum est imprimis sermones aliorum, juxta ac reliqua omnia, ex divina motione fuisse ab hagiographis in sacras paginas adductos, adeoque eos omnes inspiratos esse saltem quoad scriptionem. Attenta porro notione inspirationis superius expolita, inde sponte infertur, divina auctoritate infallibilique testificatione nobis constare ea verba, saltem quoad sensum, revera prolata fuisse, et quidem ab iis, quibus tribuuntur atque eo tempore quo dicta esse feruntur. Auctor enim sacer sub divino afflatu historice asseverat illa verba, quæ ipse adducit, a tali persona tali tempore fuisse prolata. Præterea vero, quoniam etiam Spiritus S. hominem impellit, ut ea verba tali loco adducat, pronum est colligere ea apposite hic allegari ac congrue applicari. Quæ hucusque diximus tam aperta sunt, ut post omnia quæ in antecedentibus fuerunt constituta, probatione non indigeant.

At nunc quæritur, utrum semper vel quandonam aliorum verba in Scripturis allegata in se seu ratione veritatis enuntiatæ divina et canonica gaudeant auctoritate atque infallibili certitudine. Oppido namque liquet eum, qui nil aliud facit quam aliorum verba *nude* referre, eorum veritatem objectivam neque affirmare neque negare, non secus ac qui aliorum facta solummodo historice narrat, ea neque laudat, neque vituperat. Et ita quidem plura de facto referuntur a S. Scriptoribus aliorum verba, quæ in se falsissima et impia sunt, qualia sunt dictum insipientis : *non est Deus;* convicium Judæorum in Christum : *dæmonium habes;* et illud Pharisæorum : *in Beelzebub principe dæmoniorum ejicis dæmonia.* Quare non immerito monet nos S. Augustinus : « In Evangeliis quamvis verum sit omnino quod dicta sint (aliorum verba), non tamen omnia quæ dicta sunt, vera esse creduntur, quoniam multa a Judæis falsa et impia dicta esse verax Evangelii Scriptura testatur (1). » Quod quum ita sit, ad alia media, si quæ prostant, erit recurrendum, ut nos-

(1) Ad Orozium contra Priscillianistas cap. 9; vide integrum locum ap. Illustr. Lamy l. c. P. I cap. II, coroll.

catur, quid de hujusmodi sermonibus sit judicandum. Porro duplex via plana est, qua resciri queat, utrum necne istis sermonibus divina auctoritas insit (1). Prior nempe est ipsa auctoritas loquentis. Cum enim aliorum verba in Scripturis relata ea saltem fruantur auctoritate, quæ eis ex persona loquentis a principio est propria, idcirco, quoties hæc auctoritas est divina vel canonicam adæquat, evidens est etiam hanc auctoritatem eis inesse, quatenus in Bibliis inveniuntur. Nemo namque inficias ibit æque infallibiliter vera esse ea, quæ hagiographus v. gr. Dominum dixisse testatur, ac quæ ipse ex afflatu Spiritus S. adstruit (2). Verum hæc via non semper ad desideratum finem perducit, quia haud raro loquens divina auctoritate non gaudet vel de ea dubitari merito potest. Hoc casu aliud manet criterium non minus tutum, scilicet modus ipse, quo sermones aliorum referuntur : qui nempe si talis sit, ut sermones tamquam in se veri probentur sive explicite sive implicite, patet eos divina auctoritate communiri. Hac ratione, ex. gr. divinam auctoritatem nanciscuntur verba Petri, quibus divinitatem Christi Domini confessus est, quippe quæ explicite a Domino laudantur.

Quum præ dissertationis angustia nequeamus singula quæque Scripturarum loca huc spectantia perlustrare, vel alia ratione amplissimum istud argumentum pro dignitate pertractare, de duobus istis modis quædam solum indicasse contentis nobis esse licebit (3).

(1) Illa quæ non solum quoad scriptionem, sed etiam quoad sententiam enuntiatam inspirata sunt et consequenter in se divina gaudent auctoritate, a nonnemine theologorum dicuntur inspirata *ex omni parte;* alia vero quæ solum quoad scriptionem, dicuntur inspirata *ex parte* solum.

(2) Idcirco Augustinus l. c. ait : « In hoc libro (Job), ubi multæ personæ locutæ esse narrantur, non solum quid dicatur, sed a quo etiam dicatur considerandum est. »

(3) Vide circa hanc rem Patritium. *Comment. de div. script.* p. 8-11; Ill. Lamy. l. c.; Anonymum Mechlin. ap. Hanicq. a. 1842 et præcipue Schmid op. cit. qui hanc quæstionem copiose et docte pertractat.

§ 1. *Quænam personæ in Scripturis loquentes divinam habeant auctoritatem.*

Extra omne dubium est, verba aliorum in sacris libris relata divina gaudere auctoritate infallibilique certitudine, quoties loquens inducitur vel ipse Deus seu una ex tribus Personis sanctissimæ Trinitatis, vel creatura aliqua rationalis sive angelus sive homo ex divino impulsu loquens, qua legatus aut præco Dei. Quapropter divina sunt et canonica juxta ac verba ipsius hagiographi, non modo oracula Christi Domini, sed etiam verba tum Angelorum (Dan. IX; Luc. I, 26), tum Prophetarum et Apostolorum ex divino impulsu loquentium, (III Reg. XVII, 1. Act. II, 14); necnon verba scriptorum inspiratorum, quæ ex aliis Scripturæ libris afferuntur, et tandem generatim eorum, qui sub afflatu vel instinctu Spiritus S. oracula edidisse leguntur. (Luc. I, 67-79). Juvat istis pauca declarationis instar subjicere.

Quod speciatim attinet ad Angelos, notum est ex S. Paulo (Heb. I, 14) eos omnes esse *administratorios spiritus in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* Quamobrem, ubi in Scripturis loquentes inducuntur, non suo sed Dei nomine et auctoritate tamquam ejus præcones verba faciunt, ac porro divina gaudent auctoritate (1). De

(1) Posset quis hic negotium facessere sollicitius rogitando, utrum cum omnimoda certitudine probari queat Angelos hominibus non loqui, nisi nomine et ex impulsu vel mandato Dei, numquam vero propria auctoritate, adeo ut quoties in Scripturis loquentes inducuntur, nonnisi verba Dei proferre sint dicendi. Non audemus quidem illud asseveranter pro omni casu adstruere, attamen arbitramur, nullum locum in S. litteris assignari posse, in quo Angeli certe proprio nomine verba fecerint. Cæterum notamus, quoad veritatem necnon auctoritatem dictorum illud non tantopere referre, siquidem revelatum sit Angelos mentiri non posse utpote infallibiles et in sanctitate confirmatos, adeoque hac saltem ratione nobis constaret verba illa in se esse verissima. Quamvis igitur quoad nos veritas dictorum non immediate niteretur auctoritate divina, saltem indirecte ea fulcirentur, scilicet mediante veritate illa revelata, ac proin credenda forent fide mediate divina perinde ac facta dogmatica.

prophetis autem loquentes innuimus sedulo esse attendendum, utrum necne ex munere suo et qua a Spiritu S. moti seu qua Dei legati locuti allegentur. Scitum namque est, nominatim prophetas non perpetuo et indesinenter fuisse ad loquendum inspiratos, adeoque eos etiam loqui potuisse ceu meros et privatos homines. Hoc posito, quid prohibet quominus hagiographus data occasione in suis scriptis etiam verba eorum, sicut aliorum profanorum, mere humana adduxerit? Notissimum est exemplum Nathanis prophetæ (II Reg. VII), qui privato spiritu regi David nuntiavit ea, quæ divina non erant et quæ postea a Domino fuerunt correcta. Idem porro dicendum de scriptoribus sacris, qui citra charisma inspirationis potuerunt loqui ea, quæ mere humana erant humanaque imperfectione non priva. Porro nil obstat, quominus sive iidem sive alii postea sub charismate inspirationis scribentes, ea verba historice retulerint. Illud de facto accidisse videmus in Exod. IV, 10 seqq. et in Jona IV, 3, 4, tum in pluribus locis librorum Regum, in quibus verba Davidis memorantur. Pari modo Apostoli ante adventum Spiritus S. plura dixisse leguntur, quæ, licet historice relata in Scripturis, divina certe auctoritate per se destituuntur, uti apud Math. XVI, 22, 23, ubi Christus verba Petri vehementer improbat. Itaque tunc solum Prophetarum et Apostolorum dictis Scripturæ insertis divina auctoritas certo inest, ubi qua a Deo inspirati seu ex munere suo locuti perhibentur.

Deinde subjunximus eos, qui testante Scriptura ex speciali motione vel instinctu Spiritus S. verba fecerunt, quales sunt Balaam (Num. XXIII et XXIV), Zacharias, pater Joannis Baptistæ (Luc. I, 68-79), tum etiam Caïphas (Joan. XI, 49), forte etiam Stephanus (Act. VII). Illi enim diserte dicuntur prophetasse vel ex afflatu Spiritus S. verba protulisse. Nihilominus plures notant fieri posse in casu particulari, ut Scriptura innuat se alicui Spiritum propheticum adscribere quoad sermonem ejus tantum in complexu spectatum, non vero quoad singula sensa. Equidem potius cum aliis monuerim, in casu dubii sedulo esse perspiciendum,

utrum revera agatur de gratia prophetica, an vero non verisimilius aliquando de alia gratia sive gratum faciente sive gratis data. Illud monitum potissimum subjungo propter difficultates certe haud spernendas, quæ occurrunt in oratione S. Stephani, cui tamen a S. Luca hæc laus decernitur, quod fuerit plenus Spiritu Sancto (Act. VII, 55) (1).

Postremo verbis aliorum divinam auctoritatem habentibus accensendi sunt sermones illorum, qui quidem alias prophetæ proprie dicti non erant, nec prophetasse explicite in Scriptura dicuntur, nihilominus ita asseveranter et determinate de futuris loquuntur, ut spiritu prophetico eos fuisse

(1) Ut quid sentiam de hac re, breviter aperiam, mihi videntur solutiones, quæ a non paucis interpretibus suppeditantur, ut solvant antilogias inter hanc orationem (v. v. 14, 16) et narrationem libri Geneseos, utut quidem sufficientes, attamen sat longe quæsitæ et non satis obviæ; quod, puto, nemo diffitebitur. Quare non desunt qui cum optimis theologis, uti Ven. Beda (in h. l.), Melch. Cano (o. c. lib. II, c. 18 in fine), Mariana (dissert. pro edit. vulg. c. VI, ap. Menochium), P. Patritio (Comment. p. 8), illud ipsum in quæstionem vocant, utrum concordia ineunda sit, id est, utrum admitti non possit S Stephanum in materia levi errasse, ponendo, ex. gr. numerum *septuaginta quinque* loco *septuaginta* (v. 14 coll. Gen. XLVI, 27). Opinantur nempe illi verba S. Lucæ, quibus testatur Stephanum fuisse plenum Spiritu S., « ad summam tantummodo rerum (sunt verba Patritii) et materiei spectare, adque illa, quæ totius orationis aut sermonis argumentum et caput, quæque ipsum loquentis consilium ac propositum attingunt, non autem ad ea singula, quæ rei amplificandæ ornandæque gratia addita sunt. » De hac interpretatione verborum Actorum sapientioribus judicium relinquo. Ast illa omissa, mihi haud spernenda videtur alia intelligentia horum verborum, quæ potius nodum secat quam solvit, cuique favet commentarius Beelen ad h. l. Actorum, (qui tamen concordiam inire tentat juxta communiorem modum) : scilicet juxta illam verba Lucæ : *quum autem esset plenus Spiritu Sancto*, non referuntur ad præcedentia, nec intelliguntur de Spiritu prophetico ad loquendum, sed de plenitudine gratiæ, qua Stephanus confortabatur, ut coram inimicis, furentium more dentibus in eum stridentibus, sanguinaria istorum rabie nihil commotus, placide cœlum versus oculos tenderet, pro illis precans. Illa phrasis daret igitur rationem eorum quæ sequuntur; et huc bene quadrat latina propositio causalis per voculam *quum*. S. Cyrill. Hieros., in nota ap. Beelen, explicat illam plenitudinem Spiritus S. de virtute addita intellectui Stephani ad videndam gloriam Dei.

afflatos, dum illa vaticinarentur, in dubium vocari nequeat. Tales sunt prophetia seu benedictiones Jacob Patriarchæ (Gen. XLIX), prophetia Tobiæ senioris (XIV), Simeonis (Luc. II, 29 seqq. et 34, 35).

Huc pariter referendos putamus nonnullos etiam prolixiores sermones, puta hymnos et cantica, qualia sunt populi Israël post transitum maris rubri (Exod. XV), Annæ, matris Samuelis (I Reg. II), Judith (XVI), Esther (XIV); tum etiam preces vel verba, quæ merito videntur ex peculiari quodam affectu planeque divino fusa vel prolata : talia sunt orationes Tobiæ (III, VIII), verba matris et filiorum Machabæorum (II Mach. VII). Quamvis enim illis verbis divinam auctoritatem inesse *ex sola eorum origine* simpliciter probari forte nequeat, aliunde tamen sive ex modo quo proferuntur, sive ex sensibus plane divinis, quos redolent, sive ex sermonis circumstantiis, sive ex modo quo a sacris scriptoribus referuntur, eodem nempe prorsus, quo alia Scripturarum verba referre solent, vehementissime suademur, ut admittamus ista verba sub lumine divino prolata fuisse. Huic porro assertioni pondus non modicum adjicitur ex auctoritate Ecclesiæ sanctorumque Patrum, qui illos hymnos orationesque frequenter adhibent ad instar Scripturæ divinam auctoritatem habentis (1). Hac ratione Ecclesia in sua

(1) Quod dicimus de laudatis verbis matris et filiorum Machabæorum, in quibus adstruuntur plura fidei dogmata, uti animæ immortalitas, carnis resurrectio, omnium rerum creatio ex nihilo, vix ullibi in Scripturis disertius enuntiata, speciale pondus inde nanciscitur, quod plures filii impio Antiocho manifeste prædixerint divinam de ipso ultionem, ejusque mortem turpissimam non obscure indigitaverint. Ex eo enim non absque probabilitate conjicere licet eos speciali saltem luce fuisse illustratos. Et quod nominatim spectat matrem, illa, testante sacro scriptore, (v. 21) « *repleta sapientia* » filios alloquebatur; quod, ni divinam inspirationem significet, divinam saltem approbationem demonstrat. Apposite etiam circa hæc verba notat Schmid (o. c. n. 146), non solum auctoritatem istorum verborum quamplurimum augeri ex eo, quod in talibus circumstantiis, scilicet in ipso veluti momento martyrii pro fidei veritate obeundi, ea prolata fuerint, sed etiam has circumstantias externas admodum juvare, ut tuto statuatur hujusmodi sermones saltem ab hagiographo, qui eos refert, perfecte et quoad omnia probari.

liturgia absque ullo indicio discriminis in dignitate usurpat plura cantica juxta ac Psalmos aliasve Scripturæ partes. Similiter SS. Patres sæpe adhibent talia dicta ceu divina, sic v. gr. SS. Cyprianus, Clemens Rom., Calistus I adhibent adinstar Scripturæ pulcherrima verba Tobiæ (c. IV); S. Cyprianus, verba Mathatiæ (I Mach. II, 62); S. Bernardus, verba Samuelis (I Reg. XV, 22 23).

Quod attinet ad B. M. V., quam sine labe conceptam, gratia plenam, peculiari Spiritus S. inhabitatione omnibusque donis naturalibus ac supernaturalibus auctam, super omnes angelos et sanctos sanctitate elevatam ex divina revelatione novimus ac veneramur, necnon cum Ecclesia reginam Prophetarum salutamus, dubitari non potest eam canticum suum *Magnificat* (Luc. I, 46 seqq.) ex speciali Spiritus S. inspiratione eructasse.

§ 2. *De sermonibus aliorum divinitus approbatis.*

A nemine ambigitur fieri posse, ut verbis seu sermonibus, licet ab homine profano vel saltem non inspirato proprio marte prolatis, si tamen objective in se vera et honesta sint, per divinam approbationem seu ratihabitionem dignitas canonica seu divina auctoritas accedat. Illud autem fit, quoties Deus alterius sententias alicui scriptori inspirato transcribendas dictat, non solum mere historice et narrative, sed approbative tamquam in se veras. Hoc autem casu divina probatio vel argumentum est divinæ auctoritatis, quæ verbis illis jam inerat, quum in Bibliorum paginas relata ea sunt, vel causa, qua hæc auctoritas illis concilietur. Quoad ea igitur, quæ a suis auctoribus prolata non fuerunt ex divino instinctu, vel an fuerint non constat, inquirendum est, an Deo illa probante fuerint scripto excepta inque Bibliorum paginis posita : quod ubi constiterit, divina et canonica auctoritas eis inest.

Age jam divina hæc probatio potest esse vel *explicita* vel *implicita* 1° *Explicite* divina probatione communiuntur aliorum sermones, quoties sive a Deo sive a Christo Domino sive a

scriptore theopneusto tamquam vera vel Deo digna approbantur. Variis rursus modis hæc explicita probatio aliorum verbis accedere potest, qui ut declarentur, sufficiat recurrere ad quædam exempla. Imprimis *a) expressis verbis* probantur orationes viri Job, cui, ait Augustinus « singulare quodammodo testimonium perhibetur (a Scriptura), quod non peccaverit labiis suis ante Dominum. » Idem obtinet quoad verba Simonis Pharisæi (Luc. VII, 43) asserentis ex duobus debitoribus, quibus debitum fuerat donatum, eum plus diligere, cui plus fuerat donatum, ad quod respondet Christus ipsum recte judicasse. Hoc testimonium indirecte etiam valet, negative scilicet, quando est improbativum sermonum aliorum. Tunc enim, quando illa improbatio æquipollet notæ falsitatis, divina auctoritate constat contradictorium esse verum. *b*) Aliud disertæ approbationis signum nobis suggerit Anonymus Mechlin. (1). « In hac multum intricata, ait ipse, parumque hactenus examinata quæstione censeo, illa hominum dicta esse verbum Dei, quæ uno quidem loco Scriptura simpliciter refert hunc vel illum protulisse, alibi tamen in Scriptura citantur sub formula *scriptum est* vel æquivalenti. » Modi hujus specimen luculentissimum habes in verbis Eliphæ amici Job (cap. V, 13), quæ non quidem a Deo ipsi inspirata fuisse videntur, quippe qui ea protulit cum suspicione de injustitia Job, nihilominus ab auctore libri Job sub afflatu Spiritus S. « qui novit sapienter dicta discernere », cum approbatione scripta fuerunt (2). Ratio nostræ assertionis est, quod S. Paulus (I Cor. III, 19) ea adducit sub formula *scriptum est*, et quidem tamquam argumentum ad intentum suum probandum. Denique

(1) *Introd. in libros Sacros V. et N. Test.* ap. Hanicq. 1842.

(2) S. Augustinus, postquam l. c. notaverat, in libro Job esse attendendum quid et a quo dicatur, ita prosequitur : « Quod non ideo dixerim, quia illi amici a Domino reprobati, et ab ipso sancto Dei servo merito culpati, nihil veri loqui potuerunt : sed quia non omnia quæ locuti sunt, vera putanda sunt. Quamvis enim adversum Job nihil verum dixerunt, potest etiam ex eorum verbis aliquam sanam sententiam in testimonium veritatis assumere, qui novit sapienter dicta discernere. »

c) aliud probationis divinæ criterium habetur, quando ipse sacer scriptor verba aliorum hominum etiam profanorum vera esse testatur. Et ita quidem mihi videntur nonnulla privatorum etiam paganorum dicta in Scripturas adducta divinam auctoritatem esse nacta. S. Paulus ex. gr. in epistola ad Titum (I, 12) citat illud effatum Epimenidis : « Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. » Jam autem tum ex disertis verbis tum ex orationis contextu apparet illud judicium ceu verum probari. Et re quidem vera, si consideratur ductus sermonis, comperimus Apostolum in primo hujus epistolæ capite monere Titum, ut in electione et constitutione Presbyterorum per civitates sollicite præ oculis habeat qualitates ad istud officium prærequisitas. Incunctanter autem subdit illam circumspectionem præcipue necessariam esse in insula Creta ejus gubernationi commissa, eo quod Cretenses generatim sumpti, utpote vitiis dediti, longe alieni essent a christiana ratione vivendi. Hoc assertum probat testimonio Epimenidis, quod, nisi verum putaret saltem in eo sensu quo ipse illud applicat, inutiliter afferret. Cæterum ipse S. Paulus ex divino impulsu illud diserte ratum habet, inquiens : « Testimonium hoc verum est », ex quo liquet, non mere narrative hunc versiculum adduci, sed sententiam in ea affirmatam probari ac proin divina auctoritate communiri. Licet igitur hic versiculus fuerit solum humanitus conscriptus ab Epimenide, tamen prout hic in libro sacro consignatus fuit divinitus a S. Paulo, est Scriptura Sacra tum ratione scriptionis tum ratione veritatis enuntiatæ, quatenus ejus applicatio fuit inspirata.

2° *Implicite* vero divinitus adprobari censentur verba aliorum, quoties ex factis vel ex relationis modo illud desumi potest. Interdum namque ita aliorum sermones allegantur, ut vel ex orationis contextu ea rata haberi pateat, uti quando in confirmationem alicujus doctrinæ citantur, vel ea ratione adducuntur, qua, nisi rata haberentur, evidenter incassum allegarentur. Huc pertinet illa interpretatio, quam scribæ et pharisæi in suo responso ad

Magos scissitantes de loco Nativitatis Messiæ (Math. II, 5) dederunt verborum Michææ V, 2. Quamvis enim illam enarrationem Judæorum non explicite laudet Evangelista, ea ratione tamen eam affert, ut appareat eam sibi summopere probari. Huc merito plures referunt nonnullos etiam prolixiores aliorum sermones, orationes, sententias, qui ab aliis prolati a Bibliorum scriptoribus referuntur, et in quibus nil deprehenditur a veritate, pietate ac honestate dissonum, quatenus scilicet ex modo quo adducuntur non immerito conjecturaveris eas a Scripturarum auctore tametsi non explicite probari (1).

Econtra certum criterium suppetit ostendens aliorum verba non fuisse cum approbatione adducta, quoties illi sermones turpe aliquod, aut impium, aut a veritate abhorrens exhibent. Talia enim dicta profecto Spiritus S. non dictavit transcribenda, ut ea probaret, sed magis ut ea refelleret ac improbaret. Hisce tamen non indiscriminatim accensenda sunt quæcumque impiorum dicta, quando in se non sunt manifeste impia vel falsa, cum, ut vidimus, et per homines perversos locutus sit interdum Deus, sicut patet in Caïpha et Balaam, quorum verba, utpote Dei impulsu et suggestu prolata, verum habent sensum a Deo intentum, et secundum hunc sensum sunt formaliter ejus verbum.

Scholion. Quoniam in Scripturis impense sæpe laudantur personæ, quarum nihilominus actiones nonnullæ merito improbantur, imo quarum verba hic illic a mendacio aliove nævo nullatenus aut vix saltem excusari valent, ideo attente semper consideretur necesse est, quonam sensu quave extensione non solum actiones, sed etiam, quod huc propius spectat, aliorum sermones in sacris litteris commendentur vel laude celebrentur. Scilicet sedulo inquiratur, utrum illa approbatio non sit solum generalis, vel relativa ad res præcipuas pertinens, non autem absoluta singula quæque attingens; vel etiam utrum ad ipsa verba, quæ quis elocutus est, sese protendat, an non potius solummodo ad intentionem

(1) Vide Patritium, Lamy, Anon. Mechl.; cfr. Schmid, n. 148 seqq.

quam in loquendo habuit. Ut vero, quod de factis diximus, non immerito nos monuisse pateat, satis superque erit memorasse, quæ narrantur de patriarcha Jacob (Gen. XXVII), de obstetricibus Hebræorum in Ægypto (Exod. I, 15-21), de Judith (capp. X et XI), de Jehu, rege Israël (IV Reg. X). Quamvis enim illi viri summis celebrentur laudibus in sacris libris, vix tamen ægerrime aut nullo modo excusari queunt ab omni nævo, quæ de iis in sacris litteris leguntur (1). Hæc laus itaque pertinere non videtur ad minutissima quælibet facta, sed ad præcipua et ea quæ graviora sunt, vel, quod equidem censeo, sæpe etiam ad ipsam agentis intentionem seu finem quem intendit, nonvero ad media quævis, quæ ad eum assequendum usurpavit. Quæ vero diximus de verbis, exemplis eisdem confirmantur, quia ibidem laus viris istis præcipue decernitur ob verba, quæ fuerint locuti. Præterea, quod diximus de approbatione, valet quoque de improbatione : scilicet singula quæque alicujus verba non sunt censenda falsa, mendosa vel inhonesta, propterea quod a Domino in genere carpuntur. Hujus rei exemplum supra adduximus ex verbis Eliphæ, de quo Dominus dixerat, ipsum non fuisse recte locutum (Job XLII, 7) et cujus nihilominus sententia (V, 13) a S. Paulo ceu Scriptura Sacra assumitur.

Coroll. 1. Præpostere quis confunderet subsequentem inspirationem (sit venia verbo), cum subsequenti divina approbatione. Illam impossibilem et in se repugnantem ostendimus, hanc autem possibilem nemo umquam negavit. Quocirca notetur aliorum verba et sententias in se profanas, quæ postea a Deo probantur, si considerentur formaliter prout a mero homine in principio sive ore sive scripto profecta sunt, in se manere humanitus edita neque umquam

(1) Ad rem scribit S. Aug. : « Constat, quod non omnia quæ a sanctis vel justis viris legimus (in Scriptura) facta, transferre debemus ad mores » et iterum : « Illic sunt plurima eorum quoque hominum, qui litterarum illarum veritate laudati sunt, vel huic jam tempori non convenientia vel etiam illo tempore non recte facta. » Ep. 204 (al. 61) ad Dulcit. et contra Mendac. ad Consent. cap. 9.

posse fieri divinitus inspirata. Verum quando in libro inspirato non referendo solum aut citando, sed affirmando illæ sententiæ a Deo perscribendæ dictantur, fiunt seu sunt divinæ, divinitus inspiratæ et formaliter Scriptura Sacra, prout nunc in libro sacro consignatæ reperiuntur. Sunt ergo et manent duplici modo scriptæ : semel humanitus et semel divinitus. Quare patroni sententiæ de approbatione subsequenti frustra ad ejusmodi Scripturarum loca provocant.

Coroll. II. Ex dictis etiam colligitur ingens esse discrimen inter effectus inspiratæ scriptionis, prout ea pro objecto habet vel aliquod *factum*, vel *aliquam legem*, vel *doctrinam quamdam seu sententiam*. *Factum* ab homine positum, quod sub divina inspiratione narratur, manet in se mere humanum. Non enim gesta relata ideo sunt divina a parte principii efficientis, quod Deus eorum veritatem historicam sit attestatus, sed solum quod ab ipso efficienter prodierint. Jamvero facta quæ in Scripturis narrantur, præexistunt eorumque efficiens principium nec mutatur nec mutari potest. Ex eo autem, quod a Deo probentur, solum sequitur ea fuisse ethice honesta, ac proin nostræ imitationi proposita. Item, *præceptum* humanum, quod inspirante Deo hagiographus in sacris paginis suo nomine condit et promulgat, vim obligandi habere potest auctoritati præcipientis subjectam. Auctoritas enim, quæ legi propria est, ab eo in eam dimanat, qui eam *suo nomine* imponit et sancit, atque ab eodem ipsa lex denominationem accipit. Cum tamen ille divinus impulsus, quo scriptorem movet Deus ad aliquod præceptum seu mandatum suo nomine imponendum, efficiat ut hoc præceptum seu mandatum sit divinitus inspiratum, eo ipso involvit necessario testimonium infallibile de legis æquitate, præstantia et opportunitate. Tandem *doctrina aliqua vel sententia*, quæ assertive scribenda divinitus dictatur, est propriissimo sensu divina. Cum enim veritas alicujus sententiæ in hoc consistat, quod conceptus per verba expressus, rebus objective spectatis sit conformis, veritas aliqua merito dicitur divina, quando Deus hanc conformitatem affirmavit vel testatus est. Ubi igitur Deus, qui nec falli nec fallere potest,

aliquam sententiam suo nomine scribendam inspirat, affirmat ejus cum objecto conformitatem ac proin ipsa hæc sententia est divina. Pariter si Deus sententiam ab aliis prolatam inspiret scribendam ut veram, eo ipso ejus conformitatem cum suo objecto testatur, et hoc sensu sententia illa jam potest dici et est veritas divina.

Corollarium III. Ex iis, quæ hoc capite delibavimus, perspicuum est ex inspirata scriptione non necessario sequi, quod nonnulli inspirationis restrictæ patroni, de quibus in seq. Sect. agemus, putare videntur, ut nempe singulæ propositiones Scripturarum enuntiari queant, præmissa hac formula : *hæc dicit Dominus*. Quoties enim hagiographi ex divino impulsu propria sua sensa communicant, vel suo nomine leges aut præcepta particularia scripto imponunt, vel aliorum verba dumtaxat referunt, nonnisi abusive laudata formula in sensu consueto adhiberetur, quo non impulsum solum ad scribendum, sed formalem expressionem personalium affectuum, vel propriæ auctoritatis usum circa dictorum objecta, vel propriorum sensuum relationem denotat.

SECTIO QUARTA.

De Extensione Inspirationis in sacris libris.

PRÆAMBULA.

Quæ in præcedenti explanavimus sectione, eo spectabant, ut pro viribus hujus psycologicæ operationis Dei conceptum et naturam, necnon quæ ex ea consectaria fluunt, tam pro homine inspirato, quam pro sententiis seu libris inspiratis in apricum poneremus. Verum parum ista conducerent ad dignitatem Bibliorum accurate cognoscendam, nisi etiam nosceremus quousque in nostris Scripturarum libris, hic Spiritus S. influxus sese protendat (1). Etenim, ut in antegressis indicavimus, ubi notionem libri enucleandam habebamus, non omnia quæ in aliquo libro continentur, necessario eadem ratione sunt auctori vindicanda. Sane præter sententias, quæ præcipuam alicujus scripti partem constituunt, adsunt in eo etiam signa seu ipsa materialia verba, quibus sententiæ exprimuntur, necnon ipse stylus seu structura et ornatus phrasium, secundum quem viri artis litterariæ periti librum, v. gr., sublimem a simplici seu humili distinguunt. Porro ex instituta analysi formulæ *auctoris libri* generatim ibidem deduximus, alicujus libri auctori, qui non immediate per se tamquam *causa principalis unica* scriptum exarat, illud omne necessario tribuendum

(1) Nos haud latet a nonnullis sub hoc titulo : *De extensione inspirationis*, agitari quæstionem, quæ communius indicatur : *De canone librorum sacrorum*. Ast monitus jam est lector, nobis propositum non esse doctrinam Ecclesiæ circa numerum librorum sacrorum hic vindicare. Generatim solum loquimur de Scripturis quas habemus, de earum exacto numero plerumque haud solliciti.

esse, quod diximus ad partem formalem libri pertinere, scilicet ea, quæ auctor præ scopo suo *per se* intendit, utpote constituentia librum talem, qualem ipse scribi voluit. Quamobrem considerandum diximus, quisnam fuerit finis a Deo intentus in sacrorum librorum confectione, ut exinde desumi valeat, quænam partem eorum formalem constituant; quo cognito, inferre jam licere, quænam a Deo inspirante specialiter suppeditata ac determinata, quænam vero propriæ scriptoris amanuensis industriæ relicta fuerint. Quum autem generatim ipsa materialia verba ab auctore libri in individuo non ita intendantur, ut non etiam præ scopo intento aliis sensa exprimi queant, et præterea argumenta positiva haud deesse prævideremus, quæ suadent Deum verba in atomo sumpta non suppeditasse, idcirco ad naturam seu conceptum inspirationis enucleandum potissimum investigare sategimus, quomodo ipsa sensa scriptori Spiritus S. subministraverit.

Verum plures, maxime paulo antiquiores, a nobis hac in re dissentiunt, imo sæculo decimo sexto quamplurimi theologi Scripturarumque interpretes inspirationem, ut dicunt, verbalem tuebantur, docebantque præveniente Dei actione non solum sensa scribenda, sed etiam ipsa materialia verba in atomo sumpta hagiographis fuisse suggesta. Horum itaque judicio inspiratio active seu a parte Dei spectata similis pene fuerit actioni, qua magister discipulo de verbo ad verbum scribenda dictat. Ast hæc sententia, quæ profecto rigidissimum inspirationis conceptum propugnat, ab aliquo jam tempore explosa est et a paucissimis hodie ita absolute adhucdum defenditur (1). Quare erunt, qui intelligere vix

(1) Dico *a paucissimis* : in eo nempe eram ut dicerem : *a nemine quod sciam*, quum ad manus devenit dissertatio P. Fr. Pedro Fernandez, ord. S. Aug., quæ publica luce fruitur in op. period. *Revista Agustiniana* a. 1884, vol. VII, p. 343 et vol. VIII, pp. 19; 123; 211, in qua laudatus auctor non absque acrimonia, sed haud admodum solide inspirationem verbalem stricto sensu acceptam adversus nostræ sententiæ « causidicos » tueri pertentat. Inter secum « traditionis catenam tenentes et longius protrahentes » citat Puig et Xarrie, ac etiam testatur « campum Augustinia-

queant, qua de causa nos hanc quæstionem pene obsoletam rursus refricare velimus. Nihilominus fas non esse opinamur in hac tractatione speciali de Bibliorum inspiratione eam omittere quæstionem, quam veteres tam studiose et fere unicam in hac re pertractarunt. Præterea, siquidem non pauci viri doctissimi illi opinioni calculum adjecere, eidemque reipsa nonnulla Patrum effata prima fronte patrocinari queunt videri, non abs re erit data opera ostendere istam sententiam, licet impossibilis aut absurda minime dici valeat, pro se sufficientia non habere momenta, imo nonnulla videri eam penitus excludere, adeo ut absque temeritate a theologis nunc communiter derelinquatur.

Quemadmodum autem in omnibus pene dogmatibus accidisse ex historia novimus, ut nimirum, nunc per excessum, nunc per defectum in eis erratum fuerit a viris ad dogmatis conceptum ecclesiasticum non satis attendentibus, et illum ad sua præconcepta placita trahere conantibus, ita et in doctrina de Bibliorum inspiratione contigisse cernimus. Nostris enim diebus nonnulli novam plane in Ecclesia theoriam circa inspirationis extensionem proponunt. Videlicet docent illi non omnia ac singula sensa in Scripturis consignata dicenda esse inspirata, neque Deo auctori esse adscribenda. Fieri igitur posse, ut plures contineantur in Bibliis sententiæ humana solum auctoritate pollentes, vel etiam prorsus erroneæ, quas scriptor sacer suis viribus relictus, non quidem ex intentione fallendi, sed ex ignorantia, præjudicatis opinionibus, communique sui ævi errore litteris mandavit. Tales porro sententias alii plures, alii

norum fere in integrum verbali studere inspirationi. » Attamen fatetur suam opinionem « nostris diebus minorem auctorum numerum reportare. » Argumenta quæ in suæ opinionis fulcimentum affert vir eruditus quæque potissimum ex Patrum petuntur dictis, pene omnia vi solida probandi sunt priva. E contra pauca illa « absurda » ut vocitat, quibus nostram sententiam refutare conatur, eo solum vergunt, ut eam obtrectationibus in invidiam adducat. Præcipua solum in textu afferemus. Vide hæc ad nihilum pene redacta ab ex. D. Schmid, in op. *Zeitschrift für kathol. Theologie*, IX, B. 1885. S. 670 : *Die neuesten Controversen über die Inspiration.*

pauciores admittunt, prout infra latius declarabimus. Quid vero de hac sententia dicendum sit, hic investigandi locum esse nemo non videt (1).

Inter duas illas sententias media via cum omnibus fere theologis incedendum putamus. At hæc ipsa via media sua diverticula suasque incertitudines habet, quum, admissa inspiratione omnium rerum ac sententiarum, verborum vero universim rejecta, adhuc alii atque alii excogitari possint inspirationis limites, prout quis magis ad inspirationem verbalem accedit vel ab ea recedit. Itaque primum sententiam de inspiratione verbali refutare satagemus; deinde probaturi, singula sensa in Scripturis consignata Deo inspiranti esse adscribenda, ac proin esse verbum Dei scriptum. Hæc porro duobus capitibus absolvemus. Quo autem pressius inspirationis limites pro posse definiamus, eas in prioris præsertim capitis decursu enodabimus quæstiones, quæ eo conducere videntur.

Quo autem omnis ambiguitas vitetur, unum adhuc notasse juvat, nos in habenda hac tractatione sicut in antegressis, considerare Scripturas secundum sua archetypa exemplaria, hoc est, in autographis. Idcirco quod de istis affirmamus, non illico ad exemplaria transcripta seu apographa sive translata seu versiones, prout ea nunc præ manibus habemus, stricte et ad amussim sunt applicanda. Neminem enim latet tam in exemplaribus originariæ linguæ quam in versionibus nostris sive latinis sive græcis hic illic irrepsisse menda ex interpretum incuria vel libellionum perversitate, ignorantia aut inadvertentia. Porro evidens est neque patronos sententiæ verbalis illa verba mendose posita ceu inspirata habere, neque nos, sententias, quæ in prototypis

(1) Hæc opinio rejici a nobis potuisset in sectione II[a], ast opportunius visum est novam hanc theoriam ob ingens suum momentum ac, si ita loqui fas est, ob suam actualitatem, hic speciatim et magis ex professo examini subjicere. Præterea hic agitatur quæstio inter catholicos, dum inibi contra rationalistas inspirationis dogma generatim solum demonstravimus. Eam porro disputationem huc rejecimus, ut, cognita natura inspirationis, jam in antecessum plura adversariorum objecta elevata essent.

originalibus non inveniuntur, Deo auctori adscribere. Quando igitur statuimus Biblia quoad omnia et singula sensa divinitus inspirata esse, assertum illud de archetypis exemplaribus intelligatur, applicandum nihilominus etiam versionibus, iis tamen locis exceptis, in quibus quoad sensum ab autographis dissentiunt (1).

CAPUT I.

DE INSPIRATIONE VERBALI.

ART. I. SYNOPSIS HISTORICA ET EXPOSITIO HUJUS SENTENTIÆ.

In hoc capite potissimum respicimus hanc sententiam prout a theologis catholicis propugnata fuit. Quis namque animum habebit serio illas refellendi ineptias nugasque Judæorum, qui sic dictam cabbalisticam interpretationem sectantes, non modo singulas Bibliorum voces minimosque apices Deo suggerenti tribuebant, sed et in singulis litteris, punctis apicibusque quæcumque mysteria recondita arbitrarie rimabantur, quin et distortos calami ductus in suis codicibus ceu divinos venerabantur (2)? Neque etiam persequi hic intendimus Pseudoreformatores, quos, ut mirari non subit, hæc sententia propugnatores habuit, utpote qui, spreta divina Traditione, plenis buccis Biblia crepuerunt nullisque laudibus pepercerunt, ut cum detrimento Traditionis divinæ, Scripturarum dignitatem ac, ut ita dicam, divinitatem extollerent (3). Ab hisce ineptiis alieni fuere

(1) Scitum est theologos ex decretis Tridentinis *de canonicis Scripturis et de editione et usu sacrorum librorum* communiter conficere versionem vulgatam fuisse declaratam authenticam eo gradu et eo sensu, quod in ejus textibus ad fidem vel morum regulam *per se* pertinentibus verbum Dei originale secundum substantiam dogmatis sincere exhibeatur. Cfr. Em. Franz. th. XIX. Idem communiter sentiendum docent de aliis versionibus quæ et prout longo sæculorum usu in ipsa Ecclesia probatæ fuerint.

(2) Quid rei cabbala sit ediscere poteris ab Ubaldi vol. III, p. II, sect. III, cap. I; Glassius eam lepide nuncupavit *spuriam*, *impuram*, *anilem* et *febriculosam*. Philolog. sacr. S. II, p. I, sect. 3, art. 7. (3) In calvinistica

catholici theologi. Sententia enim, quæ sæculo XVI in scholis prævalebat, dumtaxat eam inspirationem seu divinam determinationem vindicabat Scripturarum verbis seu vocabulis, quam nos requirimus pro rebus et sententiis. Huic porro inter alios adhæserunt Bannez (1), Gregorius de Valentia (2), Cassini (3), Rabaudy (4), Estius (5), De Vence (6), Billuart (7). Docebant igitur isti Spiritum S. scriptori theopneusto etiam singula verba suggessisse vel voce sensibiliter prolata, vel determinatarum vocum apprehensione in eorum mentibus producta. Evidens est in hac theoria non dari locum quæstioni de inspirationis limitibus, non magis quam si Deus absque intermedio homine librum exarasset. Quid Patres hac in re senserint, statim erit investigandum (8).

Hæc sententia nervosius impugnari cœpit a tempore, quo

formula *consensus Helvetici* a. 1676 definitur textus hebraicus θεοπνευστος « tum quoad consonas, tum quoad vocales, sive puncta ipsa, sive punctorum saltem potestatem. » — Hæc tamen sententia hodie etiam a pluribus protestantibus derelinquitur, etiam ab iis qui nondum plane ad oppositos rationalistarum errores deflexerunt, ut videre est ap. protest. Wilhelmum Schmidt. *Inspirationsfrage.* Gotha 1850, ubi refutat correligionarium Philippi, qui saltem specietenus eidem renuntiare detrectat.

(1) In 1ᵐ part. Sum. p. 1, art. 3 dub. 3. (2) *De obj. fidei* Puncto VII, quæst. VIII. De S. Scriptura (3) *Encyclopædia S. Script.* Proleg. disp. II. (4) *Opuscul. de S. Scriptura* sect. II, in thesauro Zachariæ vol. I in append. (5) Comment. in II, Tim. III, 16. (6) *Discours prélim.* IIᵉ partie n. XXI.

(7) *Tr. de reg. fidei* Dissert. I, art. II. Hæc sententia a nonnullis etiam adscribitur Suarezio ; at, licet in disp. V *de reg. fidei*, sect. III, n. 4, eam tueri videatur, nº tamen 5ª eam ita explicat, ut a nostra non discrepare liquidum sit.

(8) Controversiam hanc sæc. XVI nervose utrimque agitatam non omnino novam fuisse elucet ex epistola, quam sæculo IX. Agobardus, Episcopus Lugdunensis, adversus Fredegisum Abbatem scripsit. Hic nempe Agobardum impugnaverat, quod asseruisset sacros scriptores non semper secundum regulas grammaticas scripsisse, ipse vero contendebat solœcismos, si qui in Scriptura occurrerent, a Deo speciatim fuisse intentos ad mysterium aliquod significandum. Hisce autem respondet Agobardus : « Apparet etiam in verbis vestris, quod ita sentiatis de prophetis et Apostolis, ut non solum sensum prædicationis et modos, vel argumenta dictionum, Spiritus S. eis inspiraverit, sed ipsa corporalia verba extrinsecus in ora illorum ipse formaverit; quod si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis denumerare poterit »

controversia hæc excitata fuit occasione censuræ latæ a sacris Facultatibus theologicis Lovaniensi et Duacena contra tres propositiones Lessii et Hamelii de Sacra Scriptura, quarum prima negabat ad rationem Scripturæ S. requiri, ut omnia et singula verba sint a Spiritu S. inspirata. Ab eo enim tempore a theologis et interpretibus sacris utrimque acriter disceptatum est, adeo ut inspiratio verbalis ab illis doctis viris ceu præcipuum hujus dogmatis caput habita fuisse videri posset. Verum prævaluit brevi opinio, quæ inspirationem verborum generatim rejicit. Huic etiam nos calculum adjicimus, atque adserimus, libros sacros neque integros neque in considerabili aliqua sui parte etiam quoad singula verba a Spiritu S. exaratos fuisse. Enimvero momenta, quæ ad suam sententiam firmandam illi adducunt, nobis rem minime evincere videntur ; quod argumentum ex se negativum virtualiter æquivalet positivo, siquidem agitur de operatione Dei extraordinaria et in suo genere miraculosa, quæ adstruenda non est sine fundamento cogente. Verum suppetunt etiam argumenta formaliter positiva, quæ Scripturis hanc inspirationem abjudicandam probant vel testantur. Exponemus itaque primum argumenta adversariorum, quibus enodatis ac refutatis nostra paucis exponemus.

Notandum est nos in seq. art. hanc sententiam in toto rigore acceptam considerare, scilicet omnia et singula Scripturarum verba in Deum auctorem esse refundenda, nullatenus vero negamus nonnulla verba aliaque præter res et sententias Deum in individuo determinasse et scriptoribus inspirasse, ut infra latius explicabimus.

ART. II. REJICITUR SENTENTIA DE INSPIRATIONE VERBALI.

§ I. *Proponuntur et refutantur adversariorum argumenta.*

PUNCTUM I. ARGUMENTA ADVERSÆ SENTENTIÆ.

Argumenta, quibus adstrui solet verborum inspiratio, vel sunt rationes theologicæ, vel desumuntur directe ex ipsis sacris litteris vel ex Patrum testimoniis.

I. *Rationes theologicæ.* 1° Ni Deus præter sensa scripto consignanda etiam verba, quibus illa exprimantur, in individuo determinet, sacræ litteræ *verbum Dei* nullatenus dici queunt, sed dumtaxat *sensa Dei verbis humanis expressa.* Etenim phrasis *verbum alicujus* indicat relationem originis ab eo, cujus verbum esse dicitur; ab eo autem proprie est, a quo procedit ut dicente et ope ejus mentem suam patefaciente. Si igitur Spiritus S. verba Scripturæ in individuo non determinaverit, denominatio *verbi Dei* Bibliis proprie non convenit. Multo vero minus *verbum Dei scriptum* in sensu formali dici possunt. Sicut enim verbum vocale ejus proprie est, qui illud vocaliter et articulatim effert, ita verbum scriptum illi solum tribuitur, qui scripto dicit, hoc est, qui vocibus a se immediate scripto exaratis vel amanuensi ad scribendum singillatim dictatis propriam suam mentem exprimit. Itaque ut Scriptura proprie et formaliter dici queat *verbum Dei scriptum*, oportet ut a Deo hac ratione litteras efformante processerit. Præterea, si illud neges, discrimen omne tollis inter libros sacros et infallibiles Ecclesiæ definitiones, quippe quæ etiam verbum Dei objective et materialiter continent, sed quoad verba, quibus conflantur, ac generatim quoad totum externum orationis tenorem ab homine sub assistentia Spiritus S. scribente procedunt (1).

2° Præter formulam *verbi Dei scripti*, qua divina origo et dignitas Scripturarum significatur, alia a Conc. Trid., a Patribus et communiter a theologis usurpata ea est, qua Scripturæ a Deo *dictatæ* vocantur. Porro nil efflagitat, ut extenuemus vim hujus vocis, quæ scriptionem ope amanuensis, cui omnia ac singula in atomo suggeruntur, ex communi usu loquendi indigitat.

3° Qui divinam inspirationem ad ipsas res et sententias protendit, nisi illius notionem ad simplicem assistentiam reducat, admittat oportet etiam ipsa verba in Deum auctorem esse refundenda. Tanta enim notiones et ideas rerum

(1) Billuart l. c. et Fernandez l. c. sub. IV « Absurda ».

inter interque ipsa verba, quibus illæ enuntiantur, connexio ac necessitudo intercedit, ut, quamdiu anima nostra huic corpori est unita, dum de rebus cogitamus, simul menti obversentur signa, quibus usitato sermone illæ exprimantur. Nisi igitur gratis asseramus hanc verborum et rerum naturalem connexionem in mente sacrorum scriptorum divinitus fuisse sublatam, concedendum est Deum res ipsas illis inspirasse non a quibuslibet vocabulis abstractas, sed sub determinatis in individuo verbis eorumque determinata structura.

4° Ex Patrum et Ecclesiæ sensu sacro scriptori in Bibliorum confectione committitur solummodo *officium calami* et *meri amanuensis* sub dictatione Spiritus S.; hic nempe non solum principalis sed unicus eorum auctor perhibetur. Porro qui in operis alicujus scripti confectione cuncta verba collegit et ordinavit, aliud ab amanuensi nomen obtinere debet, scilicet *co-auctor* est appellandus, ne quæ duorum sunt uni attribuantur. Neque enim qui alicui operi externam formam præstat, eidem nil adlaborasse quisquam sanus contendet. Præterea in sententia inspirationis solum doctrinalis illud absurdum sequeretur, Biblia manere stricto sensu verbum Dei, etiamsi quis in sacris libris cuncta verba phrasesque mutaret veteribusque nova substitueret; quæ compendio dicta sunt, longo explicaret sermone, et quæ longiori, brevissimo comprehenderet. « Quis talem deglutiret absurditatem? Quis opus ex. gr. Ciceronis de *oratore* stylo scholasticorum traditum genuinum opus appellaret? Quis libros Augustini *de civitate Dei* methodo, quo conscripta est summa theologica D. Thomæ, vulgatos, opus Augustini censeret? » Qui vero regereret illud haud necessario sequi, quum non raro verba in atomo fuerint scriptoribus suggesta, puta quando prophetias vel mysteria scripto excipiebant, præterquam quod difficultatem in reliquis non effugiat, adversatur Decretis Trident. et Vatic. Concilii nullam inter ipsos libros vel capita librorum diversitatem amplecti permittentibus. Quinimo talis accederet ad sententiam Jahnii, catholicis

universis exosam, de distinctione inter libros protocanonicos et deuterocanonicos (1).

II. *In ipsis Scripturis* hagiographi non modo singula sensa, sed et ipsa materialia verba Deo in acceptis referunt. In Jeremia legimus hunc prophetam divina arcana suo amanuensi Baruch *quasi legendo* dictasse. En ejus verba : « Factum est verbum hoc ad Jeremiam a Domino, dicens : Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi... Vocavit autem Jeremias Baruch filium Neriæ; et scripsit Baruch ex ore Jeremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri... Et interrogaverunt eum dicentes : Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore ejus. Dixit autem eis Baruch : ex ore suo loquebatur *quasi legens* ad me omnes sermones istos : et ego scribebam in volumine atramento » (2). Idem innuit Psalmista : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis » (3). Quodsi porro theopneustos est calamus scribentis seu Spiritus S., etiam ab eodem verba accipit : calamus enim nulla verba scribit, nisi ad quæ movetur a scriba. Tandem in prophetis occurrunt passim locutiones, quæ nonnisi in sententia de inspiratione verbali intelligi possunt : *hæc dicit Dominus; factus est sermo Domini ad me, dicens; ego ero in ore tuo, Spiritus Domini locutus est per me et sermo ejus per linguam meam; ponam verba mea in ore ejus; ecce dedi verba mea in ore tuo,* et sexcenta alia.

Insuper Christus in Nov. Test. promittit Apostolis, ut, sublato omni studio, per eos ipse Spiritus S. rem et modum in loquendo absolveret. Rem namque a modo, veritatem ab ejus enuntiatione manifeste distinguit, ubi apud Math. X, 19, dicit : « Quum autem tradent vos, nolite cogitare *quomodo* aut *quid*, πως η τι (Luc. XII, 11 : *qualiter* aut *quid*) loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. » Porro si Apostolis ante tribunal productis promittuntur a Spiritu non solum defensionis argumenta, sed

(1) Fernandez l. c. (2) Jer. XXXVI, 1. 2. 4. 17. 18. (3) Ps. XLIV, 1.

etiam eorumdem elocutio et proponendi ratio, insanum esset hanc eamdem virtutem denegare hagiographis in opere majoris momenti, cui nempe attendere deberent cunctæ retro generationes.

III. *Ex sensu Traditionis.* Testimonia Patrum diserta huic sententiæ patrocinantur. Præcipua recensemus. Juxta S. Justinum sacris scriptoribus « nec verborum artificio opus fuit... sed puros seipsos divini Spiritus operationi præbere, ut divinum illud delapsum e cœlis plectrum... divinarum nobis et cœlestium rerum cognitionem recluderet » (1). Non minus explicita sunt verba Clem. Alex. : « ex quibus litteris et sacris syllabis compositas Scripturas Apostolus appellat divinitus inspiratas » (2). S. Chrysost. « ne syllabæ, quidem, inquit, prætereundæ, nam omnia sunt a Spiritu S. » (3). « Non enim temere vel fortuito loquitur Scriptura divina, sed et syllaba et apiculus unicus reconditum habet thesaurum » (4). Similiter S. Hieronymus « non adeo, ait, me hebetis fuisse cordis et tam crassæ rusticitatis,... ut aliquid de dominicis verbis aut corrigendum putaverim aut non divinitus inspiratum » (5). Idem alibi : « singuli sermones, syllabæ, apices, puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus, et spirant cœlestia sacramenta » (6). S. Augustinus docet non aliter legendum esse Evangelium « quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit » (7). Alibi improbat quod « verba quædam ex libro Deuteronomio, velut impura exhorrescens impurus exagitat, quasi Deus verecundari debuerit » (8). « Sanctus Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quam sint ineffabilia nomina divina, his etiam verbis (ira, zelus) uti voluit, quæ apud homines in vitio poni solent » (9).

(1) Cohort ad Græc. 48. (2) In Admonit. ad Gent. (3) In Gen. Hom. XV, § 1; coll. hom XXII, XLII. (4) Ib. hom. XVIII. (5) Ad Marcel. ep. 27 (al. 102), § I. (6) In cap. VI, Matth. et cap. VII. Ephes. (7) De Cons. Evangel. l. I, cap. 35. (8) Cont. Advers. legis et Prophetarum lib. I, c. 23 et 24

(9) Cont. Adimant c. 11. — Quod spectat verba quæ a pluribus Augus-

Verbo : firma est sententia Patrum libros sacros esse epistolas Dei ad nos missas, et vocem hagiographorum esse vocem et locutionem Dei. Ideo, quando Scripturas versant, minima quæque plurimi faciunt, in iisque interpretandis ne unam quidem voculam veluti otiosam prætermittunt, sive tamquam obscuram aut minus accuratam immutare audent. Illud nominatim affirmat Hieronymus (in Eph. III, 6) se accuratissime minima quæque ex textu græco vertere, posthabita etiam concinnitate latinæ phraseos.

Provocant postremo ad auctoritatem scholasticorum, qui, ut aiunt, unanimi consensu huic doctrinæ suffragati sunt usque ad tempora Lessii et Hamelii, « quibus novitatem inducere placuit » (1).

PUNCTUM II. REFUTANTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA.

I. Imprimis considerabimus *rationes theologicas*, quibus suam opinionem stabilire conantur, indeque occasionem sumemus nostram ipsorum doctrinam distinctius expoliendi. Itaque 1° quoad locutiones *verbum Dei* et *verbum Dei scriptum*, observandum ducimus, illud τὸ *verbum* non semper accipi in sensu *vocis* ore prolatæ aut scripto expressæ, verum sæpissime de aliorum *dictis* seu *veritatibus* sermone vel scriptione enuntiatis. Alienum illud non esse ab humano sermone, ex eo patet quod hoc sensu accipitur notissima illa distinctio inter *verbum Dei scriptum* et *verbum Dei traditum*, qua priori formula designamus ea, quæ a Deo accepta hagiographi litteris mandarunt, dum sub hac eæ veniunt veritates salutis, quas majores nostri a Christo et Apostolis non scripto, sed oretenus traditas accepere, ac per omnes ætates nobis trans-

tino tribuuntur « se nullius hominis libris tantum deferre, quantum divinis litteris; non ob veritatem quæ par est in utrisque, sed ob verba phrasimque dictantis, qui est Spiritus S. » ea saltem quoad ultimam partem penes Augustinum non inveniri omnes hodie fatentur. — Omittimus alia Patrum testimonia, quæ videre est apud Fernandez, et quorum plura evidenter rem nostram nequidem attingunt.

(1) Fernandez l. c. sub. III.

misere; nemo tamen credit, verba, quibus istæ nobis significantur, a Deo inspirata vel in individuo determinata fuisse. Et sane alicujus *verbum* vel *verba* referre recte dicimur, quoties sensa ab ipso sive oretenus prolata sive scriptis efficta adducimus, quantumvis aliis atque aliis vocabulis ea efferamus. Itaque nil mirum, sententias alicujus vel ab ipso vel per amanuensem litteris mandatas, quin et integrum librum, auctoris verbum dici, etiamsi ponamus eum solummodo sensa communicasse amanuensi, qui ea suo modo, sincere tamen, litteris exaravit. Ita quidem inficias ibit nemo, Christi aliorumque verba ab Evangelistis in suis scriptis rite afferri, licet aliis atque aliis vocabulis adhibitis eadem referant, quod nominatim quoad verba institutionis Eucharistiæ factum deprehendimus. Quin etiam nil obstat, quominus Scripturas in sensu formali *verbum Dei scriptum* nuncupemus, etiamsi sensa scribenda de verbo ad verbum Spiritus S. minime dictaverit. Quid enim? Sicut sufficit ad rationem auctoris libri, ut Deus ad sensa a se suppeditata scribenda humanum scriptorem efficaciter impulerit, ita ad rationem *verbi Dei scripti* satis est, ut sensa scribenda hagiographus sub lumine divino perceperit et ad ea scripto excipienda efficaciter excitatus fuerit : est enim in hac hypothesi auctor conceptuum et causa eorum conscriptionis, quamquam id, quod in scriptione et in libro materialiter se habet, hoc est, ipsam scriptionis materialis executionem necnon ipsa signa seu voces singulas in atomo sumptas, ipse per se non perfecerit nec determinaverit. Scriptura igitur non solum appellari potest verbum Dei scriptum in sensu materiali, quasi homo verbum Dei revelatum propria marte solum litteris tradidisset, verum etiam in sensu formali et reduplicativo, siquidem insuper illud ex mandato et impulsu divino scripto excepit.

Quod vero aliqui addunt in nostra sententia discrimen tolli inter Scripturas sacras et definitiones Conciliorum Œcumenicorum, illud oppido falsum est ac mira rerum confusione innititur. Sicut enim, ut supra diximus, in his definitionibus et generatim in decretis dogmaticis Ecclesiæ

per se non admittitur divina revelatio, ita nec sententiarum suggestio, neque per se motio specialis ad scribendum vel loquendum, sed dumtaxat peculiaris Spiritus S. in eorum confectione assistentia a Christo promissa, qua Romani Pontifices ex cathedra loquentes vel Patres in generale Concilium coadunati, in suis judiciis definitivis ab errore præservantur immunes. Quapropter illa minime sunt verbum Dei spectatis eorum forma et origine, sed solum ratione materiæ, quam supponunt, defendunt ac declarant. *Verbum Dei scriptum ratione formæ* non constituitur, nisi per immediatam scriptionem Dei vel per propositionem veritatis seu sententiæ, quæ interne homini manifestatur sub lumine supernaturali, quamque hic simul ex divino impulsu ac sub divina assistentia aliis communicat per scriptionem. Scriptura est igitur immediatum verbum Dei et constituit fontem originalem divinæ revelationis, definitiones vero dogmaticæ sunt verbum Ecclesiæ et constituunt dumtaxat fontem derivatum.

2. Quamquam illa vox *dictare* in acceptione propria et vulgari frequentius designet actionem ejus, qui alteri scribenti de verbo ad verbum præit scribenda suggerendo, adeoque ei non tantum sensa, sed etiam ipsa vocabula in individuo sumpta communicat, nihilominus in sensu deducto non raro accipitur etiam de eo, qui solummodo conceptus scribendos suo secretario suppeditat. Hoc sensu, ex. gr. frequentissime dicitur quis testamentum dictare, etiamsi non de verbo ad verbum sed solum generatim notario indicet, qua ratione de bonis suis post mortem disponere intendat. In hac vero acceptione usitatissima idem valet ac sensa communicare in ordine ad scriptionem. Quapropter illi ipsi theologi, qui inspirationem verbalem rigorose acceptam rejiciunt, communiter etiam docent sacros libros Spiritu S. *dictante* fuisse concinnatos (1).

Quod autem 3° arguunt ex connexione, quæ intercedit notiones rerum inter et verba, quibus eæ exprimuntur, adeo

(1) V. Suarez, Melch. Canum, Serarium, Wirceburg. ll. cc.

ut determinata idea efflagitet certum vocabulum, determinataque sententia fixam terminorum structuram, illud ita rigorose neutiquam admitti valet. Verum quidem est, existere nexum, vi cujus, rerum notionibus mente apprehensis, *generatim et confuse* saltem menti vel phantasiæ obversentur signa convenientia illius linguæ, qua quis uti solet, ad istarum elocutionem sive oralem sive scriptam apta; ast nullatenus concedimus, quin oppido negamus, per sola sensa quæ quis ad loquendum vel scribendum concepit, tum singula verba, tum eorum structuram seu elocutionis modum semper ita *singillatim*, *directe* ac *proxime* definiri, ut intra certos limites possibilis non sit alius ac alius terminorum delectus, aliusque adhiberi nequeat vocabulorum circuitus. Illud manifeste evincunt tum regulæ rhetorices de dispositione ac elocutione, tum propria experientia, tum exempla continuo obvia in ipsis Sacris Scripturis, adeo ut, qui assereret eumdem conceptum eamdemque sententiam nonnisi unica ratione exprimi posse, contra consensum communem et apertam rerum veritatem loqueretur. Quid enim, si illud verum est, sibi volunt grammatici ac viri artis litterariæ periti, quum agunt de diverso orationis stylo, de ejus ornatu, de figuris ac tropis in ea adhibendis? Quem latet easdem ideas eosdemque conceptus aliis modis exprimi in prosa, aliis in poësi, aliis in oratione plana ac simplici, aliis in sublimi multumque ornata? Nonne experimur veritate niti, quod docent logici, in certo aliquo syllogismo præmissas diversa ratione formari ac ordinari posse, quin ejus sensus mutetur vel valor destruatur? Denique nullus, qui umquam calamo ad scribendum manum apposuit, haud est expertus, se non raro difficultatem experiri in conceptibus etiam clare apprehensis paginis apte infigendis. Illud autem ex eo provenit, quod vel rerum congrua nomina memoriæ non occurrant, vel non quiscumque verborum circuitus indoli orationis conveniat, uti præsertim accidit in poëtarum carminibus. Quid longius excurro? In ipsis Scripturis, maxime in poeticis libris Vet. Test., in quibus secundum indolem peculiarem hebraïcæ poëseos occurrit ille, ut vocitant, parallelismus synonymus vel syn-

theticus, quandoque occurrunt eædem prorsus sententiæ diversis verbis varioque vocabulorum circuitu repetitæ, ut v. gr. in Ps. XL, CXIII, CXVIII aliisque. Ultima hujus rei ratio est, partim in ipsa natura verborum, quæ non sunt signa naturalia, sed arbitraria et conventionalia : hoc est, nexus inter voces earumque significationes non nititur necessitate quadam naturæ, sed ab arbitrio pendet; partim etiam est in ipsa copia signorum ac circuituum verborum, quibus easdem notiones eademque sensa exprimere valemus. Itaque luce clarius adparet hoc argumentum, quod vehementer aliqui urgent, revera flocci esse faciendum, cum semper aliqua saltem relinquatur scriptori libertas quoad electionem et compositionem terminorum, etiamsi res et sententias accuratissime determinatas supponamus (1).

Quod tandem 4° dicunt, Deum esse unicum SS. Bibliorum auctorem, id quidem concedimus, quin contendimus Deum esse unicum eorum *auctorem principalem*. Verum eo ipso non excluditur, nec ipsa Scriptura nec Patres excludunt, quominus suo modo libri sacri etiam hagiographis tribuantur, scilicet veluti scriptoribus ratione et libertate præditis ac aliquo sensu auctoribus secundariis (2). Non tamen in nostra sententia hagiographi sunt proprie co-auctores Bibliorum, hoc est, prout insinuant adversarii, auctores principales partiales. Num enim translator alicujus libri, etiam non omnino serviliter procedens, ejus auctor vel co-auctor vocatur? Quod autem subdunt, facile solvitur ex jamjam dictis et statim dicendis. Non enim tantam in elocutione libertatem, quam supponit ista adversariorum argumentatio, sacris scriptoribus concedimus. Quorsum autem huc spectant opera Ciceronis, in quibus omnium ore præter soliditatem argumentationis et sententiarum opulentiam, etiam facundia, grandiloquentia dictionisque concinnitas celebrantur, imo ad eorum rationem formalem pertinent? Num fors Fernan-

(1) Cfr. Kilber. o. c. cap, I, art. III, n. 23; Kaulen § IV; Schmid, n. 262.

(2) Cfr. II Pet. III, 15, 16. Videsis duo posteriora capp. præc. sect.

dez arbitratur Deum in conficiendis Scripturis opus ingenii litterarii cudere voluisse? Ast liceat mihi modo argumentum in adversarios retorquere, et quidem cum fundamento. Injuriene, quæro, appellaret quis opus Augustini gallicam versionem librorum de Civ. Dei, quæ nempe ex textu latino non omnino serviliter, sed sat libere, fideliter tamen esset elaborata. Illud affirmat Fernandez, alio assumpto exemplo, et revera in sua sententia logice quidem. Scilicet ex ipso accurata versio alicujus libri, puta Evangelium Matthæi latine translatum, non potest amplius originalis auctoris liber simpliciter appellari (1). Sana lectoris mens, communis et Ecclesiæ sensus huic assertioni merito refragantur. Tandem nil momenti contra nos reperitur in laudatis decretis conciliariis, dummodo enim salvemus formulam dogmaticam, qua Deus auctor definitur librorum sacrorum per inspiratam scriptionem, nil adversamur doctrinæ inibi ab Ecclesia definitæ. Parallelismus prætensus inter nostram et Jahnii sententiam, libros protocanonicos a deuterocanonicis ratione auctoritatis discernentis, patenter est argumentum ad invidiam, cum hæc cum re nostra nil commune habeat.

II. Ad argumenta ex *ipsis sacris litteris* petita, generatim 1° advertimus, nihil contra sententiam nostram confici posse ex illis loquendi formulis subinde penes hagiographos occurrentibus, quæ inspirationem verbalem indicare videntur. Illa enim testimonia per se valent solum pro loco et hagiographo, pro quo citantur, non autem ad alios jure extendi posse evidens est. Quæ enim de uno Scripturæ loco valent, non illico sunt ad totum Bibliorum complexum indiscriminatim extendenda, quando nempe pro cæteris, uti in hac quæstione, non eadem militat ratio. Et sane omnes nostræ sententiæ patroni admittunt, in nonnullis partibus Deum præter sensa etiam ipsa verba in individuo determinasse et hagiographo suggessisse. Ita plerumque concedunt in locis,

(1) Talis mihi videtur sensus interrogationis Fernandez, ni absurde solum negare velit textum hebraicum autographi non esse identicum cum textu latino versionis ejusdem.

in quibus vel vaticinia, quæ non prius ore prolata sed scripto solum edita fuere, a prophetis consignantur, vel mysteria aliaque graviora et altiora ab humanis sensibus remota describuntur, etiam verba quibus isthæc enuntiantur, præcipua saltem hic illic inspirata fuisse. Hæc porro infra pressius definiemus, nunc solum de ordinario inspirationis modo solliciti.

Verum 2° non desunt, quæ testimoniis ex sacris litteris depromptis opponamus, quibusque conclusio, quam adversarii inde desumunt, haud parum infirmetur. Et quod attinet ad celebrem Jeremiæ locum, qui profecto præcipuum eorum munimentum videtur, *a*) damus quidem Baruch ex ore Jeremiæ divina oracula de verbo ad verbum scribenda accepisse, at inde non sequitur etiam Jeremiæ dictanti prophetias scribendas una cum verbis, quibus consignarentur, divinitus communicatas fuisse. Etenim *b*) fieri potuit, ut, motione divinitus accepta ad ea scripto consignanda, nullam difficultatem habuerit in dictandis amanuensi illis vaticiniis eaque quasi legisse visus fuerit, vel quia fors in alio volumine scripta jam erant, ut non temerarie præsumitur ex c. XXV, 13 et XXX, 2 (1), vel quia saltem revelationes sibi a Deo factas jam sæpe mente revolverat et obstinato populo, si non scripto, saltem voce iterato intimaverat; potuit igitur illa de verbo ad verbum memoria tenere et, data occasione, cum magna facilitate ea amanuensi scribenda dictare, quin divina dictatione vel alio extraordinario auxilio opus ei fuerit. Verum nolumus diutius de hisce contendere, ac porro, ne videamur subterfugia quærere, *c*) concedamus adversariis hæc verba Jeremiæ dictanti inspirata fuisse. De iis autem, qui talia ad universam Scripturam extendenda

(1) Istis in locis ac etiam cap. LI, 60 insinuatur Jeremias prophetias sub inspirata scriptione primum accepisse. Pariter videtur liber, quem nunc habemus, similis ei fuisse quem ipse exaravit, non autem ei quem in hoc cap. XXXVI bis amanuensi Baruch dictasse legimus. Liber, de quo in initio et in decursu hujus capitis sermo est, non est ille, qui post alicujus prioris combustionem restitutus fuit, ut putavit Schmid n. 44, sed ille ipse, quem in fine capitis Joakin igni tradidisse narratur.

volunt, solum monemus, nos equidem non videre, quo pacto, qui hæc urgent, sese sint extricaturi, quum iis, quæ sunt in hoc Jeremiæ capite, ea mox opponemus, quæ leguntur in altero libro Machabæorum.

Quod spectat verba Psalmistæ, illa a pluribus usurpantur, ut probetur Davidem in suis canticis exarandis divinitus fuisse inspiratum. Per me licet; ast proeuldubio non efficiunt, verba in individuo fuisse Davidi inspirata. Ad summum significant Psalmistam fuisse instrumentum Spiritus S. in suis hymnis componendis, non vero ipsum in conceptuum elocutione ne minimum quidem suæ libertati fuisse permissum. Si enim hæc comparatio calami seu styli nimium urgetur, ad eas conclusiones ducat necesse est, a quibus et ipsi adversarii abhorrent, nempe Psalmistam fuisse instrumentum inanime sicut calamum, ac prorsus nil intellexisse eorum quæ scribebat.

Tandem quoad textus ex libris propheticis, præsertim ex Apocalypsi depromptos, non gravamur adversariis concedere, si non aliter loca ista intelligi posse ipsis persuasum est, præter communem inspirationis modum etiam illam, quæ verbalis audit, in illis locis posse admitti, maxime in Apocalypseos libro, qui eminenter propheticus et arcanis refertus est. Attamen, nemo hucusque probavit, verba, quæ Deum in ore prophetarum posuisse testatur Scriptura, esse ipsa materialia verba quibus sensa exprimuntur, non vero aliquando ipsas res et sententias sive inter scribendum revelatas sive solummodo ad scribendum suggestas. Nonne Deus etiam Joanni dixit : « Quæ vides, scribe in libro? » Non autem innuitur prophetæ suppeditata fuisse ipsa verba, quibus res oculis apprehensas scripto designaret ac describeret. Nonne etiam decem mandata dominica tabulis lapideis divinitus insculpta *decem verba Domini* vocantur, dum tamen non decem vocabulis, sed multo pluribus illa expressa fuerint : « Et ostendit vobis... decem verba, quæ scripsit in tabulis lapideis » Deut. IV, 13 (1).

(1) Mirari subit, Fernandez etiam hunc textum adduxisse inter plures

Quod vero spectat verba Christi, quibus Apostolos suos post prædictas persecutiones solatur, hæc pauca animadvertimus. *a*) Hæc promissio restringitur tempore et adjunctis : scilicet promittitur Apostolis non modo specialis assistentia Spiritus S., sed etiam peculiare auxilium, quando coram tribunalibus rationem reddituri essent suæ prædicationis. *b*) Eodem ratiocinio concludi posset, Apostolos fuisse etiam quoad individua verba inspiratos, ubi primis fidelibus annuntiabant veritates fidei, quarum plures sola traditione forent custodiendæ ; porro ex unanimi theologorum doctrina solum fuerunt per se infallibiles ex divina assistentia. Tandem *c*) in verbis Christi illud *quomodo* haud necessario portendit singulorum verborum responsi antecedentem determinationem a Spiritu S., ita ut ne minimum quidem Apostoli (*discipuli* apud Lucam) suæ industriæ relinquerentur : potest enim illa vox respicere accidentales responsi partes seu adjuncta, dum *quid* innuat ejus substantiam ; vel etiam significare potest qualitatem seu indolem defensionis quoad formam expositionis magis generalem.

Itaque ex Scripturis intentum probare non valent adversarii, vel si aliqua testimonia illis favent, ea indicant extraordinarium inspirationis modum propter ipsam rerum scribendarum naturam ; nullatenus vero fas est illum modum ad universam Scripturam protendere.

III. Nec majus negotium facessunt testimonia Patrum, quorum ingentem copiam quidam congerunt. Illa enim non tam firmum ac ineluctabile constituunt argumentum, quam prima specie nonnemini, eorum verba obiter consideranti, posset videri. Ubi enim penitius examinantur in contextu, illa effata, si quoad vim probandi non penitus evanescant, saltem dubios nos relinquunt de Patrum in hac re doctrina, vel potius nobis persuadent Patres de nostra controversia haud cogitasse. Quoniam vero longum nimis fastidiosumque

alios, ut probaret ex Scripturis Deum semper singula *verba* in inviduo sumpta in ore prophetarum et in calamo hagiographorum posuisse, liquido enim apparet, τὸ *verba* in hoc textu sicut alibi sæpe non significare voces individuas, sed ipsa sensa in mandatis expressa.

foret singula illa testimonia in contextu ac locis parallelis expendere, generales quasdam considerationes opponemus, quibus difficultates pene omnes eleventur.

1° Ut mens Patrum circa aliquam doctrinam perspecta habeatur, præpostere quis unum alterumque eorum testimonium separatim considerat, et urget. Et revera quod spectat ad hanc, quam versamus, quæstionem, illi ipsi Patres, quos adversarii ut patronos invocant, sæpius aliis in locis talia asserunt, quæ cum sententia ipsorum minime componi queant. Illud luce clarius apparebit ex testimoniis, quæ pro nostra sententia ex Patribus infra adducemus. Ita nominatim S. Hieronymus eodem in commentario (in ep. ad Eph. III), in quo singulos sermones, syllabas, apices et puncta in Scriptura sensibus esse plena affirmaverat, paulo ante fassus erat, Pauli epistolas consideratas juxta grammaticæ et syntaxeos regulas minime esse perfectas. Porro nemo dixerit S. Doctorem illa vitia styli, puta solœcismos, in Spiritum S. refundenda censuisse, siquidem ipse eas adscribit B. Paulo, qui, suo ipsius judicio, se *imperitum sermone sed non scientia* affirmat (1).

2° Patrum testimonia non ita semper inconsiderate sunt urgenda, quoties non sunt omnino perspicua neque adeo multa, ut sententia aliqua inter eos communis fuisse putari debeat aut etiam possit. Istud maxime præ oculis habeatur in iis locis, ubi oratores agunt, quandoquidem tunc nonnumquam emphatice ac nonnihil hyperbolice loquuntur. Hoc præcipue quoad textus ex S. Joannis Chrysostomi homiliis excerptos animadversum velim. Sane, quidquid dicat Fernandez, non semel accidit in aliis etiam quæstionibus, ut Patrum verba, habita ratione modi loquendi rhetorici, in sensu potius accommodo et in acceptione morali, quam in sensu absoluto ac universali seu in rigore mathematico accipiantur, et interdum accipi debeant. Ast quid illud restringam ad oratores? Ecquis enim in verbis Hieronymi mox transcriptis non continuo agnoscet hyperbolam

(1) II Cor. XI, 6.

Hieronymo non infrequentem, quam vel ipsa enuntiatio prodit manifeste? Num suspicabimur, S. Doctorem sensisse reapse singulis syllabis, singulisque litteris Scripturarum, non dicam plures, sed vel unicum sensum subesse?

3° Attendant adversarii, Patres plerosque non loqui de textibus primigeniis, sed de versionibus. Ita S. Joannes Chrysostomus loquebatur de Bibliis in græcum sermonem versis, his enim solis utebatur; SS. Hieronymus et Augustinus de versione latina sive veteri Itala sive Vulgata. Suntne igitur, horum Patrum judicio, transiationum verba etiam divinitus inspirata? Compegitne Spiritus S. etiam syllabas græcas ac latinas? Certe nemo probabit S. Joannem Chrys. hac in sententia fuisse, multoque minus illud senserunt SS. Hieronymus et Augustinus, quorum prior in suis translationibus non de verbo ad verbum, sed satis libere de sensu in sensum se vertisse sæpius testatur (1).

4° Quid igitur sibi volunt SS. Patres, quum tanta reverentia humanas illas voces prosequuntur, perinde ac si aliquid divini eis inesse crederent? Illud scilicet primario intendunt, omnia Scripturæ verba diligenter esse expendenda, quandoquidem nullum in eis otiosum sit vel temere ac fortuito positum, sed omnia et singula suo modo conducant ad sensa divinitus inspirata sincere determinanda. Hoc sensu dixit S. Bernardus, « in sacri eloquii textu nec modicam vacare particulam. » Neque in nostra sententia ipsa signa omni prorsus modo Deo sunt abjudicanda, siquidem hagiographi illa compegerunt sub influxu divino impellente ad scribendum, inspirante sensus omnes conscribendos, suggerente quandoque ipsa vocabula, sæpius quidem illorum delectum et compositionem eis relinquente, attamen generatim, remote et confuse verba subministrante, ac specialiter vigilante, ne errando in delectu et coordinatione verborum, in sensibus inspiratis rite conscribendis delinquerent (2). Hoc notato, facili negotio explicaveris verba

(1) V. inter alia *Epistolam ad Pammachium* 33am.

(2) Ex dictis patet, in nostra sententia eamdem esse rationem habendam verborum Scripturæ, quam in sententia de inspiratione verbali.

S. Joannis Chrysost. hom. XV, n. 1 et XXI, n. 1 in Genes., quæ certe prima fronte adversariis omnino favere videntur. S. Doctor ibidem docet, ne minima quidem esse spernenda, non quatenus ex ipso syllabæ et voces, præcise qua tales sunt, a Deo originem habeant, non secus ac res et sententiæ, sed quia per voculas aliaque signa, quæ in se abstracta a contextu nullius momenti esse videntur, assistente Deo effectum est, ut conceptus ab ipso inspirati et non alii sacris paginis infigerentur. Inde sequitur voces singulas ac minima quæque, esto ab antecedente divinitus determinata non fuerint, tamen, cum nunc sensibus rite et sincere exprimendis inserviant, necnon Spiritui Sancto probata fuerint, de consequenti esse retinenda, expendenda et ponderanda. Parili pacto explicatur Ecclesiæ praxis, qua veluti scrupulose textum singulaque Scripturarum verba servat. Ea enim veneratione prosequitur etiam versiones ipsi probatas, prohibetque quominus quis propria auctoritate in iis verba verbis substituat. At numquid idcirco eas, exempli ergo, Vulgatam versionem, quoad verba inspiratas credit?

S. Hieronymus vero, ubi dicit *se nullatenus putare aliquid de dominicis verbis* esse corrigendum aut non esse divinitus inspiratum, nobis non adversatur, quin potius favet. Legenti enim hanc epistolam ad Marcellam illico adparet S. Hieronymum sese purgare ab accusatione a nonnullis ipsi impacta, quod scilicet in nova, quam adornaverat, Evangeliorum editione nimium a veteri versione (puta veteri Itala) recessisset. Asserit nimirum se haudquaquam ea mutare, quæ corrigenda non erant, hoc est, se tunc solum a veteri textu recedere, ubi hic ab originali textu quoad sensum dissonabat. Præterea ipsum nomine *dominicorum verborum* non intelligere ipsas voces et materialia signa, sed ipsa Scripturarum sensa, probant tum ejus alibi sæpe repetitum testimonium se in vertendis libris satis libere procedere, tum exempla huc adducta variantium lectionum, quæ revera plus minus sensum pervertunt, tum quod non *aliquod dominicum verbum*, nec *aliquod de dominicis verbis*, sed *aliquid de dominicis verbis* se corrigere nolle vel ceu non inspiratum habere

affirmat. Itaque S. Doctor non de vocibus, sed de sententiis inspiratis servandis unice sollicitum se præbet.

Illis denique, qui nobis auctoritatem Veteris Scholæ objiciunt, hodiernam theologorum communem doctrinam opponimus. Cæterum illius sententiam non adeo determinatam et communem fuisse, conficitur ex principio theologico omnino rato, videlicet fieri non posse, ut in rebus fidei aliqua doctrina, quæ per longum tempus in scholis theologicis unanimi ac firmo teneatur consensu, postea evadat incerta et ab adeo paucis amplexetur, ut pene in oblivionem abiisse sit dicenda. Concedi vero potest seu, ut ait De Lugo, « non repugnat aliquamdiu majorem scholasticorum partem opinionem aliquam ut probabiliorem amplecti, quæ reapse falsa est » (1). Et quidem doctrina Scholæ in hac re numquam eos characteres præ se tulit, quibuscum scholasticorum auctoritas valet ad plenam certitudinem theologicam. Nam consensus, si quis umquam exstitit, non fuit in firmam et ratam aliquam sententiam, sed potius in opinionem plus minusve communem quæ numquam plane universaliter obtinuit. Illud ex eo maxime adparet, quod, ubi de hac re magis explicita controversia orta est, illico plures protestati sunt, se numquam credidisse ad singula verba Scripturarum inspirationem exporrigi. Ita quidem nostra sententia etiam inter antiquiores theologos insignes plane numerat defensores, puta Bellarminum, Lessium, Canum, Cornelium a Lapide (2). Jam tempore Suarezii, ut ipse testatur, solum « quidam eruditi » hanc sententiam rigorose acceptam propugnabant. Sententiam quidem Lessii censurarunt celebres Facultates Lovaniensis et Duacena, verum hanc censuram reprobarunt aliæ Facultates, puta Romana, Moguntina, Trivirensis, et Ingolstadiensis (3). Miramur sane Fernandez eorum auctoritatem nil pensi habere, qui calculum adjecerunt Lessii

(1) De fide disp. XX. sect. III, n. 128.

(2) V. Kleutgen in append. op. cit. P. Schneemann, n. 10.

(3) Notetur Facultates Lovan. et Duac. in sua censura maxime intendisse secundam et tertiam Lessii propositionem, quæ utraque, prout jacet in formula, indubie rejicienda est.

opinioni; non sine levitate enim asserit id « ex quadam enatum comitate » esse, vel etiam eos « propter quædam prudentiæ motiva » a damnatione abstinuisse. Enimvero hæc sententia non tantum patronos habuit Jesuitas, ut insinuat, sed etiam plures alii eidem adhæserunt, uti Habert, qui eam vocat communiorem et probabiliorem. Quapropter non est cur dicatur hæc sententia « continuo exposita naufragio per multum temporis compulsa navigare » (1).

§ 2. *Proponuntur argumenta nostræ sententiæ.*

Hucusque solum demonstravimus, divinam suggestionem et velut dictationem verborum in individuo non esse essentialem ad rationem libri inspirati et verbi Dei scripti, neque suppetere argumenta, quibus evincatur Deum hanc accidentalem dignitatem sacris libris conferre voluisse. Hæc porro, ut diximus, constituunt argumentum negativum quod in hac re æquivalet argumento positivo. Verum non desunt indicia atque argumenta formaliter positiva, ex quibus conficitur vel saltem vehementer suadetur hagiographos non ipsa verba in atomo sumpta accepisse, sed in sensibus congrue efferendis universim solum divina assistentia fuisse munitos. Præcipua tantum indicamus.

I. *Rationes theologicæ.* 1° Scriptores sacri tam Nov. quam Vet. Test. frequenter eadem facta cum iisdem circumstantiis enarrant diversis adhibitis vocabulis diversaque terminorum constructione. Imo, quod fortius est, eadem elocutionis varietate referunt eosdem prorsus aliorum sermones, et quidem eos adducunt tamquam ita ab aliis prolatos, siquidem eis præmittunt voces : *ait*, *dixit* etc. Ut autem exemplis quod adstruimus confirmemus, ad illa remittimus Evangeliorum loca, in quibus narratur prædicatio Joannis Baptistæ (2), mandatum a Christo duobus discipulis datum

(1) Cfr. Denzinger l. l l II, n. 125. Wirceb. l. c., Schmid in op. de Inspir. et in art. cit.

(2) Matth. III, 5 seqq.; Marc. I, 6 seqq.; Luc. III, 7 seqq.

de præparando ultimo Paschate (1), deinde præcipue ubi synoptici Evangelistæ et Apostolus Paulus gesta et verba referunt Christi Domini Sacramentum Eucharistiæ instituentis in ultima cœna (2). Postremo in utriusque Fœderis Scripturis decalogus sæpius diversis traditur formis, et nominatim præceptum amoris Dei pluries traditur, et quidem semper cum aliquo in elocutione discrimine (3).

Exinde jam imprimis concludimus, tum idem factum aliis atque aliis verbis referri posse, tum aliorum verba citare quemquam merito dici, qui conceptus ab eis expressos exacte exprimit, licet non iisdem utatur verbis (4). Nisi enim dicamus Spiritum S. scriptoresque inspiratos solum aliorum verba quoad sensum referre voluisse, Ille a mendacio, hi vero saltem ab errore excusari nequirent. Nemo enim dicet v. gr. Christum Dominum quater in eadem cœna aliter pronuntiasse verba, quibus S. Eucharistiam instituit. Præterea hæc ratio narrandi et referendi hagiographorum nobis videtur indicium, ni apodictice probans, saltem vehementer suadens divinam inspirationem non sese porrexisse ad omnia et singula verba. Etenim si Deus verba dictavit, cur ad eadem facta narranda ac præsertim ad eosdem sermones referendos alia verba aliasque expressiones adhiberi voluit? Nec dicant illud Ipsum fecisse ideo, ut libri sacri humana auctoritate essent instructi. Possent scilicet adversarii ita

(1) Matth. XXVI, 17-20; Marc. XIV, 12-18; Luc. XXII, 7-14.

(2) Matth. XXVI, 26-28; Marc. XIV, 22-24; Luc. XXII, 19-20; I Cor. XI, 23-26. — Inter Ps. XVII prout habetur in Psalterio et eumdem prout extat in II Reg. XXII numerantur discrimina nonaginta quinque, et tamen in utroque fuit sub divina inspiratione conscriptus, licet probabiliter David eum sub unica solum forma enuntiaverit.

(3) Exod. XX; Deut. V; VI, 5; XI, 13; Matth. XXII, 37; Marc XII; Luc. X, 27.

(4) Billuart illud solum admittit quando referuntur verba de præterito, non autem quando afferuntur de præsente. At nobis videtur illud semper obtinere, dummodo non expresse vel implicite indicet loquens vel scribens se ipsissima verba ab altero adhibita velle adducere, non autem solum sententiam ab ipso expressam. Porro hoc ultimo sensu Scriptura plerumque aliorum verba refert. — Cfr. Augustinus de Cons. Evang. l. II cap. 13.

excipere : si Spiritus S. ad eadem gesta narranda eadem verba suggessisset, visi fuissent hagiographi unus alterum exscripsisse, quod humanæ eorum auctoritati plurimum attulisset præjudicii. Sit ita sane, nos admittimus qua sapientiæ Dei maxime consentaneum, Ipsum voluisse ut Biblia argumenta suæ authentiæ ac veracitatis præ se ferrent, ast nisi adversarii simul probent ad rationem verbi Dei requiri inspirationem verbalem, vel aliunde ostendant Deum de facto verba ipsa revera inspirasse, illud argumentum prorsus ruit, imo nobis favet. Illum enim effectum et commodum inde resultans obtinere potuit multo sapientius, et, si ita loqui fas est, compendiosius, relinquendo ipsis hagiographis negotium deligendi ipsa verba, quibus sensa inspirata secundum uniuscujusque indolem et eruditionem exprimerent. Hæc igitur ratio, si quid valet, potius suadet ut dicamus Deum verba in individuo non inspirasse.

Non abs re erit hic adduxisse verba Augustini in locum supra citatum Matthæi quoad prædicationem Joannis Baptistæ : « Si ergo quæritur, ait, quæ verba potius Joannes Bapt. dixerit, utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat, an quæ Marcus in ipsis paucis quæ illum dixisse posuit, tacens cætera; nullo modo hisce laborandum esse judicat, qui prudenter intelligit, ipsas sententias esse necessarias cognoscendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. » Et post pauca monet, « nos non debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem quam audierunt, vel viderunt reminiscentibus, non eodem modo atque eisdem verbis, eadem tamen res fuerit indicata; aut sive mutetur ordo verborum, sive alia pro aliis, quæ tamen idem valeant, verba proferantur... sive ad illuminandam declarandamque sententiam, *nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est.* » Hanc autem varietatem in verbis referendis per Spiritum S. ideo fuisse concessam docet, ut « quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus, non tam verborum quam rerum quærendam vel amplectendam

esse veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepent, in eadem veritate constitisse approbamus. »

Ex dictis etiam corruit præjudicium a Fernandez nostræ sententiæ oppositum, quod nempe hujus distinctionis inter inspirationem sententiarum seu doctrinalem, ut ipse fatur, et inter inspirationem verbalem nullibi in sacris paginis vestigium occurrat. In Scripturarum namque praxi modo descripta implicite saltem et æquipollenter indigitari discrimen inter sententias scriptas et verba quibus exprimuntur, nemo est qui ambigat. Quinimo nonne Paulus diserte se fatetur imperitum sermone sed non scientia?

2° Jam alia occasione advertimus, quod cæterum neminem, qui Scripturas solum non oscitanter perlegerit, latere potest, nempe libros sacros mira varietate ab invicem discrepare sub ratione perfectionis styli et elegantiæ dictionis. Alii enim perpolita et concinna, alii rudi et simplici oratione gesta narrant, hi breviter et obscure, illi prolixe et distincte facta referunt sententiasque adstruunt. Alii libri puro idiomate et castigatis expressionibus texuntur, dum alii ineleganti et contorta oratione impedite incedunt. In nonnullis etiam occurrunt positivi defectus, puta voces impropriæ, solœcismi ac barbarismi, obscuritates in syntaxi aliæque styli imperfectiones. Quorsum longius excurro? Illud adeo verum est ac patens, ut non modo SS. Patres hujus styli diversitatis et aliquando imperfectionis in suis commentariis mentionem fecerint, sed et omnes rerum scripturisticarum tractatores uniuscujusque libri indolem ac stylum accurate determinent, non secus ac litterariæ artis periti illud præstant respectu librorum profanorum. Etiam Bibliorum glossatores ex iis inferunt diversam scriptoris educationem eruditionemque, quibus cognitis rursus ad sua interpretamenta stabilienda ac illustranda interdum utuntur (1). Quin Scripturarum vindices ex istis indicia desumunt ad ætatem,

(1) Videsis hanc interpretationis regulam perbelle evolutam apud G. Güntner. *Hermen. S.* p. I sect. III.

patriam ac conditionem scriptoris definiendam, eaque tamquam interna criteria urgent contra incredulos ad Bibliorum genuinitatem critice demonstrandam. Age jam, quî talia explicabunt nostri adversarii? Potuit, reponunt, Spiritus S. in verbis Scripturæ suggerendis sese accommodare stylo, captui et indoli scriptoris atque ita agere ad instar matris cum filiolo suo balbutientis. Utique Spiritus S. id potuit, at ipsa rei inutilitas ratio est sufficiens, cur illud minime factum credamus. Insuper videtur ista ratio agendi parum admodum, ut nil præterea dicam, Deum decere. Quis namque sibi in animum inducet, Spiritum S. leges grammaticæ et rhetoricæ consulto lædere voluisse, illudque veluti affectasse, ut ipse solœcismorum, inconcinnarum phrasium aliarumque styli imperfectionum auctor haberetur? Vel an forsan hoc pacto egit, ut occultaret se esse Bibliorum auctorem, vel saltem se etiam verba quibus conflantur inspirasse? Sed si Deo placuit hanc dignitatem libris sacris superaddere, cum teste archangelo Raphaele opera Dei revelare et confiteri semper honorificum sit (Tob. XII, 7), ad Deum pertinebat illam sufficienter manifestare, non autem velut studiose occultare ac fere incredibilem reddere. Insuper hæc ratio explicandi illud factum adversatur interpretationis regulæ, quæ sana ratione ac sapientia Dei innititur, et quæ in rebus theologicis maximi est momenti frequentisque applicationis : videlicet, ubi agitur de facto aliquo explicando, semper illam præferendam esse explicationem quæ magis obvia et naturalis videatur, non autem eam quæ superfluum aliquem ac supernaturalem Dei interventum includat, nisi hic aliunde fuerit demonstratus. Porro in nostra sententia ratio datur congrua ac obvia hujus styli diversitatis, ut ex sæpe dictis jam patet. Quod autem spectat imperfectiones styli et elocutionis, a nobis etiam intelligitur cur Deus, licet hagiographis in sensibus divinis efferendis adstiterit, voluerit eos defectus permittere, quamdiu ipsos conceptus inspiratos per se intentos non perverterent; in adversariorum autem sententia conveniens hujus rei ratio indicari minime potest. Tandem nobis in hac re luculenter

consentiunt SS. Patres, qui non tantum notarunt diversitatem styli in unoquoque scriptore ac non infrequentes imperfectiones in elocutione, verum etiam eas diserte adtribuunt uniuscujusque eruditioni, educationi, indoli, generi ac nationi. Sufficiat hic testimonium invocasse S. Hieronymi, qui in rebus scripturisticis versatissimus earumque peritissimus laudatur. Scilicet in præfationibus ad singulos prophetas paucis delineat perfectionem vel imperfectionem styli singulorum, ejusque naturalem causam suggerit. « De Isaia sciendum, inquit, quod in sermone suo disertus est, *quippe ut vir nobilis et urbanæ eloquentiæ*, nec habens quidpiam in eloquio rusticitatis admistum. » Jeremias vero, ait, « *sermone quidem* apud Hebræos Isaia et Osee et quibusdam *aliis prophetis videtur esse rusticior*, sed *sensibus par est, quippe qui eodem spiritu prophetaverit*. Porro *simplicitas eloquii, de loco ei in quo natus est, accidit*. Fuit enim Anathotites, qui est usque hodie viculus. » Ezechielis sermo « nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex utroque medie temperatus. » Et de propheta Amos scribit : « Ex hoc numero pastorum (de Thecue) Amos propheta fuit, *imperitus sermone, sed non scientia. Idem enim qui per omnes prophetas in eo Spiritus S. loquebatur.* » Eadem ratione dijudicat scriptores Nov. Test. Ita scribit de S. Paulo : « Illud quod crebro diximus : Etsi imperitus sermone, non tamen scientia (1), nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim et reconditos sensus lingua non explicat. *Et quum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone.* Quem quum in vernacula lingua habeat disertissimum, seipsum interpretari cupiens involvitur » (2). Itaque Doctor

(1) II Cor. XI, 6. — An et quomodo illa componantur cum dono linguarum, quod S. Paulus sibi tribuit I Cor. XIV, 18. « Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguis loquor » (παντων υμων μαλλον γλωσσαις λαλων), aliis dijudicandum relinquo. V. S. Thomam. 2. 2. q CLXXVI, art. 1, ad 1m, et Estium in h. l. et in II Cor. II, 11.

(2) In Epistola ad Algasium, q. 10. Cfr. S. Hieron. in Epistolam ad Ephes. III. — Nota tamen Hieronymum non ubique Paulum eloquentiæ

maximus Spiritui S. quidem attribuit sensa in Scripturis sanctis consignata, urbanitatem vero vel simplicitatem styli et generatim ea quæ ad elocutionem spectant, repetit ex diversa scriptoris educatione, ingenio ac conditione. In sententia vero adversariorum rationes discriminis ab Hieronymo indicatæ nil ponderis haberent, nec causa, cur Jeremias, qui sermone rusticior erat, sensibus par fuerit, vel Amos non scientia sed sermone imperitus fuerit, nil valeret, si sermo æque ac sensa Spiritui Sancto esset adscribendus (1). Rursum vides hic nostram distinctionem inter sententias et earum elocutionis formam haud ignotam Patribus fuisse.

3° Quamplurimi theologi aliud contra assertores inspirationis verbalis argumentum proponunt, quod vi quadam carere non videtur. Nimirum SS. Patres, Ecclesiæque doctores atque ipsi simplices fideles Scripturarum versiones seu Biblia in alias linguas translata semper eadem veneratione prosecuti sunt, qua ipsa autographa exemplaria digna existimabant. Universali nempe et constanti persuasione creditum est in Ecclesia illas versiones, puta septuaginta Interpretum, Italam ac Veterem Vulgatam, quas per multa sæcula usurpavit vel adhucdum usurpat Ecclesia, esse verbum Dei scriptum, eodem prorsus titulo quo textus originalis. Unicum, quod notarunt, discrimen hoc est, quod in nonnullis locis, cæterum admodum paucis, versiones illæ quoad sensum plus minusve a textu originali discrepent adeoque in illis textibus inspiratæ seu verbum Dei minime dici queant. Advertatur porro illas versiones formaliter et reduplicative sumptas quoad sensa nullatenus ut inspiratas, nedum quoad verba, habitas fuisse aut haberi. Verum quidem est non

privum habere; in epistola enim ad Pammachium (30 al. 50) artificiosum Pauli sermonem in Epistolis ejus, maxime ad Rom., Gal., Eph., admiratur et in alia ad eumdem (38 al. 61), inter alia quæ ei tribuit encomia, Paulum vocat flumen eloquentiæ Christianæ. Ibidem tamen maxime loquitur de eloquentia, quæ ex sensibus profluit.

(1) V. etiam Originem in Philocalia a Greg. Nazianz. et Basilio collecta, cap. 4; Arnobium l. I cont. Gent.

paucos Patres opinatos fuisse versionem græcam septuagintaviralem miraculose fuisse confectam, eamque elaborantibus Spiritum S. ipsa verba in individuo suggessisse. At alii Patres, inter quos S. Hieronymus, illud expressissime negarunt vel in dubium revocarunt (1). Recentiores theologi necnon critici unanimi pene consensu hujusmodi inspirationem inficiantur sententiamque illorum Patrum non ex doctrina Ecclesiæ, sed ex fabula de septuaginta cellulis ortam esse tenent (2). Itaque versiones istæ sunt Scriptura Sacra et verbum Dei scriptum, quamvis qua versiones inspiratæ non sint, sed solum in quantum sunt conformes *quoad sensa* textibus primigeniis.

Ut autem hujus argumenti vis patescat, considerandæ sunt versiones non in abstracto, sed in concreto, prout illas præ manibus habemus. Hæ enim non fuere de verbo ad verbum ex textu primigenio translatæ; hoc enim casu, si possibilis sit (3), servata quodammodo dici posset inspiratio

(1) Præf. in Pentat. Cfr. Præf. in Paral.

(2) Videsis Bonfrer. Prol. cap. XVI; Ill. Lamy. Intr. p. I cap. V, sect. Ia; Ubaldi vol. I Th, XXVII.

(3) Dicimus : *si possibilis sit*, nam casum quem fingit Schmid, quo nempe Biblia ita verterentur. ut non haberetur nisi mera vocabulorum transpositio de una in aliam linguam, practice impossibilem censemus, cum agatur non de una alterave phrasi vel formula, sed de integris libris. Hujus rei ratio est in ipsa linguarum diversa indole, qua sæpe fit ut expressiones ac formulæ unius linguæ in aliam ad litteram transferri nequeant, vel, si ita verterentur, alium penitus sensum funderent. Illud testatur iterum S. Hieronymus, vir plurium linguarum peritissimus ac in Bibliis vertendis expertus. Ita, postquam laudavit eloquentiam Isaiæ verbis supra laudatis, hisce concludit : « Unde accidit, ut præ cæteris, florem sermonis ejus translatio non potuerit conservare ». Et in Epistola ad Pammach , purgans se ab accusatione, quod in vertendis Bibliis *non verbum e verbo, sed sensum de sensu exprimere soleret*, hanc adfert sui modi agendi rationem : « arduum, ut quæ in alia lingua bene dicta sunt, eumdem decorem in translatione conservent. Significatum est aliquid unius verbi proprietate, non habeo meum quo id efferam; et dum quæro implere sententiam longo ambitu, vix brevis viæ spatia consummo. Accedunt hyperbatorum anfractus, dissimilitudines casuum, varietates figurarum Ipsum postremo suum et, ut ita dicam, vernaculum linguæ genus. » Illud idem expertus testatur auctor Prologi in Ecclesiasticum : « Deficiunt verba hebraica, quando fuerint translata in aliam linguam ».

verbalis, quatenus verba et vocabula omnibus cultis linguis communia habentur. Verum non ita serviliter, sed satis libere elaboratæ fuerunt, adeo quidem ut in nonnullis locis, ordine verborum phrasiumque constructione penitus mutatis, nil fere ex textu primigenio remaneat præter res et sententias sub divino afflatu primitus conscriptas. Id ipsum crebro testatur S. Hieronymus, qui adornavit versionem sic dictam vulgatam a multis sæculis in universa pene Ecclesia exclusive usurpatam, se nempe non de verbo ad verbum, sed de sensu in sensum ex textu originali transferre solere. Itaque in adversariorum sententia dicendum esset libros sacros, quos nunc adhibemus, plene inspiratos non esse et magnam partem suam dignitatem amisisse. Quamobrem inspiratio singulorum verborum inutilis plane fuisset Ecclesiæ, in cujus utilitatem Biblia edita fuere, siquidem nonnullorum librorum archetypa exemplaria interierunt, reliqua vero in Ecclesiis Christianis, si illam priscam Jerosolymitanam excipias, pene numquam fuerunt in usu. Jamvero hæc consequentia saltem inconveniens est, cum Deus nil agat sine ratione sufficienti, ac nemo facile dederit textum originalem tanto digniorem esse versionibus.

II. Probatur nostra sententia *auctoritate* 1° *sacrarum litterarum*. Præter generalia principia, quæ in antegressis ex sacris libris jam deprompsimus, unum solummodo adhuc ex eis afferemus argumentum, scilicet testimonium luculentissimum ex libro altero Machabæorum. Hujus nimirum scriptor de se ipso loquitur in hæc verba jam plus semel laudata : « Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus. » (II, 27). Antequam vero librum clausurus, calamum deponat, ita scribit : « In his faciam finem sermonis. Et si quidem bene, et ut historiæ competit, hoc et ipse velim : sin autem minus digne, concedendum est mihi » (1). Quis, quæso, hujus laboris ac

(1) XV, 38, 39. Græcus habet : Εἰ μεν καλως και ευθικτως τῃ συνταξει, τουτο και ηθελον· ει δε ευτελως και μετριως, τουτο

sudoris sibi rationem reddere poterit, si omnia in hoc libro comprehensa de verbo ad verbum scriptori fuerint dictata? Quo pacto enim, qui paucarum plagellarum libellum alio dictante scripto excepit, haud illusorie dicere poterit se negotium plenum vigiliarum et sudoris suscepisse? Præterea in hac hypothesi vix intelligitur, quomodo in fine libri potuerit dubitare de libri perfectione et dignitate; quin, veniam petere si minus bene scripserit, causando suam imperitiam. Præsumi profecto nequit pium auctorem Deum velle excusare, seu melius, accusare; vel, si ponas ipsum divini influxus inconscium fuisse, quorsum, amabo, Deus hanc sententiam scribendam inspiravit? Cæterum sibi ipsi veniam flagitat, proprii ingenii mediocritatem fatendo. Patet itaque hujus libri scriptorem saltem qualitatem elocutionis et styli sibi tribuere (1). Qui autem illud præfracte negat, permagnis sese implicare ambiguitatibus perspicuum est. In nostra vero hypothesi probe intelligitur, cur vir, qui forte litteraturæ scholaris præditus non erat, conatus adhibere debuerit ac in fine de operis valore potuerit dubitare, necnon de styli tenuitate vel de compositionis ruditate, si forte displiceret, veniam petere. Neque huic veniæ postulato ex parte Dei inspirantis aliquid obstat, quum Deus illud scriptori suggerere potuerit ad commendabile modestiæ in quibusvis scriptoribus exemplum (2).

2° Post ea quæ jam diximus, opus non est, ut Patrum testimonia ulterius congeramus. Duo solum apud eos adhuc notatu digna breviter indigitamus, quæ doctrinam nostram oppido confirmant. Nimirum *a*) Patres verba Scripturæ *qua*

εφικτον ην μοι. Quæ ad litteram redderem : si quidem bene et dextere quantum ad narrationem (compendiosam) hoc et ego volui : si autem exiliter et mediocriter, illud fuit attingibile mihi. Porro ex ductu sermonis, tum ex ult vers. liquidum est agi de stylo seu *apparatu sermonis* aures legentium delectante : το της κατασκευης του λογου. V. Fullonium et Sanctium ad h. l.

(1) Dico *saltem* : nam infra examinabimus utrum non etiam ordo et dispositio subinde scriptoris industriæ relinquatur.

(2) Vide quam jejune et contorte huic difficultati respondeat Fernandez l. c. sub VIII.

talia nihili faciunt atque eatenus solum attendenda volunt, quatenus ad sensuum inspiratorum intelligentiam conducunt. « Alii syllabas aucupantur et litteras, inquit S. Hieronymus, tu quære sententias... Obtrectatores mei quærant et intelligant, non verba in Scripturis consideranda sed sensum »(1). Similiter D. Augustinus : « Quod nosse, ait, et... utile est... ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba, quæ propter illam sunt dicenda commendat; cum potius ita res quæ dicenda est, sermonibus per quos dicenda est, præferatur, ut istos omnino quærere non deberemus, si eam sine his nosse possemus » (2). *b*) Denique plurimi Patres in ea fuere sententia S. Paulum Epistolam ad Hebræos, et S. Petrum suam alteram per seipsos non scripsisse, sed in iis exarandis interpretibus esse usos, qui ipsis, sensa scribenda suggerentibus, græcum sermonem quasi commodarent. Et quidem harum epistolarum inspectio, earumque cum aliis eorumdem scriptorum operibus collatio illam opinionem verisimilem reddunt. Ita Origenes, postquam dixit Epistolam ad Hebræos secundum majorum traditionem certissime esse S. Pauli, ita pergit : « Si vero requiras a me, per quem sit sermo ejus compositus, pro certo quidem, Deus viderit : opinio quæ ad nos usque pervenit hujusmodi est : A quibusdam dicebatur, quod Clemens, Apostolorum discipulus et episcopus urbis Romæ, græco eam sermone non tamen sensibus expoliverit; alii quod Lucas etc. » (3). Et de utroque Apostolo affirmat Hieronymus : « Divinorum sensuum majestatem digno non poterat (S. Paulus) græci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem : sicut et B. Petrus Marcum. Denique duæ Epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se et charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus pro necessitate rerum, diversis eum usum interpretibus » (4).

(1) Epistola ad Pammac. (33 al. 101). (2) De Cons. Evang. l. II n. 66.
(3) Ap. Euseb. *Hist. Eccles.* l. VI, c. 18.
(4) In Epist. ad Hedibiam ad quæst. 11[m]. Meum non est hanc Patrum

Idem sentit Clemens Alex. strom. VII. Quidni igitur, quæso hi Patres opinati sunt hos interpretes quoad verba solum inspiratos fuisse, adeo ut Deus sensa apostolis dictantibus, verba amanuensibus suggesserit?

EPILOGUS.

Ex hucusque disceptatis colligitur merito a nobis rejici sententiam, quæ divinam inspirationem Bibliorum ad singula verba sese protendisse tenet. A veritate enim aliena est necnon calumniam redolet assertio Fernandez, qua dicit nos « ideo verbalem inspirationem asserere rejiciendam, ne rationalistas, *homœopatico* more, divinam doctrinæ admittentes originem, compellamus et verborum propugnare. » Incusari enim jure nequit, qui supernaturalem et in suo genere miraculosam operationem Dei admittere detrectat, si *a)* hæc *gratuito* asseritur, hoc est, non nititur argumentis adeo firmis, qualia in hujusmodi operationibus theologi jure requirunt; si *b)* hæc divina operatio omnino *superflua* est ad finem a Deo intentum; si denique *c)* afferri possunt *rationes minime spernendæ*, quibus illa excludi videtur. Porro, ut ex dictis manifeste adparet, hæc tria in re quam versamus, abunde verificantur. Idcirco 1° tuemur Deum ipsa verba in atomo determinata non semper, imo nequidem ordinarie scriptoribus antecedenter et determinate communicasse. Verba igitur formaliter sumpta in libris sacris a Deo auctore principe generatim per se non intenta fuere, ideoque vere pertinent ad partem, quam supra diximus, materialem librorum. Aliter proinde atque aliter se habere possunt, quin liber desinat ille esse quem Deus intendit : unde colligimus illico versiones Bibliorum, in quibus fideliter servata reperiuntur sensa inspirata, non minoris dignitatis neque in minori gradu, si ita loqui fas est, divinas esse, quam archetypa eorum exemplaria. Nihilominus 2° inficias non imus, qui-

opinionem historice vel critice dijudicare : solummodo eorum sententias pro scopo meo adduco.

busdam in locis Deum ipsa etiam verba in individuo scriptori suggessisse, et illud quidem duplici potissimum in casu concedendum arbitramur. *Primo* nempe, ubi occurrunt certa quædam vocabula, in quibus tota sive doctrinæ sive argumenti moles consistit, quod maxime locum habet, quando, ad sententiam presse dogmaticam accuratissime et secundum totam suam vim ac significationem exprimendam, aliquod verbum præ quocumque alio specialem habet virtutem et efficaciam. Hoc enim casu illa ipsa vocabula præ aliis a Deo per se intenduntur et ad libri rationem formalem spectant. Ita non absque probabilitate a Deo auctore repetuntur nomen *verbum* ὁ λογος in scriptis S. Joannis ac illud *semini* σπερματι in Gal. III, 16; tum ipsa Joannis formula, qua aptissime Incarnationis mysterium exprimitur : Verbum caro factum est, ὁ λογος σαρξ εγενετο, et hæc alia Pauli in Ep. ad Philip. : « Qui cum in forma μορφῃ Dei esset,... semetipsum exinanivit formam μορφην servi accipiens.... et habitu σχηματι inventus ut homo. » Item sacramentum Baptismi a Paulo commodissime appellatur *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti* (Tit. III, 5), homo per illud gratiæ restitutus vocatur *nova creatura* (Gal. VI, 15). Huc referri etiam potest locus Apostoli de peccato originali (Rom. V, 12), necnon vox illa græca θεοπνευστος, qua divinitas Scripturæ apte significatur, ac tandem locus ille eminenter dogmaticus, ubi mysterium unitatis naturæ et trinitatis Personarum in Deo lucide effertur (I Joan. V, 7). Sane in talibus summi momenti est præ cæteris *forma sanorum verborum*, quam, monente Paulo, zeloze custodit Ecclesia, quamque usurpat in suis formulis dogmaticis (1).

Secundo illud dicendum videtur de nonnullis locis præsertim propheticis, in quibus, propter rerum scribendarum naturam et scriptorum conditionem, non sine ratione supponitur hagiographos sensa inspirata sub determinatis vocibus

(1) Pariter non dicimus, uti confingit Fernandez, Moysen illa nomina Dei : *Ego sum qui sum; qui est misit me ad vos* excogitare et reperire debuisse, sed ipsum ea ex ore Dei audivisse, testatur sacer textus.

divinitus accepisse. Itaque, ut illud melius determinemus, distinguenda sunt in Scripturis loca prophetica, doctrinalia et historica. In his duabus ultimis speciebus rarissime verba a Deo inspirata fuisse censemus, quandoquidem illi conceptus utpote sæpe minus abstracti facillime verbis congruis efferuntur. Idem dicendum de locis propheticis quamplurimis, in quibus vel sub divino afflatu hagiographi vaticinia scripto consignarunt jam alias oretenus a se prolata, vel visiones sibi divinitus oblatas scripto retulerunt. Ubi vero in ipso actu scriptionis arcana vel vaticinia non sub figuris, sed in forma verborum primum revelata perhibentur, indubium est, præsertim ubi agitur de veritatibus abstrusioribus, scriptores sententias scribendas sive voce sensibili prolatas audivisse, vel saltem eorum mentem ita divino lumine fuisse perfusam, ut illas prope verbatim apprehenderint. Illud maxime præsertim tunc admittendum est, ubi sacri scriptores indicant se sub ipsa scriptione inspirata vocem Dei aliorumve audivisse, uti Joannes passim in Apocalypsi. Illud pariter negari vix potest quoad nonnulla loca, quæ præter sensum litteralem alium reconditum habent, videlicet mysticum. Hic quidem fundatur in rebus per verba expressis, attamen ex intentione Dei seu auctoris principalis subest etiam ipsis verbis, quibus nonnumquam subindicatur; porro hunc in finem postulatur sæpe determinatus verborum delectus, ordo ac dispositio. Itaque probabile admodum est, hoc in casu non solum sententias, sed tam ipsa verba quam ipsum elocutionis modum pressius a Deo antecedenter fuisse determinata. Tandem a nemine illud negatum iri reputamus, qui admittit, quod supponere nil vetat, scriptores non semper perfectam intelligentiam habuisse sive vaticiniorum quæ ipsis pandebantur, sive sensus mystici eorum quæ scribebant. Quod si admittatur, concedi pariter debet, tunc plerumque, si non ipsa verba in atomo determinata suggerebantur, non multum tamen ad inspirationem verbalem defuisse.

ART. III. DE ELOCUTIONIS INDOLE ET ELOQUENTIA SACRORUM LIBRORUM.

Hucusque agitata fuit controversia, utrum admittenda sit necne sententia de inspiratione verbali in vulgari ac rigoroso sensu intellecta, secundum quam Spiritus S. per formalem vel æquipollentem actionem dictandi Scripturas concinnasset, adeo ut singula in individuo verba Deo auctori sint adscribenda. Ast vero, rejecta etiam hac sententia, adhucdum inquirendum restat, an et quousque Dei inspirantis influxus admittendus sit in ipsam elocutionem seu indolem styli librorum sacrorum. Quisque jam advertit, nos hic eam distinctionem præ oculis habere, qua in libro quolibet distinguuntur tum res et sententiæ integre sumptæ, tum ipsa materialia verba in atomo sumpta, quibus illæ exprimuntur, tum denique, quod quasi medium inter illa interjacet, ipse elocutionis modus eaque dictionis ornamenta, quæ magis ad eloquentiam et sermonis leporem spectant, quæque discrimen determinant inter stylum vgr. sublimem et simplicem (1). De hoc porro ultimo distinctionis elemento nunc pauca sumus dicturi. Nemo non perspicit nos hic ingredi viam arduam et tenebricosam a paucis hucusque tritam. Haud equidem facile est accurate, dispescere in Scripturis elementum humanum ab elemento divino, atque presse

(1) Sedulo notetur non hic agi de ea indole librorum sacrorum, quæ eorum formam specificam constituit, quæque discrimen statuit inter librum v. g. historicum et propheticum, inter epistolam et dialogum (qualis est liber Job) : hanc enim ab ipsis sensibus inspiratis determinari liquido patet. Neque etiam agitur de librorum sublimitate vel simplicitate, quæ proprie a sensibus derivatur, quæque non eloquentia, sed potius sapientia audit. Notetur insuper nos hic res et sententias, sicut in antegressis, considerare non solum secundum sensum eorum substantialem ac præcipue intentum, sed secundum integram suam significationem atque peculiarem significandi modum. Itaque loquimur de ea elocutionis indole, quæ, salvis sententiis quoad integrum suum significatum, aliter atque aliter se habere potest.

definire quousque divinus influxus sese protenderit. Non enim illud liquido a Patribus docemur, nec ex aliis fontibus vel principiis certum quid concludere valemus.

I. Ut autem quid nobis in hac re verisimilius appareat, statim edicamus, censemus Spiritum S. supernaturali sua præveniente actione conceptus solum suggessisse, ea vero quæ referuntur ad modum scribendi et elocutionis indolem, *regulariter* loquendo, itidem ac ipsa materialia verba, scriptori humano esse tribuenda. Videlicet a scriptoris humani educatione, intellectuali cultura, indole, patria, aliisque personalibus dotibus repetendum ducimus discrimen illud, quod, sub ratione indicata, independenter a sensibus inspiratis, in sacris libris deprehendimus, quo nempe alii sublimitate et concinnitate styli splendent, alii vero, utut sensibus haud inferiores, rudi ac pedestri oratione procedunt. Rationes, quæ nos ad hanc sententiam amplectendam inducunt, eædem fere sunt, quæ nos ad sententiam de inspiratione verbali stricte accepta rejiciendam moverunt. Et re sane vera, imprimis evinci nequit Deum variam indolem, quam in singulis libris sensu indicato deprehendimus, in hisce conscribendis *per se* intendisse ac illis consequenter per proprie dictam inspirationem hanc individuam eloquentiæ formam contulisse. Ad hæc, mira illa diversitas styli, ob quam minime probavimus inspirationem singulorum verborum, manifeste non solum oritur ex vario delectu signorum in atomo sumptorum, sed etiam et quidem potissimum ex phrasium constructione, dictionis ornamentis, ac sermonis floribus, quæ alii quidem alia adhibuerunt, alii vero minime curarunt. Hujus porro discriminis ratio sufficiens alia commode non assignatur præter supra a nobis assignatam, quæ cæteroquin suffragio fulcitur SS. Patrum. Provocamus iterum ad virum præ cæteris summa auctoritate in hac re eminentem, scilicet ad S. Hieronymum. Porro ea, quæ supra ex hujus ore audivimus circa eloquentiam Isaiæ, quam Jeremiæ aliisque denegat, non spectant solum ad verba in atomo sumpta, uti verba ejus legenti manifesto apparet. Itaque S. Doctor non a Deo inspirante, sed a per-

sonalibus dotibus hagiographi repetit indolem styli et elocutionis diversitatem, non secus ac ipsa verba (1). Denique haud probe intelligimus, quo pacto auctor libri II Machabæorum tantos labores impendere totque vigilias insumere debuerit, ut *bene* et *concinne* librum suum confingeret, si *ea quæ spectant ad ornatum* divinitus ultro suppeditarentur ipsique solum verba in atomo sumpta conquirenda relinquerentur. Postremo haud prætereundum est illud incommodum, cujus contra inspirationem verbalem supra meminimus, quod scilicet hac in sententia Bibliorum versiones, quarum universalis, constans ac pene exclusivus est in Ecclesia usus, ratione dignitatis haud parum postponenda forent ipsis Scripturis authographis ; quod nemo facile dabit. Porro idem inconveniens, utut fors gradu minori, etiam subsistit, si major vel minor elocutionis concinnitas a Spiritu S. per se intenta et speciali sua operatione singulis libris indita dicatur. Etenim S. Hieronymus testatur se in Bibliis vertendis solum *sensum de sensu* expressisse, in transferendo Isaia florem sermonis non potuisse servare, et generatim in transpositionibus *styli decorem phrasiumque figuras ob diversum linguæ genus* reddere minime potuisse. Et reapse, ut nil dicamus de forma metrica, qua integri libri vel saltem notabiles partes, puta carmina, conscripta fuere, quæ sub hac forma in Bibliis nostris non habentur, in versionibus, quæ vel in Ecclesiæ usu adhucdum sunt vel aliquando fuere, haud semel inveniuntur mutatæ phrases ac constructiones verborum, nonnullæ metaphoræ vel alia orationis orna-

(1) Nobis favere videtur S. Thomas in 2. 2. q. 176 art. 1, ubi, agens de dono linguarum, primo sibi objicit, quod dicitur in Glossa (ordinaria Walafridi Strabonis) de Epistola ad Hebræos : « non est mirandum, quod Epistola ad Hebræos majore elucet facundia quam aliæ, *cum naturale sit* unicuique plus in sua quam in aliena lingua valere. » Hanc difficultatem ita solvit Angelicus, putans cum aliis Epistolam ad Hebræos hebraice, cæteras vero græce fuisse scriptas : « sufficienter et Paulus et alii Apostoli fuerunt nstructi divinitus in linguis omnium gentium, quantum requirebatur ad fidei doctrinam : sed *quantum ad quædam quæ superadduntur humana arte ad ornatum et elegantiam locutionis, Apostolus instructus erat* (scientia acquisita) *in propria lingua, non autem in aliena.* »

menta subinde omissa vel in alia, eamdem tamen sententiam linquentia, commutata. Quæ cum ita sint, nobis haud temerarium videtur concludere, illa pariter, de quibus hoc articulo loquimur, a Spiritu S. per se non fuisse intenta atque universim industriæ scriptoris fuisse relicta.

II. Verum hæc nostra sententia non excludit, quod Scripturis insit peculiaris quædam eloquentia ipsis propria, quæ Deo abjudicari minime potest. Ut autem pateat hanc non postulare, ut stylus elocutionisque modus in individuo a Spiritu S. determinentur, distinguatur oportet in sacris libris duplex eloquentia : altera, quam potius profanam dixeris, et quæ consistit in styli elegantia et in modo loquendi ornato multumque cumpto : hæc porro, quam hic supra regulariter naturalibus scriptoris facultatibus tribuimus, sicut manifeste non inest singulis libris sacris, ita omnium consensu quibusdam ita est propria, ut sub hoc respectu cedere non debeant optimis operibus profanis; altera, quam merito sacram vocaris, omnibus sacris libris est communis. Hæc vero partim derivatur ex rebus et sententiis, quæ, licet modo sublimes modo simplices, semper tamen sua veritate lectoris animum dulciter afficiunt, partim ex ratione loquendi tersa et concisa, qua apte et suaviter sensa Dei menti lectoris infunduntur et qua fit, ut tam indoctorum quam doctorum usui et instructioni Scripturæ inservire queant. Hæc porro eloquentia manet etiam in Bibliis translatis, dummodo adeo accurate reddita fuerint, ut non paraphrasium potius quam versionum nomen mereantur. De hoc elocutionis modo agit S. Augustinus, ubi in l. IV *de doctrina Christiana* sacrarum Scripturarum eloquentiam laudibus effert : non loquitur enim de fucata illa et fastosa eloquentia, quæ oratorum profanorum propria est, sed potius de illa, quæ styli candore idearumque simplicitate ac copia commendatur, quamque alibi appellat « admirandæ altitudinis saluberrimam humilitatem » (1). Cæterum luce clarius adparet in divinis litteris plerumque non occurrere

(1) De catechizandis rudibus, cap. VIII.

illam verborum luxuriem et pompam, illas longiores periodos, amplificationes elegantiores aliasve styli urbanitates, quæ ad dictionis leporem faciunt, quasque scriptores profani ad lectoris delectamentum venari solent. Sermo namque divinorum legatorum non est « in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis » (1). Eloquentia igitur Scripturis propria et conveniens ea est, qua accurate et apte veritates divinitus inspiratæ tam indoctis quam doctis omnium ætatum omniumque regionum, saltem sub magisterio Ecclesiæ constitutis, proponantur. Idcirco eos acriter vellicat Augustinus, qui nostrorum librorum simplicitatem irridere non vereantur : « cohibeant se tandem, inquit, qui litteris inflati sæcularibus, hæc ita posita, ut omnia pia corda nutriant, velut imperitum atque impolitum aliquid exagitent, sine pennis in terra reptantes, et volatu ranarum (*al.* volaturarum) avium nidos irridentes » (2). Ipsius enim judicio taliter locuti sunt sacri scriptores, ut *aliter loqui non debuerint :* « Est enim, ait, quædam (eloquentia), quæ viros summa auctoritate planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa : ipsis enim congruit, *alios autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate, sed soliditate transcendit* » (3). Quoties autem ipsi elocutionis ornamenta adhibent, illud faciunt in justa mensura « per alteram quamdam eloquentiam, *ut nec deesset eis, nec emineret in eis*... Et in quibus forte locis agnoscitur a doctis, tales res dicuntur, ut *verba quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subjuncta videantur :* quasi sapientiam de domo sua, id est, pectore sapientis procedere intelligas, et *tamquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam*, » seu, ut

(1) I Cor. II, 4 (2) De Gen. ad litt. l. I, cap. XX.

(3) L. IV. De Doct. Christ. cap. VI n. 9. Similiter S. Greg. M. (Mos. l. 20, cap. I) miratur quod Scriptura « dictis obscurioribus exercet fortes, et parvulis humili sermone blanditur,... quod legentis animum humilibus verbis adjuvat, sublimibus sensibus levat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod a rudibus lectoribus quasi recognoscitur, et tamen doctis nova semper reperitur. »

alibi dicit « *non attenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia* » (1). Igitur, judice Augustino, eloquentia profana a Spiritu Sancto intenta minime fuit, sed ea eloquentia, quæ Scripturis inest quamque sacram diximus, in eas derivata partim ex divinis sensibus in eis consignatis, partim ex modo, quo sub divina directione et assistentia sensa inspirata modo supra explicato exprimuntur. Quare concludimus, præter proprie dictam inspirationem rerum et sententiarum, quo jam confuse et remote tum verba, tum elocutionis modus subministrantur, generatim loquendo non aliam admittendam esse specialem Spiritus S. influxum in elocutionis modum præter peculiarem directionem et assistentiam, qua mens scriptoris in eligendis expressionum formulis, suæ indoli atque culturæ intellectuali accommodatis, ita manuduceretur, ut, incongruis et minus accuratis relictis, eas seligeret, quibus sincere, integre, et modo, tum sensibus inspiratis, tum librorum destinationi ad omnes omnium ætatum homines, convenienti, divina sensa exprimerentur. Hoc pacto abunde satis intelligitur, quomodo ex una parte Scripturis insint tanta dictorum profunditas, opulentia ac pulchritudo, et quomodo ex altera parte illa tam plane tamque apte sint enuntiata, ut S. Augustinus dicere potuerit : « Scriptura sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat » (2). Præterea hæc specialis directio sive assistentia sufficientem reddit rationem illius Ecclesiæ praxeos, qua in theologicis, liturgicis aliisque sacris disciplinis, quantum fieri potest, utatur ipsis Scripturæ verbis, quin ideo recurri debeat ad antecedentem, ac individuam elocutionis determinationem a Deo factam et scriptoribus inspiratam.

III. Quæ modo diximus, evidenter solum spectant modum divinæ inspirationis regulariter atque universim obtinentem,

(1) Lib. IV de Doct. Christ. l. c. nn. 10 et 21. (2) De Gen. ad litt. cap. III, n. 6.

ubi videlicet ex natura rei, vel ob conditionem scriptoris, vel ex libera Dei voluntate pressior determinatio non requiritur. Sicut enim ipsa materialia verba quandoque ad partem formalem librorum sacrorum pertinere diximus, ita et quidem multo frequentius admittendum erit, elocutionem in antecessum fuisse aliquanto pressius a Deo definitam. Et sane quoad illa loca sive prophetica, sive præter sensum litteralem alium mysticum continentia, in quibus inspirationem verbalem admittendam duximus, jam ex ipsa natura rei consequitur ipsam elocutionis indolem Deo esse tribuendam. Imo sæpius in hisce etiam contingere potest, ut non quidem ipsa verba dictata formaliter vel æquipollenter fuerint, nihilominus peculiaris aliquis modus sensa exprimendi sive verba componendi præ intentione Dei suum habuerit momentum, ac consequenter a Deo determinatus fuerit. Neminem etiam negaturum reputamus, quamvis id omnino certo demonstrari nequeat, sæpius minorem libertatem concessam fuisse hagiographis in verbis aliorum referendis, iis præsertim, quæ occasione aliqua extraordinaria a Deo, vel ab Angelo, vel ab alio divino legato prolata referuntur. Quamvis enim talia non semper quoad verba singula fideliter referantur, ut supra vidimus, nihilominus probabile oppido est Deum non sivisse, ut scriptores, solis sensibus retentis, a loquendi modo seu ab elocutionis indole in sermonibus illis referendis nimium recederent. Postremo Deo inspiranti adscribenda sunt non minus quam ipsæ res et sententiæ, ea quæ non proprie spectant ad merum ornatum, sed potius ad ipsa sensa vividius et sub ratione aliqua peculiari expressius proponenda. Hanc assertionem exemplis illustremus : occurrunt in Scripturis metaphoræ, allegoriæ, quibus conceptus uberrimi clarissime et cum aliqua emphasi lectori communicantur; ita, ex. gr. Ecclesia Nov. Test. exhibetur ut corpus organicum Spiritu Dei animatum, ut templum, ut Christi sponsa dilecta, ut ædificium supra firmum fundamentum ædificatum; synagoga judaica, semper Deo ingrata, modo assimilatur vineæ sterili, modo mulieri adulteræ; Dei misericordia erga homines comparatur affectui materno in

filios; mors ex improviso hominem invadens assimilatur nocturno furi, vel mulieri partus doloribus derepente correptæ, et ita porro. Præterea neminem latent pulcherrimæ illæ parabolæ, quibus Christus Dominus tam apte veritates morales proponere solebat. Jamvero indubium plane est, veritates sub illis formis expressas, alia oratione plana, figuris illis ac imaginibus nudata, efferri potuisse; quapropter posset quis illas allegorias stricte loquendo referre ad mera orationis ornamenta et elocutionis modum, de quibus in præsenti articulo sermo est. Verum ad oculum patet hanc loquendi rationem sæpe in Scripturis relate ad veritates expressas peculiarem prorsus habere aptitudinem atque emphaticam efficaciam, ac propterea plerumque has imagines ex ipso orationis ductu ad substantiam sermonis pertinere. Quare non sine ratione dicimus eas non mera dictionis ornamenta esse, sed ipsis sensibus integre spectatis esse accensendas ac porro illas sententias præveniente Dei actione sub determinatis istis imaginibus divinitus fuisse inspiratas (1). Improbabile etiam non est, Deum in hisce casibus, in quibus ipsum elocutionis modum pressius definivit, sese aliquantisper, quantum præ fine principali licebat, accommodasse elocutionis indoli ab ipso hagiographo usurpari solitæ, ut liber non tantum ratione sensuum inspiratorum, sed etiam quoad externam formam unitate quadam et uniformitate præfulgeret.

Corollarium. Ex dictis de necessitate divinæ assistentiæ et directionis in scriptione inspirata, et nominatim ex hujus articuli numero II, patet in hoc præsidio Spiritus S. æquivalenter includi vel cum eo coincidere *gratiam sermonis* quoad ipsum orationis modum. Hanc autem gratiam eo spectare docet S. Thomas ut « quis efficaciter loquatur (scribat), ad instruendum intellectum, ad movendum effectum, ad flectendum auditorem (seu lectorem) » (2). Ejus convenientiam ac veluti necessitatem his verbis proponit idem Angelicus : « Quia illi, qui a Deo revelationem accipiunt, secundum

(1) Cfr. S. Thomas. 3 p. q. 60, a. 5, ad 1m. (2) 2. 2. q. 177, art. 1.

ordinem divinitus institutum, aliquos instruere debent, necessarium fuit, ut etiam his gratia locutionis daretur, secundum quod exigeret utilitas eorum qui erant instruendi » (1). Inde consequitur, quod supra diximus, Dei præsidium non modo eo pertinere, ut sacri scriptores quomodocumque sententias inspiratas sincere scripto excipiant, verum ut verba, stylus totaque scriptionis ratio Deo digna sint ac mentibus lectorum divina sensa et judicia apte fructuoseque ingerant. Quocirca adhuc unum notatum velim, ad quod non satis attenderunt nonnulli sacri interpretes, ac præsertim nostra ætate non attendunt quidam viri cæterum pii ac eruditi, nempe Spiritum S. quidem nonnumquam permisisse, ut hagiographi adhiberent verba et expressiones, quæ minus propria sunt atque ideo per se, abstracta a contextu, sensum inspiratum aliquantum vage et ambigue reddunt, ast numquam sinere potuisse, ut hagiographi in sua ratione scribendi a communi loquendi modo adeo longe recederent, ut, attentis sanæ interpretationis regulis, hoc est, spectatis textu, contextu, et locis parallelis, attentoque etiam in locis ambiguis canone negativo rectæ interpretationis, hoc est, ratione habita veritatum rationalium et experimentalium, genuinum sensum a Spiritu S. intentum minime assequi valeas. Hæc speciali demonstratione non indigent post ea, quæ diximus ad probandam divinæ assistentiæ necessitatem.

ART. IV. DE ORDINE QUO SENSA INSPIRATA REFERUNTUR.

Non omittendum quod pariter est in quæstione, utrum nempe ad ordinem quoque, quo res narrantur vel sententiæ disponuntur, particularis et antecedens operatio Dei inspirantis se protendat, ita ut, ex. gr., dubitare nefas sit res eo ordine chronologico gestas esse, quo in Bibliis contexuntur.

Ut autem a generalioribus ad magis specialia gressum faciamus, ante omnia observandum ducimus, tum ex ratione

(1) Contra Gent. l. III, cap. 154.

auctoris libri, tum ex doctrina statim vindicanda de inspiratione omnium et singularum sententiarum, ultro inferri, rationem genericam, juxta quam Scripturæ libri vulgo discriminantur in *sapientiales*, *propheticos* et *historicos*, ab antecedenti voluntate Spiritus S. esse repetendam. Hæc enim discriminis ratio tum ipsis rebus et sententiis formaliter constituitur, tum ex communi acceptione ad rationem formalem libri pertinet, ac proin ab ejus auctore per se intenditur. Præterea illud scribentis consilium non modo determinat genericam libri indolem, sed etiam rationem ejus specificam, quæ variare potest in eadem generica librorum classe. Ita v. g. specifice differt liber historicus, in quo presse secundum ordinem chronologicum eventus consignantur, a libro itidem historico vel potius historico-dogmatico, destinato nempe ad docendam aliquam veritatem per facta narrata, vel ab epistola, qua alteri facta narrantur absque ullo fere ordine, sed solum prout res probanda postulat vel res gestæ menti scribentis sese offerunt. Hanc porro indolem specificam eodem pacto iisdemque de causis ad auctorem libri esse referendam nemo non videt.

I. Hisce prænotatis, de memoratis librorum classibus, quod attinet rerum dispositionem, ex ordine loquemur. Et quidem 1° in libris, quos *sapientiales* vocant, minime occurrit rerum et eventuum ordo chronologicus, quia in eis, qua talibus, facta historica haud referuntur. Horum namque alii constituunt collectionem quamdam veritatum religiosarum sententiarumque moralium, quæ inter se nullo ordine, sæpe nequidem logico connectuntur : hujusmodi sunt libri Proverbiorum, Ecclesiastici etc. Alii referti sunt sententiis, quibus piissimi quique motus in Deum exprimuntur, scilicet orationis, laudis, gratiarum actionis, doloris de peccatis etc. : horum præcipui sunt plerique Psalmi, in quibus ad summum logicus aliquis idearum nexus invenitur. Unde patet in hujusmodi scriptis locum non dari quæstioni, utrum ordinem sententiarum inspiraverit Deus, quando quidem ordo, si quis conceptibus interjacet, logicus cum sit, rebus ipsis sententiisque inest, ac proin earum dispo-

sitio eatenus solum a Spiritu S. intenditur, quatenus res et sententias ipsas ad scribendum inspirare voluit. Quod vero 2° spectat libros *propheticos*, si in iis vel expressis verbis vel æquivalenter indicetur ordo, quo res futuræ in tempore sese sint excepturæ, evidens est hoc casu ipsum eventuum ordinem a Deo revelatum atque ad scribendum esse inspiratum, non minus quam facta ipsa quæ præmonstrantur. Sæpius tamen in his plures ac diversissimæ texuntur eventuum futurorum historiæ, quin ullo pacto temporis nexus inter illos deprehendi valeat; quo casu ex eorum successiva relatione inferri nequit chronologica eorum successio in eventu. Hujus rei ratio est in peculiari indole visionis ac locutionis propheticæ. Sæpe enim res futuræ sive sensibus sive imaginationi prophetæ contemplandæ simul plures objiciuntur, absque ulla cum tempore cognatione; unde fit, ut non raro vates res futuras oratione continenti ita prænuntient atque raptim de una ad aliam rem transeant, ac si, omni prorsus temporis differentia seposita, in eventu simul concurrerent et in idem tempus inciderent, quamvis nonnumquam prolixis annorum intervallis ab invicem distent. Ex hoc autem propheticæ visionis charactere non sequitur prophetiam erroneam esse, sed solum scientiam et cognitionem prophetæ sæpesæpius esse imperfectam, scilicet Deum noluisse etiam ordinem chronologicum eventuum vatibus suis revelare vel ad scribendum inspirare.

II. Age jam quid dicendum 3° de libris *historicis*, ratione quorum hæc quæstio proprie ventilatur? Quæritur nimirum an res gestæ sive sint facta quæ narrantur, sive sermones qui referuntur, eo ordine in Scripturis fuerint consignatæ, qui ad amussim respondeat ordini historico. Difficultas nulla est, ubi in narratione successiva expressis verbis sive æquipollenter significatur unum factum aliud immediate vel post determinatum temporis lapsum excepisse : tunc enim hæc ipsa temporis indicatio, sententia cum sit, a Deo inspirata est et eventuum successio ex infallibili Dei verbo nobis innotescit. Solum itaque inquirendum est, utrum in libris historicis, eo quod sint historiæ inspiratæ, facta eo ordine

evenisse credendum sit quo narrantur, etiam ubi eorum chronologica successio neque directe neque indirecte indigitatur, sed simpliciter unum factum post aliud a scriptore theopneusto refertur. Porro juxta superius exposita distinguendum est inter diversos libros, spectata diversa eorum indole. Scilicet *a*) si liber est hujusmodi, ut proprie dictam historiam contineat, in qua videlicet auctor gesta præterita secundum eorum chronologicum ordinem digerere sibi proposuerit, ipsa factorum juxta objectivam successionem ordinata conscriptio per se intenditur, ac porro pertinet ad rationem formalem libri. Si qui igitur inter libros sacros hunc characterem præ se ferunt, ordo chronologicus a Deo per se intentus est, ac consequenter ad hanc divina auctoritas est extendenda. Hujusmodi esse reputamus cum P. Patritio partem Pentateuchi, maxime Genesim et Exodum, libros Jozue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Esdræ, Tobiæ, Judith, Esther, Machabæorum et Actuum Apostolorum (1). Quodsi vero *b*) scriptor sacer haud sibi proponit scopum solummodo historicum, sed etiam immediate per facta narrata doctrinam aliquam, puta dogmaticam, demonstrare vel illustrare sibi proponit, facta frequenter contexuntur non solum ratione habita temporis quo evenerunt, verum etiam, attenta interna eorum similitudine, eo ordine conjunguntur, qui ad sententiam primariam demonstrandum magis idoneus appareat. Hanc indolem plus minus præ se ferunt Evangelia, præsertim Matthæi et Marci, qui uterque scopum historico-dogmaticum prosequitur. Prior nempe

(1) Notandum tamen est, huic ordini quo res narrantur non semper in hujusmodi libris esse ita presse insistendum, itidem ac si singula quæque minoris momenti incisa absque ulla exceptione ordine historico accurate digesta invenirentur. In sacris enim libris historicis, juxta ac in historiis profanis, contingere potest et contingit, ut, data occasione, aliqua per anticipationem exponantur, quæ juxta seriem temporis differenda erant, vel etiam ad opportuniorem locum remittantur, vel per recapitulationem rursus memorentur. Cfr. S. August. qu. 30 in num. Cl. Schmid illud idem indiscriminatim advertit quoad libros memoratos et quoad Evangelia. Puto tamen hæc ultima a ratione libri mere et rigorose historici magis recedere quam priores, ut mox in textu dicemus.

Judæis ostendere aggreditur Jesum esse Messiam promissum; posterior vero similem pene scopum sectatus, simul postulationibus Romanorum cedit, quatenus doctrinam Christi a B. Petro ipsis prædicatam, scripto eis relinquit. Exinde porro fit, ut uterque plura omittat atque, sæpius temporis ratione insuper habita, plures factorum hysterologias admittat (1). Pariter summa consilii, quod S. Joannes sumpsit Evangelium conscripturus, haud fuit ut secundum ordinem chronologicum contexeret historiam vitæ Christi Domini, sed ut adversus errores jamjam grassantes probaret Jesum esse Filium Dei. Hocce autem consilium potissime perfecit exponendo sublimitatem doctrinæ Christi. Quamobrem se magis sollicitum præbet de iis referendis, quæ Christus verbo docuit, quam de iis quæ gessit. Quamvis porro apud ipsum Christi sermones et documenta ordine quodam temporis sibi invicem succedant, frustra tamen penes ipsum quæreres integram et chronologicam vitæ Christi historiam. Econtra chronologicum gestorum processum melius sectatus videtur S. Lucas, qui illud sibi propositum esse in exordio sui Evangelii ipse significat : « Visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, *ex ordine tibi scribere* καθεξης σοι γραψαι. » Qui itaque cum plerisque interpretibus hæc verba de ordine historico accipienda esse reputat, ex dictis admittat oportet, hunc præ intentione Lucæ seu Spiritus S., principis auctoris, ad partem formalem sui libri pertinere adeoque presse fuisse servatum. Necessarium tamen est, ob ipsum rei momentum, ut verba S. Lucæ, quibus suum exerit consilium, rite ponderentur, nec major vis eis subjiciatur quam verba rite intellecta postulant. Quapropter Patritius, illud monitum secutus persentiensque Lucam hic illic, maxime in rebus minoris momenti, ordinem historicum deseruisse huncque

(1) Vix notatu opus est ordinem rerum non ita prorsus perturbari, ut generalis aliqua historica methodus non servetur : secus libri nonnisi illusorie vocarentur historici. Quæ dicimus in textu potissimum spectant singularia facta quæ historiam complent.

nonnumquam ab aliis Evangelistis melius servari, verba procemii hoc sensu restricto intellexit, quod ipse solum res gestas *Christi Domini*, non autem aliorum, quorum mentio in Evangelio occurrit, ex. gr. Joannis Baptistæ, *ex ordine* scribere instituerit. Deinde consilium historiæ contexendæ tantummodo extendit ad *res*, quæ narrantur, non autem ad sermones aliorum, qui referuntur. Unde consentit Evangelistam verba quædam, quæ non simul prolata fuere, in unum locum subinde congessisse (1). Ex his concludendum arbitramur S. Lucam, si vox ab ipso adhibita καθεξῆς nonnisi de ordine historico intelligi valet, accuratius quidem cæteris Evangelistis, non tamen ad amussim et usque ad minima quæque ordinem historicum sectari voluisse (2). Hæc longius persequi nostri haud est instituti : qui igitur illa minutim expendere cupit, adeat Scripturarum interpretes.

Superest ut paucis diluamus difficultatem, quæ facile hic quemquam anxium tenere posset. Nimirum, si conceditur Spiritum S. omnia et singula sensa scriptori humano suggessisse, absonum videtur dicere facta narrata non semper ordine historico relata fuisse. Ex hoc enim ultro sequeretur Deum consulto ordinem rerum historicum pervertisse. Hunc scrupulum facile tibi eximes, dummodo in memoriam revocaveris 1° scriptorem humanum frequenter ea, quæ scripto consignare vult Deus, maxime historica, jam aliunde mente cognita habere. Quo casu diximus Spiritum S., si aliunde ejus consilio nil obstet, scriptorem illuminare atque movere supernaturaliter, ut ea, quæ antecedenter noverat vel cogitabat, scripto consignet, servando eum ordinem quo facta narranda menti ejus obversabantur. Unde Patres sæpe dicunt sacros scriptores eo ordine res litteris mandare,

(1) De Evangeliis l. II, procem. n. 8. Cfr. lib. I, c. c. I-IV.

(2) V. Schmid not. ult. ad n. 295. Observant interpretes S. Lucam melius quidem reliquis Evangelistis ordinem sequi chronologicum quoad seriem factorum, non tamen ita accurate alicujus facti singularis adjuncta ordinare. V. P. Corluy. Comm. in Evang. Joannis. Dissert. prævia ad cap. XIII. quær. 3° et 4°.

quo ipsis in mentem veniebant (1). Dici igitur nequit Deum ordinem rerum inspirando immutasse, sed solum non correxisse. Porro 2° quoties Deus non sibi proposuit historias proprie dictas conscribere, ratio minime suberat cur hunc ordinem corrigeret, quem corrigere nil referebat. Imo 3° habita ratione primarii ejus consilii e re esse poterat, ut, neglecto ordine historico, facta propter internam eorum similitudinem in unum coacervarentur, vel alicujus sermones non uno tempore prolati simul referrentur.

Ex hucusque disceptatis concludere fas est, ordinem et dispositionem rerum scriptarum secundum diversam librorum indolem, sive quod in idem recidit, varium scribentis consilium vel pertinere ad partem formalem libri ac proin contineri sub divina inspiratione, vel ad partem materialem, ac proin solum ad assistentiam divinam esse referendam.

(1) Illud testantur inter alios Papias Hierapolitanus de Marco ap. Euseb. H. E. l. III, n. 39, et Augustinus de omnibus Evangelistis indiscriminatim, in lib. *De Consen. Evangel.* l. II n. 27, 28. Temperare nobis non possumus, quin hic loci perscribamus ea, licet prolixiora, quæ in eodem libro n. 51 habentur : totam enim nostram doctrinam dilucide confirmant : « Hoc (sanatio socrûs Petri, Matth. VIII) quando factum sit, id est, post quid vel ante quid, non expressit Matthæus. Non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intelligatur. Nimirum tamen iste hoc recoluisse intelligitur quod prius omiserat. » Collatis igitur Marco et Luca, inquirit quo loco ponenda sit hæc sanatio, ac sic pergit : « Quid autem interest quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante præoccupat, dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, nec sibi nec alteri ? Quia enim nullius in potestate est, quamvis optime fideliterque res cognitas, quo quisque ordine recordetur, satis probabile est quod unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quæ narrabat ejus recordationi suggerere, in eis dumtaxat rebus, quarum ordo, sive ille, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique Evangelicæ. Cur autem Spiritus Sanctus... alium sic alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quæsiverit, divinitus adjutus poterit invenire... Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit ; ubi autem apparet, si quid moverit quod sibi aut alteri repugnare videatur, utique considerandum et enodandum est. »

CAPUT II.

DE EXTENSIONE DIVINÆ INSPIRATIONIS AD OMNES RES ET SENTENTIAS.

PRÆAMBULA.

Ut ipsa inscriptio capitis innuit, tractanda hic venit quæstio, quæ ad dignitatem Scripturarum tum cognoscendam tum opportune vindicandam quamplurimum conducit. Omnia, quæ in antegressis fuerunt tractata quoad factum et naturam inspirationis, necnon ea quæ modo diximus de inspiratione verbali, admittere quis nobiscum potest, quatenus ea applicat iis Scripturarum partibus seu textibus, ad quos inspirationem porrigi profitetur, quin tamen quoad realem inspirationis extensionem concors nobis existat. Iis enim, quæ capite mox absoluto explanavimus, solummodo negative assignavimus limites inspirationis Bibliorum, ostendendo nempe eam generatim haud protendi ad verba et stylum, adeoque per excessum peccare illos qui hanc extensionem universim tuentur. Ast præsenti hoc capite positive ac magis determinate aliquid statuendum assumimus, ostendendo nimirum omnes conceptus in Scripturis consignatos, esse verbum Dei seu habere Deum auctorem. Quapropter eos nunc refutandos habemus, qui hac in re per defectum peccantes alia atque alia ratione divinum influxum, etiam quoad sensa, restringendum duxerunt. Quid autem nomine veritatum seu rerum ac sententiarum intelligamus, tum per se sat clarum est, tum in antegressis jam indicatum fuit, tum in decursu disceptationis quam inchoamus clarius patebit.

ART. I. SYNOPTICA HUJUS CONTROVERSIÆ HISTORIA.

Tam constanti et firma persuasione usque retenta fuit et credita in Ecclesia omnimoda divinorum librorum inspiratio, ut, teste historia, priscis Ecclesiæ sæculis nullus intra

sinum Ecclesiæ repertus fuerit, qui in aliquo Scripturarum libro errorem aliquem notare, vel alicui sententiæ auctoritatem divinam abjudicare fuerit ausus. Non defuere quidem inter hæreticos aliosve neotericos ab Ecclesiæ gremio extorres, qui vel integros libros rejecerint, vel in ipsis libris, quos ut sacros retinebant, non omnia divina auctoritate pollere, imo et hagiographos sibi relictos nonnullos errores sacris libris inseruisse dictitarint; verum ad tales excessus eatenus solum adducti fuere, quatenus arbitraria sua placita absurdaque principia a se adinventa ipsis Scripturis applicaverint, vel quatenus a catholicis ex textibus Scripturæ ad angustias redacti, non alio pacto istorum argumentis subducere se potuerint, nisi negando divinam illorum eloquiorum auctoritatem (1).

Recentiori vero ætate non defuit unus alterve catholicus, qui liberiorum opinionum plus æquo avidus opinatus sit, sacros scriptores in libris canonicis spiritu interdum humano absque divino lumine locutos esse, atque naturali imbecillitate errasse. Ita Erasmus, qui sane in multis liberioris se præbuit ingenii, scribere non dubitavit : « Spiritus ille divinus, mentium apostolicarum moderator, passus est suos ignorare quædam et labi errareque alicubi judicio sive affectu, nullo incommodo sui Evangelii » (2). Recentius idem opinatus est Holden, qui inspirationem, quam tacito hoc nomine speciale vocat Dei præsidium, dumtaxat ad ea sese porrigere autumavit, « quæ vel sint pure doctrinalia vel proximum aliquem aut necessarium habeant ad doctrinalia respectum; in iis vero, quæ non sunt de instituto scriptoris, vel ad alia referuntur, eo tantum subsidio Deum illi adfuisse judicavit, quod piissimis cæteris auctoribus commune sit » (3). Concedit tamen ad rationem Sacræ Scripturæ requiri, ut nihil contineat « a veritate quacumque dissonum aut alienum. »

(1) Cfr. Denzinger, o. c. n. 118.

(2) In Matth. II. 7. (3) In op. *Divinæ fidei analysis*. Lib. I, cap. V. lect. 1ª, in qua eruditus ille vir plurima de Scripturis adstruit minus accurata (ut non dicam erronea), adeo ut manifestum sit nullatenus eum habuisse veram notionem naturæ et dignitatis Scripturarum.

Nostris autem diebus, pauci quidam viri catholici sane eruditi, necnon de religione deque scientiis optime meriti, hanc opinionem in Ecclesia prope incognitam expressius et disertius propugnare exorsi sunt. Tenent nimirum illi divinam inspirationem librorum sacrorum tantummodo se extendere ad *veritates religiosas*, ut aiunt, hoc est. tum ad eas, quæ per se pertinent ad fidem supernaturalem et ad mores, tum ad illas, quæ, licet in se mere sint profanæ, nexum habent sive historicum sive logicum cum illis prioribus tamquam cum earum fundamento. Quod vero spectat ad veritates mere historicas, scientificas vel chronologicas, quæ illum nexum non habent, illas Deo auctori tribuendas minime esse, ac porro pertinere ad humanam criticam inquirere et judicare, utrum hujusmodi veritates admittendæ sint an repudiandæ. Pronum est conjicere, eos in hujusmodi rebus profanis, ut aiunt, non raro Bibliis reales affingere errores. Istud quidem gratiæ apponimus illis viris catholicis, quod optima intentione in hac tuenda opinione fuerint ducti, siquidem in isthac medium se invenisse gratulantur conciliandi nostra Biblia cum scientiis profanis, ac vindicandi fidem nostram ab irrisionibus incredulorum et hæreticorum. At ineptum ac inutile tentamen, ut videbimus.

Jam quidem inter eos, qui nostra ætate huic sententiæ tamquam certæ vel saltem tamquam probabili calculum adjecerunt, eminent potissimum Guizot (1), Lenormant (2),

(1) In op. *Méditations sur l'essence de la religion*. Paris. 1864. T. I, p. 154 seqq. Ap. Ill. Lamy l. c. n. 33.

(2) Lenormant hanc sententiam aperte promovit in variis suis operibus maxime in op.: *Les origines de l'histoire d'après la Bible*. Paris. 1880-1882. In hujus præfatione eam in Ecclesia omnino tutam esse docet : « Les décisions de l'Eglise n'étendent l'inspiration qu'à ce qui intéresse la religion, touche à la foi et aux mœurs, c'est à dire, seulement aux enseignements surnaturels contenus dans les Ecritures ». Ap. Swolfs. *La création et l'œuvre des six jours*. 1885 p. 40. Consequenter ipse sine ambagibus admittit in variis Scripturæ locis contradictiones et errores historicos ac scientificos. Nominatim de Genesi dicit : « Ce que nous lisons dans les premiers chapitres de la Genèse, *ce n'est pas un récit dicté par Dieu lui-même*, et dont la possession ait été le privilège exclusif d'un peuple choisi... Les premiers

auctor Germanus dissertationis : « De Bibliorum inspiratione ejusque valore ac vi pro libera scientia » quam refutavit Em. Franzelin (1). Nuperrime sententiam aliquam similem, ast non adeo laxam in medium protulit in opere apologetico vir spectatissimus, Emin. Card. Newman, splendidum illud lumen Anglicæ Ecclesiæ reviviscentis (2). Operæ pretium ducimus, hujus doctissimi athletæ sententiam brevi saltem calamo enarrare. Postquam scilicet statuit, soli magisterio Ecclesiæ competere auctoritativum judicium de iis quæ circa Scripturam, ejus partes assertionesque ab omnibus tamquam divinitus revelata credenda sint, decernit duo solum dog-

chapitres de la Génèse constituent un *livre des origines*, conforme à ce qu'on en racontait de génération en génération en Israël depuis les temps des Patriarches, et ce qu'on en racontait chez ce peuple est pareil, dans toutes ses données fondamentales, à ce qu'en disaient les livres sacrés de l'Euphrate et du Tigre. » Et rursus l. II p. 324 asserit : « Le tableau généalogique des peuples issus de Noa'h est un document purement humain dans son origine et son caractère. Qu'il doive s'y trouver des inexactitudes, des erreurs, c'est ce que l'orthodoxie la plus scrupuleuse n'a aucune raison de ne pas admettre. » Ap. Ill. Lamy. *In commen. in Gen.* Proleg. in Pentat. Conformiter ad hæc principia eruditus ille vir docet prima Geneseos capita mythis gentium esse referta.

(1) In appendice ad Tr. de divina Traditione. Edit. 2ª, 1875.

(2) Em. Card. scripsit mense Februario an. 1884 in op. periodico : *The Nineteenth Century*, articulum cui titulus : *On the inspiration of Scripture*, in quo Ecclesiam Romanam vindicare nititur ab accusatione in vulgum Angliæ sparsa, quod catholici teneantur fide credere assertiones Bibliorum conclusionibus modernæ scientiæ et historicæ criticæ manifeste adversantes. Piissimus vir, reditum Anglicanorum ad Ecclesiæ gremium maxime cordi habens, novam hanc opinionem qua in Ecclesia probabilem in subsidium vocat ac tuetur, quamvis, nostro quidem judicio, aliquantisper obscure eam exposuerit Vide P. Brucker in op menstruo : *La Controverse et le Contemporain*, Décembre 1884 et Janvier 1885. Articulum gallice translatum integrum reperies in op. parili : *Le Correspondant*. 1884. livr. 25 Mai. Opinionem Em. Newman statim impugnavit Clar. (nunc Illust.) D. Healy in opere menstruo : *Irish Ecclesiastical Record.*; at eam propugnavit D. Walworth in *Catholic World* Neo-Eboraci. Refutationi Ill. Healy responsum dedit Em. Card. sub forma *Postscripti* ad priorem suum articulum, eique per modum tituli quæstionem tractandam præmisit his verbis : « *What is of obligation for a catholic to believe concerning the inspiration of the canonical Scriptures.* » In hoc porro opusculo mentem suam apertius pandit.

mata ab Ecclesia hac in re esse definita : scilicet primo, Scripturam integram (throughout) esse divinitus inspiratam in rebus fidei et morum; deinde Ecclesiam esse infallibilem interpretem textus inspirati in rebus fidei et morum (1). Quærit jam sub quonam respectu (in what respect) libri sacri sint inspirati, sibique respondet id non posse esse sub omni (every) respectu. Illud autem probat nominatim ex decretis Tridentinis et Vaticanis, in quibus inspiratio restringitur ad « res fidei et morum. » Haud tamen excludit ab inspiratione divina quæstiones facti, sed istas inspiratas censet eatenus, quatenus sunt manifestativæ divinæ Providentiæ, explicativæ divini consilii circa historiam generis humani, vel propheticæ seu figurativæ œconomiæ evangelicæ (2). Hoc sub respectu historia sacra est inspirata, habetque Deum auctorem. Itaque Em. Card. non restringit objectum inspirationis ad textus stricte et ex sese doctrinales. Ast nulla difficultate se impediri fatetur, quominus admittat in Scripturis existentiam *obiter dictorum* non inspiratorum. Hæc tamen numquam esse posse, ut in decretis Conciliariis, doctrinalia; neque umquam hoc sub nomine posse venire facta miraculosa (3). Igitur penes ipsum *obiter dicta* sunt phrases, membra phraseon seu propositionum, quæ spectant merum factum seu quæ, cum ad fidem vel mores nequaquam pertineant, elemento humano queunt accenseri in Scripturarum confectione. Talia essent relatio de penula Troade relicta apud Carpum, assertio libri Judith, quod Nabuchodonosor esset rex Ninivitarum (4).

Itaque examinandum modo est, utrum saltem cum probabilite propugnari valeat, Sacram Scripturam non esse divinitus inspiratam in omnibus rebus et sententiis in ea consignatis, et nominatim hagiographos divinum illum impulsum dumtaxat habuisse, ubi veritates stricte et in se religiosas vel ad eas pertinentes scripto exaraverint. Nos quidem arbitramur imprimis huic sententiæ obstare quamplurima momenta et potissimum ineluctabilem Traditionis auctoritatem;

(1) In 1° art. nn. 8 et 9. (2) L. c. n. 13. (3) L. c. n. 26. (4) *Proscript.* § 3.

deinde eam nullo videmus argumento fulciri, quod alicujus theologi assensum, non dicam trahere, sed merito inclinare valeat; ex quo inferimus hanc opinionem certo non gaudere tali probabilitate, ut in interpretatione Scripturarum in praxim possit deduci, vel acatholicorum telis tamquam Ecclesiæ doctrina utcumque queat apponi. Non agemus *separatim* de duabus opinionibus modo recensitis, quarum prior, quam propugnat Lenormant, inspirationem restringit ad veritates religiosas, altera, quam post paucos vetustiores tuetur Em. Newman, ab ea solum excipit minutissima quædam, qualia sunt salutationes ab Apostolis adnexæ epistolis, vel quæ habet Paulus de penula relicta Troade, et quæ in Tobiæ libro leguntur de cane caudam agitante. Utraque enim simul refutata erit, dummodo demonstratum a nobis fuerit Scripturas quoad omnia sensa in eis expressa Deo auctori esse tribuendas. Quæ de alterutra specialiter dicenda videntur, suum in dicendis congruum invenient locum. Itaque tuemur non solum nullam in Scripturis, *prout ab autographis profectæ sunt*, contineri sententiam erroneam, hoc est, quæ repugnet vel veritati alias in Scripturis assertæ, vel veritati cuicumque naturali aliunde certo demonstratæ; sed etiam *nullam in iis reperiri assertionem, quæ sub impulsu Spiritus S. in ea consignata haud fuerit, adeoque in sensu quo ab hagiographis qua inspiratis scripta fuerit, divina non gaudeat auctoritate.*

ART. II. PROBATUR NOSTRA SENTENTIA.

Antequam ad proprie dicta argumenta deveniamus paucis præmonuisse juvat, cur hac in quæstione tractanda methodo prorsus alia utamur, quam illi, a quibus dissentimus. Ipsi nempe veluti a priori et ex ipsa rerum intestina necessitate quæstionem hanc dirimere student. Nimirum alii ex fine, quem Deum sibi in Bibliis conscribendis præstituisse contendunt, ultro inferunt Deum nonnisi veritates in se religiosas ad scribendum inspirasse; alii vero ex difficultatibus, puta, contradictionibus vel erroribus scientificis, quibus

Biblia scatere prætendunt, conjiciunt hæc in singulis suis assertis θεοπνευστα minime esse. Nos vero methodo opposita, sicut in quolibet dogmate revelato, utendum ducimus. Et re sane vera, divina inspiratio sacrorum librorum est liberum ac supernaturale Dei opus, cujus existentiam, naturam et extensionem cognoscere non datur, nisi testimonio divino, uti supra probavimus; proinde ejus amplitudo inquirenda est in divina revelatione, prout hæc in Ecclesia Dei conservatur ac declaratur; aliis verbis : finis operantis modusque et quantitas operationis securius cognosci nequeunt, nisi ex ipsa operantis testificatione. Quapropter sensus catholicus imprimis investigandus est; quo demum cognito, licebit nobis *pressius* declarare finem, quem Deus in librorum sacrorum confectione intenderit, necnon definire modum, quo scopum suum primarium et principalem, scilicet instructionem hominum de rebus fidei et morum, attingere decreverit. Itaque statuemus imprimis, secundum Ecclesiæ doctrinam et fidelium persuasionem, quæ ex illa dimanat, sacras litteras ita Deo tribuendas esse, ut omnes et singulæ sententiæ in iis consignatæ sint ratione scriptionis verbum Dei, simulque ostendemus illam unanimem fidem niti ipsorum Bibliorum effatis necnon Patrum unanimi doctrina. Postmodum refellemus argumenta, quæ utcumque huic novæ opinioni patrocinari vel aliquam probabilitatem adscire videri cuiquam possent.

§ 1. *Rationes theologicæ ex sensu et doctrina Ecclesiæ petitæ.*

I. Non pauci theologi novam hanc opinionem nobiscum impugnantes utuntur argumento quodam, cui tanto majorem vim tribuunt, quod ipsam possibilitatem restrictæ inspirationis excludere ipsis videatur. Aiunt nempe impossibile esse tuto secernere in Scripturis veritates religiosas seu cum his connexas a veritatibus mere profanis; consequenter, aiunt, impossibile prorsus fuit, ut Deus solummodo illas, non autem has ad scribendum voluerit inspirare. Nobis quidem tantam vim huic argumentationi concedendam non

ducimus. Verum, si alio modo proponitur, hoc est, si simul ratio habetur defectus normæ in Ecclesia, qua textus inspirati a non inspiratis distinguantur, ille arguendi modus præbet non solum vehemens præjudicium, sed et verum argumentum, negativum quidem, positivo tamen æquivalens, quo adversariorum opinio mirum quantum infirmatur. Quapropter prohibere nos haud possumus, quin illud in disputationis limine adversariis opponamus. Cæterum suum hic invenit locum, quum, prout a nobis proponitur, indirecte fluat ex sensu Ecclesiæ.

Imprimis, absolute quidem impossibile nobis non apparet, ut unus idemque scriptor in eodem libro componendo modo divinitus inspiratus sit, modo suæ propriæ industriæ relinquatur. Sicut enim Spiritus, ubi vult, spirat, ita et quando libet; et quemadmodum prophetæ non semper lumine prophetico illustrantur, sed sæpe, privatim saltem, ut meri homines loquuntur, ita non omnino repugnat alicujus libri scriptorem nunc sub divino afflatu sensa Dei, nunc ex privato spiritu propria opinamenta litteris mandare. Ast ut, quod de hac ratione agendi sentimus, integre aperiamus, nobis videtur ad minimum valde improbabile Deum ita interrupte ad alicujus libri conscriptionem concurrere voluisse, ut unius partis auctor, alterius vero non esset; aliis verbis : violentum est supponere Deum sivisse, ut in aliquo scripto, quo sensa sua hominibus communicare decreverit, homo fallibilis privata sua sensa intermisceret. Imo illud omnino repugnare arbitramur divinæ sapientiæ, ubi agitur de libro ad instructionem veritatum divinarum cunctis fidelibus destinato, si simul normam aliquam objectivam certam et claram ipse non assignet, qua utriusque ordinis veritates ab invicem tuto discriminentur. Si namque in tali casu illa deesset, homines periculo erroris ac perversæ fidei consulto exponerentur. Jamvero, si adversariorum opinio vera esset, obtineret illud, quod tamquam Deo indignum hic prorsus rejicimus. Etenim neque in ipsis libris, quos ut divinos veneramur, indicata reperitur, neque alia ratione a Deo suppeditata nobis fuit norma, juxta quam in sacris litteris

elementum humanum a divino dispescamus. Quæ enim regulæ ab illius sententiæ patronis statuuntur, arbitrariæ sunt, ambiguæ ac idcirco valde periculosæ. Juvat hæc paucis declarare.

Quodnam distinctionis signum nobis indicant adversarii? Alii integros fere libros Deo tribuentes, nonnisi minutissima hic illic incisa, seu, ut ipsi dicere malunt, *obiter dicta* Deo auctori abjudicant; alii veritates solummodo, quæ tamquam revelatæ proponuntur, ceu verbum Dei agnoscunt (1); alii præsertim recentiores inspiratas minime esse docent sententias, quas nuncupant *profanas*, puta veritates historicas et scientificas cum veritatibus religiosis nullum ex sese nexum habentes. Ast quis non videt illas normas gratuito ab illis constitui? Illud jam imprimis apparet ex eorum dissensu in ipsa regulæ determinatione, quam cæterum nullo testimonio divino innixi, imo contra illud statuunt. Præterea quis certo ac tuto indicabit, quænam in sacris litteris ceu obiter dicta sint habenda, seu quænam veritates profanæ relationem aliquam habeant cum veritatibus in se religiosis (2)? Nemo non persentit ex talibus normis maximum enasci periculum pro ipsa Scripturarum auctoritate. Sane, si alicubi divinam auctoritatem sententiis Scripturarum denegare poteris, brevi incerta evadet et in reliquis. Etenim, fatentibus ipsis adversariis, inspirata a non inspiratis juxta præfixas normas tuto discernere persæpe difficillimum est in praxi, unde fiat necesse est, ut facile unusquisque pro libitu suo et actuali dispositione e libro inspirato resecet atque rejiciat, quæ tamquam sacra et divina sint habenda. Homines enim talis sunt naturæ, ut, quando opinionibus quibusdam præoccupati et dominante quodam

(1) Est sententia Chrismann. Ap. Kleutgen. *Theologie der Vorzeit.* I Th. I Abth. n. 29 in nota.

(2) Nolumus hic nimium insistere in difficultate tuto semper discernendi textus dogmaticos a textibus mere scientificis, quam revera nonnulli aliquantum exaggerant, ut Cl. Vercellone, in op. *Sulla autenticità delle singole parti della Bibbia Volgata.* » Inficiari tamen nemo potest eam revera existere.

affectu abrepti sunt, facile dubitarent vel etiam præfracte negarent talem sententiam, quæ fors adamatæ suæ adversatur opinioni aut affectui, inspiratam ac divinam esse. Quo semel negato, pronum est eam penitus rejicere, causando hagiographum humana imbecillitate in iis scribendis seu narrandis cæspitasse. Quum autem diversi homines diversis addicti sint opinionibus variisque ferantur affectibus, necessario contingeret, ut, quas alius ceu veritates religiosas vel cum iis connexas qua divinas crederet, alius tamquam indifferentes vel obiter dictas rejiceret atque pernegaret. Et quod pejus est, in tali processu, in quo privatum uniuscujusque judicium tamquam unica fere norma haberetur, non solum textus historici et scientifici, ut aiunt, e libris sacris eliminarentur, sed et loca dogmatica et moralia malignam interpretum crisim haud raro sustinerent. Illud potissimum accideret in locis magis implicatis, cum numquam deessent interpretes in comminiscendis rationibus solertes, qui utcumque sibi aliisque persuaderent talem locum vel illius aliquod incisum plane indifferens esse, ac a scriptore humano obiter proprioque marte adjectum. Evidens itaque est præfatam opinionem dubiis innumeris latissimam aperire januam et cum gravissimis periculis in re maximi momenti esse conjunctam. Illas exitiosas sequelas jam denuntiavit S. Augustinus, scribens in Epistola 28ª ad Hieronymum : « Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, (idem dicatur de quolibet errore reali vel possibili), nulla illorum Bibliorum particula remanebit, quæ non ut cuique videbitur, vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur » (1).

Nec reponant adversarii illas consequentias, a quibus et ipsi summopere abhorrent, in Ecclesia catholica metuendas non esse, cum in ea præveniri vel semel deductæ sopiri possint auctoritate viventis et infallibilis magisterii (2).

(1) Vide totam hanc epistolam; Cfr. Contra Faustum. l. XI, cc. 5 et 6.
(2) Card. Newman. *Postscript.* § 3.

Optime habent; ast, quomodo et ipsum hoc magisterium discernet? Ecclesia profecto non accipit novas revelationes. Quodsi arguas ipsam distinctionis normam cum ipso revelationis deposito Ecclesiæ traditam fuisse, quomodo, quæso, fieri potuit, ut hæc regula tam Patres quam theologos omnium sæculorum latuerit? Cur Ecclesia hanc normam numquam exposuit fidelibus, quin potius permiserit, ut fideles verbum hominum sæpe fallax et erroneum tamquam infallibile verbum Dei acciperent? Quorsum ipsa haud declaravit, textus illos Bibliorum, qui tantas in Ecclesia ciere tempestates in causa Galilæi, utpote res profanas adstruentes vel *obiter dictis* accensendos, verbum Dei non esse? Ad hæc, quis non videt practice impossibile esse, ut Ecclesia continuo judiciis suis interveniat ad statuendum, talem sententiam, quæ nonnullis falsa vel inverisimilis apparet, reapse esse sententiam obiter dictam, vel textum aliquem, qui conclusionibus scientificis contradicere quibusdam videtur, revera nexum non habere cum veritatibus religiosis? Pone etiam illud identidem definiri ab Ecclesia, nemo non videt interim fidei unitatem in Ecclesia admodum perturbari, ac etiam talibus Ecclesiæ judiciis Bibliorum auctoritatem in cæteris mirum quantum minui. Quid plura? Luce clarius apparet, illa incommoda, quæ, habita ratione modi agendi hominum in hujuscemodi, nequeunt non sequi, tanta esse, ut illi sententiæ jam a priori valde præjudicentur, imo eidem omnem probabilitatem in antecessum auferant. Cæterum nullam discriminis regulam, quam obtendunt adversarii, serium habere fundamentum, ex mox edisserendis liquido patebit.

II. Verum ostendamus nunc *directe* et *positive* juxta indubitatam doctrinam Ecclesiæ, sacrorum librorum inspirationem sese porrigere ad omnes res et sententias in illis consignatas. Ut autem illud ad oculum pateat, præstat paulo luculentius explanare duplicem partem definitionis Conc. Vaticani, ex qua supra generatim divinam originem librorum sacrorum demonstravimus. Priore nempe renovatur decretum jam olim editum in Conc. Tridentino, eoque defi-

niuntur *veteris et Novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi.* Posteriori vero declarantur isti libri ideo sacri et canonici, quod *Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habeant auctorem.* Ex hac declaratione, quæ priori protinus subjungitur, apparet libros eodem sensu appellari sacros et canonicos, quo dicuntur inspirati, adeo ut ex usu Ecclesiæ utroque termino idem denotetur. Exploremus jam quid ex utraque decreti parte erui valeat contra adversariorum sententiam.

1° Ante omnia expendendum est, quid in priori decreto synodus Tridentina et consequenter quoque Vaticana intellexerit nomine *partium* : ab hujus enim vocabuli significatione pendet tota vis nostræ argumentationis. Quocirca concedimus, probari non posse per vocem *partes* hic indiscrimatim designari quælibet etiam minutissima incisa, quæ in Scripturis occurrunt. Enimvero decretum agit de sacris libris « prout continentur in veteri vulgata latina editione »; porro catholici pene omnes fatentur in hac versione, licet jam plurimum emendata aliquot menda hic illic reperiri, quæ dictorum sensum plus minus pervertunt, uti v. g. in numeris, in chronologia aliisque, non tamen in textibus per se ad fidem vel morum regulam seu ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentibus. Talia porro Conciliuni non intendisse in suo decreto evidens est. Verum ex adverso errant absque dubio illi, qui contendunt Concilium nomine *partium* intellexisse solummodo fragmenta deutero-canonica librorum Vet. Test., puta Danielis et Estheris, pretextando de iis solis tunc cum protestantibus controversiam fuisse (2). Etenim ipsa laudati decreti verba restrictionem hanc minime patiuntur, cum loquatur de *libris ipsis* (scilicet omnibus quos modo recensuerat) *cum omnibus suis partibus.* Dein,

(1) V. Franzelin Th. XIX; Kaulen. *Geschichte der Vulgata;* P. Corluy. In op. period. *La Controverse et le Contemporain.* Mai 1885. *L'interprétation de la Sainte Ecriture.* I.

(2) Hanc sententiam defendit P. Vercellone, in op. cit.

quamquam protestantes reapse illas partes rejiciebant, non tamen illas solas nec ipsi soli Scripturarum fragmenta repudiabant, ideoque non ob illarum dumtaxat partium repudium, nec ipsos solos voluit Ecclesia anathemate percellere. Apposite hic loci memorandum est illud, quod error contra unam veritatem particularem præbet *occasionem* definitioni universaliori, in qua proinde etiam ille error sed non solus damnatus reperitur, et quod proin fas non est propositionem universaliorem definitionis restringere ad solam damnationem illius erroris particularis. Itaque sedulo semper distinguatur *occasio* alicujus definitionis ab ejusdem *scopo :* hic enim solus, non illa, propriam ejus vim et extensionem determinat. Tandem ex *actis Concilii Tridentini* nuper Zagrabriæ editis ab Aug. Theiner constat, Patres per hæc verba *cum omnibus suis partibus* ante omnia intendisse fragmenta et particulas Evangeliorum (1) ; de partibus vero deutero-canonicis librorum Vet. Test. nullam factam esse mentionem in sessionibus præparatoriis (2). Ex hisce concludimus utramque synodum in edendo decreto consulto usam esse talibus verbis, quibus omnes partes Scripturarum indiscriminatim sacræ et canonicæ ac porro inspiratæ declararentur, ne cuiquam in posterum relinqueretur ansa denuo libros aliquos vel partes librorum quocumque prætextu rejiciendi et ex sacrorum librorum catalogo expungendi.

His positis, validum ex hoc decreto desumitur argumentum contra Lenormant aliosque, qui solum res pertinentes ad veritates per se religiosas divinitus inspiratas esse tenent. Sane neminem latet in sacris litteris non tantum aliquos hinc inde textus incidentes, sed et integra exstare capita, in quibus nulla reperitur directe expressa veritas in se religiosa seu ex sese pertinens ad fidem vel mores, sive factum aliquod, sine quo veritas aliqua religiosa consistere nequeat. Quocirca notetur Theologos solere distinguere in Scripturis ea

(1) Illa sunt : Marc. XVI, 9-20 ; Luc. XXII, 43, 44 et Joan. VII, 53, VIII, 11. (2) V. P. Corluy l. c. et in Comment. in Evang. S. Joannis ad cap. VIII.

quæ scripta sunt ut credantur et *per se* pertinent ad fidem, ab iis quæ creduntur, quia scripta sunt pertinentque ad fidem *per accidens*. *Per se* ad fidem pertinent in Scripturis omnia, quæ directe nos ordinant ad finem nostrum, sive ea sint speculativa, sive sint practica. Huc pertinent omnia, quæ scripta sunt de Deo, de Deo creante et revelante et sanctificante, de Incarnatione, de virtutibus, peccatis, legibus, gratia, sacramentis, de universo cultu Dei, de novissimis, de Ecclesia, etc. Huc etiam referenda tota historia Vet. et Nov. Testamenti quoad summam rei, quatenus intime nectitur cum facto revelationis et continet Incarnationis præparationem, executionem, effectus, etc. Cum his vero et horum occasione et in horum contextu scripta sunt alia non propter se, sed propter contextum cum aliis, et hæc dicuntur ad fidem pertinere *per accidens*, ut sunt innumera ad circumstantias historiæ, ad geographiam, historiam naturalem, chronologiam etc. spectantia. Hujusmodi multa admodum reperiuntur in libris Regum, Paralipomenon, Esdræ, aliisque in quibus bella narrantur vel genealogiæ texuntur. Inde vides hac ratione restringendi inspirationem plures Bibliorum ferme *partes*, quin et libros prope integros Deo auctori abjudicandos esse et inspiratos haudquaquam posse adhuc haberi. Istud sane, si aliquid effecere Tridentini et Vaticani Patres, sæpe laudato decreto fuit prorsus exclusum et repudiatum. Si igitur conclusiones, ad quas logice ducit principium positum ab adversariis, falsæ sunt et ab Ecclesia repudiatæ, idem dicendum erit de ipso principio, scilicet de ipsa distinctione ab adversariis relate ad inspirationem inducta inter textus complectentes sententias religiosas et alios, in quibus res mere profanæ adstruuntur.

2° Argumentum stringens magis nobis suppeditat altera pars decreti Vaticani, in qua Scripturarum libri ideo sacri et canonici esse definiuntur, « quod Spiritu S. inspirante conscripti *Deum habeant auctorem* ». Enimvero hæc formula dogmatica : *Deus est auctor librorum Sacræ Scripturæ* non modo generatim edicit sacras litteras habere divinam originem, sed etiam, ex communi loquendi more sibi vult

omnia et singula sensa Deo auctori esse adscribenda. Quum enim liber, ut supra diximus, designet prolixiorem complexum seu seriem sententiarum scripto expressarum, ideo, ut aliquis libri cujusdam proprio sensu ac simpliciter auctor dici queat, oportet, ut vel ipse per se vel per alium tamquam amanuensem seu notarium omnes res et sententias, quæ in illo qua tali adstruuntur, scripto consignaverit. Itaque ut Deus librorum sacrorum non immediate per se sed ope amanuensis concinnatorum proprio sensu auctor dici queat, necessarium prorsus est, ut scriptor humanus ea omnia et sola, quæ Deus scribi voluit, reapse ex divina illustratione et motione litteris mandaverit. Quoniam vero ratio propria et specifica talis libri dependet formaliter a tali complexu idearum et judiciorum, hinc hujus determinatio a Deo fiat necesse est. Proinde si scriptor non omnia sensa a Deo sibi suppeditata scripto exaravit, liber non erit talis qualem Deus voluit; pariter si non sola illa, sed proprio marte aliqua superaddiderit, Deus non simpliciter sed solummodo secundum quid, hoc est, partis libri jure auctor haberetur. Præterea in hac hypothesi, liber non auctorem haberet solum Deum, uti formula dogmatica obvie indicat, sed haberet duos auctores et quidem æque principales, Deum videlicet et hominem.

Operæ pretium est, illud argumentum alia consideratione in majori luce ponere. Proprium libri est, ut ejus ope, non secus ac per locutionem, imo multo magis, alii homines in notitiam conceptuum auctoris deveniant ac porro instruantur. Inde fit ut, ubi aliquis liber in lucem editur præseferens nomen sui auctoris, censeatur hic nominatim sermonem dirigere ad lectores. Hi autem vicissim eidem in laudem vel vituperium tribuunt omnes omnino conceptus laude vel vituperio dignos, qui in illo opere expressi inveniuntur. Illud adeo verum est, ut, siquando lectores aliquam sententiam erroneam vel, si ageretur de rebus religiosis, propositionem aliquam minus orthodoxam in illo opere offenderent, nullus eorum sibi satisfactum arbitraretur, si, ad sui excusationem, solum obtenderet prætensus auctor,

amanuensem suum illa proprio marte, ipsomet ea non dictante, superaddidisse; purgationem suam eidem ideo eriperent, quod hoc casu non sine fraude se auctorem libri simpliciter esset professus, dum ipse tantummodo partialis auctor jure posset vocari. Aliud omnino est dicendum de stylo et ornamentis dictionis, si ea præ auctoris consilio per se intenta non essent, et solum ad partem libri materialem pertinerent. Etenim si lectoribus innotesceret, auctorem aliquem suum non exarasse librum propria manu eum scribendo vel amanuensi de verbo ad verbum eum dictando, sed ope secretarii, cui ipse dumtaxat sensa scribenda suppeditasset, relicta huic cura verba et phrasium structuras deligendi, evidens est in hac hypothesi dictionis ornamenta elocutionisque elegantiam, si quæ laude digna independenter a sensibus in libro invenirentur, non auctori sed scriptori a lectoribus tributum iri. Ast illud numquam fiet relate ad sensa. quæ in tali libro occurrunt, quia liber ex natura sua ordinatus est ad conceptus aliis communicandos.

Age jam, ut res in concreto spectata magis patescat, applicemus hæc sacris libris. Quando Deus asseritur auctor librorum sacrorum, eo ipso affirmatur Deus illorum ope tamquam per epistolas, ut Patres loquuntur, hominibus loqui illisque sua sensa aperire voluisse (1). Jam vero si, prout adversarii opinantur, divinis illis sententiis scriptor humanus inter scribendum suos privatos conceptus immiscuisset, jam iste liber formaliter ut talis simpliciter divinus non esset, neque toti libro divina et homogenea auctoritas tribui posset. Esset adhuc partim divinus, partim humanus. Unde illud singulare sequeretur, quod eidem libro ex Dei intentione in quibusdam locis propter inspirationem divinamque auctoritatem summa deferenda esset religio, dum

(1) Videsis S. Irenæum adv. Hær. l. II c. 27; S. Clem. Rom. Ep. I ad Cor.; Clem. Alex. in Pædag.; S. Cyprianum de unit. Eccl ; S. Greg. Neoc. In annunt. B. M. V. serm. 2 ; S. Aug. in Ps. 90, serm. 2; S. Greg. M. Ep. l. IV, ep. 31 (al. 90); S. Chrys. in Gen. Hom. 20.

eidem in aliis impune omnem detrahere possemus fidem, imo, veritate aliunde melius cognita, omnino detrahere deberemus. Fieri enim potuisset, et reipsa sæpe factum fuisset, ut homo sibi relictus errores paginis impressisset, quibus, si non deprehenderentur, fides adhiberetur tamquam verbo Dei. Quapropter nonnisi abusive et fallaciter talis liber simpliciter Deo auctori tribueretur.

Verum, regerunt adversarii, illa formula : *Deus est auctor Bibliorum*, non necessario sumenda est in sensu proprio et strictissimo, sed intelligi optime potest in sensu morali et latiori, qui obtinet dummodo Deus longe majoris et præcipuæ partis Scripturarum auctor agnoscitur. Reponimus præprimis adversus eos, qui inspirationem restringunt ad veritates religiosas, nonnisi fallaciter potuisse soli Deo tribui opus, quod magnam sui partem hominem, non vero Deum auctorem habet. Quoad eos vero, qui nonnisi hic illic aliqua *obiter dicta* ab inspiratione excipiunt, non diffitemur effugium alicui satis speciosum posse videri. Non enim nobis adeo evidens est, modum loquendi communem illud non ferre, ubi agitur de libro, qui ita scriptus perhibetur, ut ille, cui tamquam auctori adscribitur, solummodo sensa suppeditaverit, alio vero physice scribente et in modum conceptus exprimendi haud parum influente. Attamen frustra ad istud effugium recurrunt illi eruditi. Nam, ut nil amplius dicam de defectu cujuscumque normæ fundatæ, qua hæc *obiter dicta* ab aliis discriminarentur, animadvertimus, *a*) etsi daretur in laudata hypothesi hanc formulam *posse* adhiberi in sensu morali et latiori, nondum est demonstratum eam in hoc sensu fuisse usurpatam ab Ecclesia. Porro illud ob solas conjecturas admitti nullatenus debet, imo non potest. Nam *b*) Ecclesia in suis definitionibus utitur verbis et loquendi formulis secundum eam significationem, quam obvie et in sermone vulgari habent. Atqui formula laudata in consueta sua acceptione sensum fundit quem diximus. Quapropter *c*) vix intelligitur, cur tria consequenter Concilia Œcumenica, Florentinum, Tridentinum et Vaticanum, ubi data opera originem divinam sublimemque dignitatem

sacrorum librorum definire intendunt, conceptis verbis in sensu insueto et extraordinario usa fuerint, quin ullo pacto innuerint, se a communi genere dicendi recedere. Ad providam Dei sapientiam profecto spectat, ut potius homines per Ecclesiam de hac insolita sacrorum librorum indole accurate edoceantur, quam ut sinat illam talem usurpare formulam, quæ omnibus et singulis Scripturarum sententiis homogeneam conciliet auctoritatem, et vi cujus erronea forte humana opinamenta ceu divina effata homines amplecterentur (1). Cæterum *d*) si quem hæc non pervincant, sciat nos singula momenta, quibus nostram sententiam fulcimus, haud considerare velut separata argumenta : videlicet, vim intensivam et extensivam, quam formulæ *auctor libri* tribuimus, non depromimus *unice* ex formula nude spectata, verum etiam recurrimus, uti par est, ad sensum traditionalem, ut compertum habeamus, quo sensu hæc formula in Ecclesia intellecta fuerit. Porro mox patebit hanc exceptionem nullatenus convenire cum unanimi doctrina Patrum et theologorum, qui etiam minora quæque Bibliorum incisa Deo auctori tribuebant.

Alius hic sese offert nodus. Diximus formulam : *Deus est auctor librorum sacrorum* ex modo vulgari loquendi illud expostulare, ut omnia sensa in Scripturis consignata Deo auctori tribuantur. Jamvero Concilium Vaticanum, ubi definit libros sacros habere Deum auctorem, saltem oblique, si non directe, respicit editionem nostram Vulgatam, quæ, ut apud omnes est in confesso, in locis per se non dogmaticis a textu genuino originali hic illic recedit ac porro menda quædam admittit. Proinde vel nostra argumentatio falso nititur principio, vel dicendum est non sine fallacia

(1) Jam iterato diximus hominem sibi relictum in illis incisis errare potuisse : homo enim fallibilis est. Quod si vero adversarii arguant, Deum speciali assistentia scriptorem præservasse immunem ab errore in talibus, reponimus eorum præcipuum cadere argumentum contra horum inspirationem, scilicet Deum illa minutissima, familiaria et tralaticia non curare. Si enim in illis scribendis scriptori astiterit, illa curat; quare ergo, amabo, talia inspirasse Deum dedecuisset?

Biblia editionis Vulgatæ verbum Dei appellari et Deo auctori attribui. Ad hæc vero advertimus laudatam synodum, ubi ex professo proclamat divinam originem sacrorum librorum, illos considerare independenter a qualibet versione vel exemplari (1), adeoque loqui de sacris litteris in se consideratis, hoc est, prout e manibus hagiographorum emanarunt. Nimirum Patres Vaticani, occasione laudati Tridentini decreti quod repetunt, authentice declarant, quid intelligendum sit per libros *sacros* et *canonicos*, seu quid sit propria ratio Scripturarum, hacque ratione manifesto intendunt rejicere perversas nonnullorum etiam catholicorum hac de re notiones. Pronum autem est colligere, in hac consideratione non respici libros prout in hoc vel illud exemplar transsumpti, sive idioma redditi fuerunt, sed prout primum a Deo prodierunt atque in autographis existunt. Solummodo respiciunt directe versionem Vulgatam, ubi determinant quinam libri, quænamque librorum partes pro sacris et canonicis sint habendi : scilicet ii eæque, qui et prout in Vulgata editione inveniuntur.

Verum hoc responsum, quod quidem hic valet, totam difficultatem haud elevat. Sane juxta phraseologiam Ecclesiæ, appellationes *verbum Dei*, *Scriptura Sacra*, aliæque indiscriminatim de versionibus et de textu originali usurpantur, imo libri sacri, etiam quando in versione Vulgata considerantur, dicuntur *Deum habere auctorem*. Hujus nodi solutio tota est in ipsa ratione propria versionis, seu in discrimine inter archetypum exemplar alicujus libri et ejusdem translationem. Proprium namque est versionis, quæ cum autographo seu originali textu in omnibus vel saltem in plerisque, maxime in substantialibus conformis invenitur, ut eædem denominationes originis, dignitatis et auctoritatis ipsi decernantur, quæ textui primitivo congruunt, neque ob paucula quædam accidentalia, quæ in transcriptionibus vel

(1) Dico : *vel exemplari* seu recensione : idem enim, quod de versionibus nunc dicimus, de variis apographis seu exemplaribus ejusdem textus est tenendum.

translationibus aliena manu interpolata vel mutata fuerint, appellationes illas in communi sermone amittant. Quando igitur dicimus, libros sacros in versione Vulgata contentos esse divinitus inspiratos vel Deum habere auctorem, illæ appellationes non sumuntur in sensu formali vel reduplicativo, ac si vel hæc versio elaborata esset sub divino afflatu, vel hi libri divini essent, in quantum præcise hanc formam haberent, sed sumuntur in sensu materiali et specificativo, adeo ut significetur illos libros, qui nunc in Vulgata latino sermone translati habentur, primitus fuisse a Deo inspiratos illosque etiamnum sub hac forma divinos esse ratione suæ conformitatis quoad sensa cum libris archetypis absolute et in se divinitus inspiratis. Quamvis itaque illa versio non sit authentica in sensu absoluto et mathematice universali, uti vario ex capite certissime novimus, sed in sensu dumtaxat morali et latiori, origo divina tamen ei deneganda non est, quia in pene omnibus et certe in substantialibus conformis est autographo. Versio igitur Vulgata et etiam quilibet ejusdem textus, qui non probatur apocryphus, simpliciter vocari potest ac debet verbum Dei scriptum et habere Deum auctorem. Ratio, cur communis loquendi modus ferat relate ad versiones, quod non patitur quoad autographum, in eo esse videtur, tum quod haud infrequenter versiones librorum ab originali hic illic abludant, adeoque ab omnibus notum sit, non in eodem strictissimo sensu versionibus applicari quod prædicatur de prototypo originali, tum quod levis corruptio etiam sensum attingens, multo minus periculosa sit ac facilius componi possit in versione, quam si in archetypo hic illic aliquis alius sua placita immiscuisset. Præterea ubi agitur de Scripturis, ratione intimi nexus inter auctorem libri et ejus scriptorem, hujus errores, si qui essent, in Deum auctorem refunderentur et ipsam substantiam Scripturarum in dubium vocarent; aliter vero res sese habet relate ad menda transcriptoris vel interpretis.

§ 2. *Argumenta ex Scriptura et Patrum Traditione.*

Ex his revelationis fontibus duplex in favorem nostræ theseos desumi valet argumentum : negativum alterum, alterum positivum. Primum nempe depromitur ex alto silentio Scripturæ et Ecclesiæ Patrum de distinctione, quam adversarii in rem nostram comminiscuntur, inter diversas partes vel textus Bibliorum. Hoc silentium in hac re æquivalere argumento positivo, satis abunde paulo antehac diximus; quapropter illud hic in memoriam revocasse sufficiat. Explanabimus nunc solum testificationem positivam, qua tum argumentum ex sensu Ecclesiæ petitum confirmatur, tum manifestum fit hunc sensum Ecclesiæ solidissimum habere fundamentum in Scripturis atque præsertim in doctrina Patrum.

PUNCTUM I. ARGUMENTUM EX SACRA SCRIPTURA.

Sacræ Scripturæ locus, ut vocitant, classicus, ex quo in secunda sectione generatim Scripturæ inspirationem probavimus, scil. II, Tim. III, vv. 15-17, etiam aptus ad assertionem nostram probandam invenitur, præsertim si ratio habeatur modi loquendi hagiographorum aliorumque divinorum legatorum in ipsis sacris litteris. Apostolus Paulus isthic adstruit : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum*, etc. Porro nullam hic admitti restrictionem luculenter apparet ex loquendi ratione Apostoli. Commendat discipulum suum Timotheum a frequenti lectione Scripturarum, quas paulo ante generatim (τα ιερα γραμματα) dixerat *instruere ad salutem*. Ut autem rationem hujus utilitatis reddat hancque enucleatius exponat, incunctanter subdit, illam ipsam Scripturam, prout eam pervolverat Timotheus, tum divinitus inspiratam esse, tum ad multiplicem finem esse proficuam. Age porro Apostolus ita absolute Scripturam inspiratam dicere, ejusque lectionem idcirco tantopere commendare minime potuisset, si solummodo

aliquas ejus partes, alias vero nequaquam inspiratas et ad scopum indicatum aptas judicasset. Quo vero hujus argumenti vis magis clarescat, inspiciendus est textus græcus. Ex hoc porro, ut supra animadversum est, manifeste apparet singulis Scripturarum partibus dignitatem divinæ originis vindicari. Illud enim πας sine articulo (in græco πασα γραφη) habet sensum distributivum, ac proin divinitus inspiratum edicit quidquid in libris sacris nomine *Scripturæ* appellari solet. Sed enim, non solum tota collectio librorum sacrorum vel ejusdem singuli libri nomine *Scripturæ* compellantur, sed ex usitatissima praxi scriptorum sacrorum hoc nomine veniunt individui textus et sententiæ particulares. Huc faciunt citationum formulæ a Christo Domino et Apostolis frequenter usurpatæ, quibus aliqua Bibliorum sententia sub nomine *Scripturæ* designatur : Nec Scripturam hanc legistis την γραφην ταυτην. Marc. XII, 10; et impleta est Scriptura quæ dicit. Ib. XV, 28; locus περιοχη autem Scripturæ, quam legebat erat hic... et incipiens a Scriptura ista απο της γραφης ταυτης. Act. VIII, 32, 35 (coll. Is. LIII, 7); ut Scriptura η γραφη impleretur : os non comminuetis ex eo; et iterum alia Scriptura dicit : videbunt in quem transfixerunt Jo. XIX, 36, 37. Hodie impleta est hæc Scriptura. Luc. IV, 21 (coll. Is. LXI, 1, 2); oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus S. per os David de Juda. Act. I, 16 (coll. ib. v. 20 et Ps. LXVIII, 26). Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. Luc. XXIV, 27. Et quod sedulo notandum, hoc pacto non semel adducuntur loca, quæ primo aspectu nonnisi res profanas ac indifferentes enuntiare videntur, ut apud Paulum : Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti (I Tim. V, 18). Cum itaque ex usu loquendi Christo et Apostolis maxime solemni, nomen illud excellentiæ *Scriptura* etiam singularibus textibus tribuatur, cum præterea distributio, per illud πασα γραφη indicata, ex natura sua in ultima elementa fieri debeat, cum tandem, juxta tritum illud, ubi Paulus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, nemini fas est, nil tale insinuante Apostolo, hanc

prærogativam inspirationis ad determinatas partes restringere. Quo autem sensu singulæ Scripturarum sententiæ utiles dici queant ad multiplicem finem a Paulo indicatum, patescet ex infra dicendis de fine inspirationis.

PUNCTUM II. DOCTRINA SANCTORUM PATRUM.

Accedimus modo ad præcipuum nostræ doctrinæ argumentum, ex auctoritate videlicet Patrum Doctorumque Ecclesiæ petitum. Hac profecto nostra sententia peremptorie stabilitur illique, quod sciam, adversarii nil validi habent quod reponant. Et re sane vera cum agatur de explicatione dogmatis et quidem practici, ac veluti quotidianæ professionis, cui tamquam fundamento superstruitur omnis theologica tractatio apologetica et polemica, consentiens, universalis ac constans in hac re Patrum doctrina ex ipsis principiis catholicis tamquam indubitatum criterium divinæ revelationis est habenda. Porro nil manifestius elucet in doctrina Traditionis circa dignitatem auctoritatemque Scripturarum, quam firma hæc persuasio et unanimis professio quemcumque textum Scripturæ esse verbum Dei, eo quod sub afflatu Spiritus S. fuerit scripto exaratus. Illud nunc probandum illustrandumque assumimus ex quibusdam Patrum in hac re principiis.

I. Patres tanta veneratione Scripturarum libros prosequuntur, ut *nullum ne minimum quidem errorem* in iis admittere fas esse judicent. Illud 1° ex quibusdam doctrinæ capitibus, quæ *disertis verbis* adstruunt, oppido conficitur. Sane *a*) omnes uno ore istud proclamant. S. Clemens Rom. : « Scripturas, inquit, diligenter inspicite, quæ Spiritus S. vera sunt oracula; attendite in illis *nihil injustum, nihil perversum* scriptum esse » (1). S. Augustinus a Scripturis arcet omnem falsitatem « non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam quæ obliviscendo » (2). Idem se ab aliis

(1) In Epist. I ad Cor. § 45.

(2) De consensu Evangel. l. II cap. 12, n. 20.

accepisse testatur : « Ego enim fateor caritati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, *didici* hunc honorem timoremque deferre, *ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.* » Et ibidem alloquens Hieronymum : « Non te arbitror, ait, sic legi libros tuos velle tamquam prophetarum et Apostolorum, *de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est* » (1). Alibi vero Scripturas ob eamdem causam præponit Patrum scriptis Conciliorumque decretis : « Quis enim nesciat, S. Scripturam canonicam tam Vet. quam Nov. Testamenti certissimis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus litteris *ita præponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit :* episcoporum autem litteras, quæ post confirmatum canonem vel scriptæ sunt vel scribuntur... licere reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est : et ipsa concilia, quæ per singulas regiones et provincias fiunt... posse emendari » (2). Argumentum historicum simul et dogmaticum nobis præbet Benedictus XII, qui in elencho errorum sæc. XIV ad Armenos misso etiam hunc notat sub n° 114 : « Item dicunt, quod signum posuit Deus non occidendi Caïn, et ita fuit ad litteram, quia, secundum eos, nullus eum occidit, sed ipse de præcipitio se submisit. Ex quo innuunt, *Scripturam Geneseos quoad hæc esse falsam*, quæ videtur dicere quod Lamech interfecit Caïn » (3). Ibi, ut patet, rei erat factum mere historicum et prorsus indifferens, modus scilicet quo Caïn mortem obierit. Postea Clemens VI jussit Armenorum Patriarcham sequenti respondere quæstioni : « Quartodecimo, si credidisti et credis Novum et Vetus Testamentum in omnibus libris, quos Romanæ Ecclesiæ nobis tradidit auctoritas, *veritatem indubiam per omnia continere* » (4). Pariter *b)* persuasum ipsis firmiter

(1) Epist. 82 ad Hier. (al. 19) c. 1, n. 3. coll. De Gen. ad litt. l. I c. 21 ; l. V, c. 9. (2) De Bapt. cont. Donat. l. II, c. III, n. 4. coll. Cont. Faust. l. XI, c. 4, 5. (3) Ap. Raynaldi, an. 1341, p. 278. (4) Ibid. an. 1351, p. 529.

erat, nullam realem contradictionem in Scripturis umquam inveniri posse. « Si ob eam causam, inquit S. Justinus, quod te existimaveris disputationem in eas angustias conjicere posse, ut Scripturas inter se dicerem pugnare, errasti. Id enim numquam audebo nec cogitare, nec dicere; sed si qua proponitur Scriptura, quæ ejusmodi esse videatur, et prætextum quasi esset alteri contraria præbeat; cum *persuasum habeam, nullam Scripturam alteri contrariam esse*, fatebor potius me non intelligere quæ dicuntur, et in iis, qui Scripturas inter se pugnare suspicantur, ut idem potius ac ego sentiant, persuadere conabor » (1). S. Augustinus libros sacros tales esse docet « quos omnino judicare non audeamus » (2), et a quibus « absit ut inter se aliqua ratione dissentiant » (3). Teste S. Joanne Chrys. « nil contrarium in Sacris Scripturis continetur » (4). « Qui igitur, inquit Origenes, fideliter et integre sacrorum voluminum colligit sensum, ostendere debet, quomodo ea, quæ videntur esse contraria, vere contraria non sint » (5). Quamobrem, *c)* sicubi manifestum errorem se offendere putabant, vel alter scriptor alteri in rei cujuspiam narratione certo adversari videbatur, non acquiescebant dicendo ex humana fragilitate errasse scriptorem, sed nodum solvere conabantur, vel, si conata perficere non valerent, textum inexplicatum linquebant, causando vel imbecillitatem mentis conciliandi modum non assequentis, vel codicum corruptelam ex scribarum incuria vel inscitia. Ita post S. Justinum, loco supra citato, loquitur S. Augustinus : « si aliquid in eis offendero litteris, quod videtur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam (6). Alios porro interpretes pariter admonet, ut eadem ratione sacras litteras pertractent : « Ibi (in Scriptura), si quid velut absurdum

(1) In dial. cum Tryph. n. 65. (2) In lib. II cont. Crescon. c. 31. (3) De Civ. Dei l. XVIII, cap. 41. coll. de cons. Evangel. l. II, c. 12, n. 28. (4) Hom. I in Genes. (5) L. III in Epist. ad Rom. coll. De principiis l. IV n. 7. (6) In Epist. ad Hier. 82.

moverit, non licet dicere : auctor hujus libri non tenuit veritatem : sed aut codex mendosus, aut interpres erravit, aut tu non intelligis » (1) vel, ut alibi dicit : interpres « potius id, quod non intelligit, transeat, quam cor suum præferat illi veritati » (2).

2° Hanc doctrinam theoretice expositam præ oculis usque habuerunt Patres, atque in suis scripturisticis elucubrationibus in praxim deduxerunt. Ipsi enim ab exordio Ecclesiæ et post eos, theologi Bibliorumque interpretes in suis homiliis et commentariis nec studiis nec vigiliis pepercerunt, ut omnes enantiophanias aliasque difficultates non solum dogmaticas et morales, verum etiam scientificas, historicas, chronologicas, geographicas aliasque componerent. Licet vero nodorum solutiones haud raro penes diversos diversæ inveniantur, imo nonnullæ inverisimiles prorsus sint, tamen eo animo datæ fuerunt ac in hoc unum omnes conspirant, ut ostendant Scripturas, utpote verbum Dei, nullo errore nullaque contradictione vitiatas esse, sed potius integerrimam veritatem in omnibus nos docere. Quot quantosque labores sæpe exantlarunt doctores Ecclesiæ, ut, ubi diversæ occurrebant lectiones, genuinum et sincerum textum invenirent (3)? Quantam sollicitudinem et curam adhibuerunt Ecclesiarum præpositi, ut tam in incisis minimi momenti, quam in locis dogmaticis codices a mendis immunes servarent et ab eis, quæ irrepserant, studiose purgarent? Postremo, quod sedulo notandum, dum acriter disceptatum diutissime fuerit de interpretationis regulis, de plurali sensu litterali, deque aliis quæstionibus Scripturas spectantibus, nusquam mentio invenitur de illa controversia nuper inducta, magni sane momenti, si qua est, scilicet de indicanda norma distinctionis inter textus inspiratos et non inspiratos, inter verbum Dei et verbum hominum. Cur etiam, aliquando sal-

(1) Cont. Faust. l. II, cap. 2. Cfr. omnino Gen. ad litt. l. I, c. XIX.

(2) Epist. ad Hier. 28.

(3) Videsis, ex. gr. Patres in cap. V Gen., quoad tempus mortis Mathusalæ et in cap. XI ejusdem libri quoad absentiam generationis Caïnan, quæ adest in Luc. III. Cfr. Lamy in hh. ll.

tem, non recurrerunt Scripturarum interpretes ad hanc distinctionem, ubi solvendæ ipsis erant difficultates omnis generis. Hæc solutio profecto facilis et obvia haud potuisset eis in mentem non venire atque dubitanter saltem proponi, si quo modo cum doctrina Traditionis conciliabilis iis visa fuisset. Imo in hac hypothesi religioni sibi ducere debuissent, ut ad hanc potius exceptionem confugerent, quam ut contortis subinde interpretationibus ac violentis suppositionibus sacras paginas vindicarent a prætensis contradictionibus et erroribus, quos v. g. Alogi, Porphyrius, Julianus Apostata, Celsus aliique increduli plerumque in rebus historicis et scientificis maligno supercilio venabantur.

II. Jamvero undenam, quæso, repetebant Patres et theologi omnimodam hanc Bibliorum ab errore immunitatem? Nemo negabit, puto, eos hanc prærogativam et auctoritatem Scripturis agnovisse ideo ac ideo solum, quod isti libri ratione scriptionis inspiratæ sint verbum Dei ac divinæ infallibilisque auctoritatis. Ipsi enim verbis expressis iisque efficacissimis affirmant, hagiographos in omnibus et singulis librorum partibus et particulis conscribendis a Spiritu divino illustratos ac motos fuisse, ita ut humanæ infirmitatis vestigia in illis non occurrant, sed singulis summa et veneranda Dei auctoritas sit agnoscenda. Illud *a*) evincunt eorum loquendi formulæ, quæ, si non aliqua ratione temperentur et accommode ad naturam subjecti intelligantur, omnimodam passibilitatem in scriptoribus humanis enuntiare videntur. Ita enim audivimus S. Justinum et S. Hippolytum comparantes hagiographos musicis instrumentis, quæ Spiritus divini plectro pulsantur vel ejusdem flatu moventur. His non minoris ponderis sunt testimonia Patrum, quæ a patronis inspirationis verbalis pro sua sententia invocantur, quæque revera, si aliquid significant, saltem omnes sensus singulasque assertiones Scripturarum Deo auctori adscribunt. Inde *b*) Bibliorum interpretes nullam sententiam nullamque phrasim, nequidem eam, quæ revera minimi momenti, ad scopum indifferens ac proin obiter dicta videri posset, intactam relinquunt. Etenim rebus singulis, imo non raro nu-

meris ac rerum personarumque nominibus, sensum aliquem sæpe mysticum subjiciunt, et, licet hujusmodi sensum, quem se invenisse gratulantur, haud semper urgeant ceu certo objectivum et ab auctore Scripturarum intentum, nihilominus hoc ratum ipsis erat talem sensum iis subesse *posse*. Porro ad hanc persuasionem ideo se adductos fatentur, quod Scriptura a Spiritu S. fuerit conscripta et nil inutile vel supervacaneum in ea consignatum reperiri queat(1). Demum *c*) illud confirmatur ex eo, quod sententias scientificas et in se profanas cum dogmate proxime haud connexas, *eloquia divina* appellent, vel alia ratione divinam eis tribuant auctoritatem juxta ac sententiis moralibus et dogmaticis. « Urges, ait Hieronymus ad Rufinum, ut respondeam *de natura rerum*. Si esset locus, possem tibi vel Lucretii opiniones... vel Aristotelis etc. dicere. Et ut ad Ecclesiam transeam, *ubi norma est veritatis*, multa et Genesis et prophetarum libri et Ecclesiaste nobis *de hujusmodi quæstionibus* suggerunt » (2). Et alibi : « Dixi, quomodo Philosophi solent disputationes suas in physicam, ethicam logicamque partiri, ita et *eloquia divina* aut de natura disputare, ut in Genesi et in Ecclesiaste, aut de moribus ut in Proverbiis, etc. » (3). Item S. Theophilus res historicas minimi momenti Spiritui S. auctori tribuit : « *Hæc autem omnia* (quæ scilicet pertinent ad genealogiam Caïni et Sethi, tum ad singularum artium inventionem, prout narratur in Genesi) *docuit nos Spiritus Sanctus*, qui per Moysen et cæteros prophetas locutus est, ita ut nostræ, qui Deum colimus, litteræ omnibus scriptoribus et poëtis antiquiores sint, sed et veriores demonstramus » (4). Denique S. Joan. Chrysost. his verbis exorditur enarrationem libri Geneseos, in cujus prioribus capitibus nonnulli adversarii haud pauca Deo abjudicare et imbecilli-

(1) Cfr. S. Chrysos. In Gen. Hom. 15; S. Greg. Nazian. Orat. de fuga n. 105; S. Hieron. Epist. 102 (al. 27) ad Marcellam. n. 12; Origenes. lib. IV De principiis; S. Greg. M. Hom. XXXVII, n. 4; S. Augustinus in Psalm. XLIX n. 9. In Joan. Tr. CXXII, n. 8; S. Ambros. in Luc l. VIII, n. 80. (2) Apol. adv. Rufinum l. III. (3) Epist. ad Paulam de Alphabeto hebraico. Ps. 118. Coll. Gen. ad litt. l. I, c. XIX. (4) Ad Autol. l. II, n. 30.

tati humanæ tribuere satagunt : « Has litteras quasi longe absentibus Deus misit, attulit autem Moyses..... Quasi ad omnes nos clamat : qui hæc cum non essent, fecit ut essent, is et linguam meam ad horum enarrationem impulit. Igitur ita auscultemus, ut quæ non a Moyse sed per linguam Moysis ab omnium Deo audiamus (1). Idem alibi scribit : « Sunt homines quidam opifices, qui posteaquam libros sacros in manus sumpserint, deinde repererint vel temporum enumerationem positam, vel nominum recensionem, illico prætercurrunt, et incusantibus respondent, nomina tantum sunt, neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, et tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas? » (2). Nihil pariter excipit S. Greg. Nyssenus : « Quæcumque Sacra Scriptura dixit, Spiritus S. sunt effata... numine afflati sancti vates virtute Spiritus S. inspirantur, et ideo omnis Scriptura divinitus inspirata dicitur » (3).

Ut autem vis auctoritatis sanctorum Patrum in hac re plane perspecta habeatur, respondendum est fallaci argumentationi, quam adversarii nobis opponunt. Regerunt nimirum priscos Ecclesiæ Patres hanc exaggeratam Scripturarum inspirationem amplexos esse veluti opinionem sui temporis, cui omnes suffragabantur, eo quod præ ignorantia scientiarum naturalium, ipsos laterent innumeræ difficultates, quæ huic opinioni inhærent, et ob quas nostri ævi impii viri sacra Biblia irrident atque aspernantur. At imprimis sciant isti, qui talia venditant, se non levem injuriam irrogare magnis illis Patribus, qui quasi vehicula divinæ Traditionis in Ecclesia constituti fuere, perinde ac si nempe sine fundamento vagis opinionibus calculum adjecerint erroresque in Ecclesia sparserint. Nonne ipsi apologetæ religionis Christianæ, ac defensores nostrorum dogmatum contra hæreticos tuiti sunt illud inspirationis dogma, ceu partem depositi a Christo et Apostolis accepti? Verum

(1) In lib. Gen. Hom. I. Cfr. S. Aug. de civ. Dei l. XII, c. X et lib. XVIII, c. 40 et 41. (2) In illud : *Vidi Dominum*. Hom. II, n. 2. (3) Orat. 6 cont. Eunom. Cfr. S. Joan. Damasc. lib. 4 de Orth. fide, cap. 18.

diutius hisce non immoremur, quandoquidem ipsum argumentationis suppositum falsum est et manifeste historiæ adversatur. Prætensas enim antilogias et repugnantias cum scientiis profanis non primi jactarunt nostri rationalistæ, sed jamjam ab ipsis Ecclesiæ exordiis impii homines sacros Christianorum libros omni argumentorum apparatu lacessere non destiterunt, nec ullum non moverunt lapidem, ut istiusmodi difficultatibus undique congestis divina origo et auctoritas eis abjudicarentur. Fatemur sane inde a temporibus Patrum scientias profanas, uti cosmographiam, physicam, historiam naturalem in immensum pene profecisse, pluresque nunc a viris eruditis excoli, uti geologiam, ethnographiam, quæ variis de causis ignotæ illis prorsus erant. Ex hisce recentibus scientiarum progressibus, novas exortas esse hermeneuticas difficultates haud spernendas minime inficias ibimus, ast prorsus negamus tum eas plane insolubiles esse, tum eas vel geminas Patribus penitus fuisse incompertas. Ut illud posterius nunc solum ostendamus atque declaremus, priore ad interpretes remisso, sufficiat inter plures unum alterumve Patrem cum difficultatibus decertantem considerasse. Nemini notum haud est, quantum S. Augustinus desudaverit in explananda cosmogonia Mosaïca in primis Geneseos capitibus enarrata. Scripsit namque magnus ille Doctor tres aut etiam quatuor commentarios notissimos in Genesim præter plures alios libros, in quibus etiam, saltem per transennam, magis intricata hujus libri loca non minus docte quam subtiliter expolivit et elucidavit (1). Porro postquam duos priores commentarios elaboraverat, fatetur se in iis plerumque sensui spirituali seu mystico studuisse, nunc autem in sua *De Genesi ad litt.* commentatione post magnam diligentiam et pertinax studium eo se pervenisse gratulatur, ut etiam obstacula, quæ sensui

(1) Ejus commentarii nimirum sunt : De Gen liber imperfectus; De Gen. contra Manichæos; De Gen. ad litt ; Quæstiones in Heptateuch. opp. III. His addenda sunt ea quæ habet in lib. de civ. Dei, in Confessionibus, in libris contra Faustum Manichæum et in variis sermonibus.

litterali obsistere sibi videbantur, jamjam superare tentaret (1). Jamvero in limine hujus operis sibi præfixerat interpretationis regulam quoad textus, ut aiunt, scientificos, a qua sane longe aliena est ratio procedendi adversariorum, maxime Francisci Lenormant. Eam enuntiat, ubi docet fructum multiplicis interpretationis unius ejusdemque loci esse, « non hærere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus, qui calumniari libris nostræ salutis affectant, ut *quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris litteris, id est, catholicæ fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum* » (2).

Non minus persensit nodos nec minus strenue decertavit Origenes, cum contra Celsum convellendas ipse habuerit plerasque antilogias, impossibilitates historicas, ridiculas fabulas, quas nostris diebus Voltarius, Strauss, Renan aliique impii viri cum tanto strepitu quasi nova insolubiliaque argumenta comminiscuntur. Ille namque incredulorum nostrorum antesignanus, quique nil aut ignoravit aut reticuit, quæ in religionem Christianam aliquam opprobrii notam respergere possent, partes maxime historicas Scripturarum convitiorum suorum aculeis perstrinxit, et nominatim arma sua direxit contra cosmogoniam Geneseos, viri ac mulieris creationem, historiam diluvii aliaque ad historiam Patriarcharum spectantia. Porro Origenes, utut ordinarie independentiæ satis inhians, nulli pepercit labori, quo Scripturas, salva in omnibus earum veritate et divina origine, contra improbas has aggressiones tueretur. Fatemur sane Origenem frequentius neglexisse sensum litteralem et historicum, ac plus æquo aucupasse sensus allegoricos nonnumquam contortos et a mente scriptoris manifeste alienos ; verum id egit præsertim, ubi solus sensus litteralis minus dignus divino auctore Bibliorum vel non plane ex-

(1) Lib. VIII, cap. II, n. 5. (2) Lib. I, cap. XXI, n. 41.

haurire sensum a Spiritu Sancto intentum sibi videbatur (1). Sæpissime tamen exponit etiam sensum obvium et historicum : indicasse sufficiat secundam homiliam in Genesim, ubi, postquam contra hæreticos defenderat Mosaicam descriptionem arcæ Noachi, jamjam sensum mysticum explanaturus, in hæc verba concludit : « Hæc quantum ad historiæ pertinet rationem adversum eos dicta sint, qui impugnare Scripturas Vet. Test. nituntur, tamquam impossibilia quædam et irrationabilia continentes. »

Hæc de Patrum doctrina et testimoniis sufficientia sunto. Luce meridiana clarius apparet, Patres in suis frequentissimis elucubrationibus præ oculis habuisse et secutos esse non privatam minusque fundatam quamdam opinionem de non interrupto divino influxu in Scripturarum conscriptionem, sed innixos fuisse firma persuasione et doctrina omnibus Christianis indubitata de inspiratione se protendente ad conscriptionem omnium et singularum partium librorum, ac consequenter de omnimoda earumdem veracitate et a quolibet errore immunitate.

Post hæc non est cur prolixe inquiramus utri sententiæ faveat suffragium scholæ theologicæ. Hæc namque, sicut per suam consentientem doctrinam circa aliquod dogma efficit unanimem professionem in cœtu fidelium, ita vicissim dissensus in ea haud existit, ubi Patres, quorum vestigia presse et religiose insequitur, in aliquam doctrinam conspirant. Ita quidem S. Thomas, scholæ theologorum princeps et decus, aperte et sæpissime docet omnium quæ in Scripturis continentur, fidem esse habendam (2), et eum qui falsum aliquid contineri asserit in Scriptura, asserere aliquid contrarium fidei (3). Penes Suarezium est res cer-

(1) Ita scribit ad narrationem ablactationis Isaaci, probans eam mystice esse intelligendam : « Quid? putamus quia propositum sit Spiritui Sancto historias scribere et narrare quod a lacte depulsus sit puer et convivium factum sit, quomodo luserit, aliaque puerilia egerit? An per hoc putandum est, quod divinum aliquid nos edocere velit, et dignum quod humanum genus Dei vocibus discat? » Hom VII in Gen. (2) 2. 2. q. 2 art. 5 et ibid. q. 1 a. 6 ad 1. (3) 1. p. q. 32, a. 4; Cfr. 2. 2. q 110 a. 3 ad 1.

tissima, omnes assertiones Sacrarum Scripturarum ad fidem pertinere, nec ullius meminit theologi, qui huic doctrinæ fuerit adversatus (1). Bellarminus eos hæreseos insimulat, « qui in ipsis B. Pauli epistolis aliisque sacris ac divinis libris non omnia scripta esse volunt dictante Spiritu Sancto, sed aliqua interdum sola prudentia humana duce » (2). Inter recentiores, Patritius, postquam retulit opinionem eorum, qui minima quæque incisa inspirata esse negant, ita mentem suam aperit : « itaque qui negaret non hunc equidem damnare, sed neque negare ipse ausim » (3). Scheeben eam habet quam maxime periculosam, ni etiam hæreticam (4). Cl. Schmid, quamvis nostram doctrinam quoad illam specialem assertionem, quæ immunitatem ab errore, divinam auctoritatem et inspirationem ad res indifferentes etiam minimas extendit, non esse de fide et contrariam non esse hæresim arbitretur, illam tamen omnino certam, et contrariam nullo modo probabilem aut tolerabilem judicat. Severiorem porro notam mereri existimat eum, qui etiam in ejusmodi minimis errores occurrere assereret, quam qui, omni errore excluso, humanam solum auctoritatem, vel etiam divinam, sed solum propter divinam assistentiam vel approbationem, ejusmodi assertionibus concederet (5). Dicamus ergo cum Melchiore Cano, qui postquam hanc quæstionem data opera pertractaverat, ita concludit : « Ipsi vero fateamur, singula quæque sive magna sive parva a sanctis auctoribus Spiritu Sancto dictante esse edita. Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et insculptum est, id itaque et nos, Ecclesia præsertim ipsa magistra et duce, retinere debemus » (6).

(1) De Fide. Disp. V, sect. III, n. 14.

(2) Controv. de verbo Dei, l. I, cap. VI.

(3) O. c. § VI. Quod attinet vero ad opinionem, quæ solas veritates ex sese religiosas, Deo inspiranti tribuit, eam judicat Em. Card. Franzelin « evidenter et undequaque per definitionem Vaticanam excludi. » Append. cit. in fine. (4) O. c. n. 220. (5) O. c. n. 35.

(6) De locis theol. l. II cap. XVII coll. capp. XVI et XVIII. Vide etiam opus periodicum *Stimmen aus Maria-Laach*. 1874. III, s. 175.

ART. III. GENERALIA QUÆDAM PRINCIPIA AD DIFFICULTATES SOLVENDAS.

Contra doctrinam quam modo defendimus, innumeræ prope eæque omnis generis ab adversariis congestæ sunt difficultates. Harum aliis nostra argumenta impetunt, aliis vero doctrinam nostram a priori falsam ac prorsus rejiciendam evincere moliuntur. Hæ ultimæ partim hauriuntur ex ratione theologica, partim sunt difficultates hermeneuticæ, plerumque depromptæ ex jactatis antilogiis vel oppositionibus cum scientiis profanis, puta cosmologia, geologia, chronologia, geographia, historia naturali aliisque. Hujus ultimæ classis objecta latissimam offerrent provinciam, si vellemus ea singillatim pro merito discutere, atque singulos Scripturarum textus, ex quibus adversarii nodos nectunt, congrue exponere. At nemo non videt, illud minime nostri esse instituti, sed potius pertinere ad interpretes sacros, quorum est secundum regulas sanæ hermeneuticæ genuinum sensum sacrarum litterarum indagare, et quæ specietenus dissident, apte componere. Huic operi sane arduo quamplurimi insignem operam navarunt, ad quos, quod spectat elucidationem specialium difficultatum, consulendos remittimus. Nostra solummodo refert generalia quædam ponere principia, quibus tam priora quam posteriora objecta generatim eleventur; ea tamen, quæ hodie tenacius premuntur, singillatim et aliquanto copiosius persequemur.

Ante tamen quam huic rei manum apponimus, e re esse putamus monitum supra jam datum denuo in memoriam revocare, scilicet nos hic considerare Scripturas originarias prout e manibus hagiographorum prodierunt, non vero apographa vel translationes. Nam extra omne dubium est, nonnulla menda seu corruptelas sive additiones hic illic in nostra exemplaria sive versiones irrepsisse, idque potissimum quoad numeros aut nomina personarum vel locorum. Porro plures ex nostris adversariis præcise ex ejusmodi locis ingentem argumentorum molem præfracte cudunt ad

sua placita stabilienda. Haud quidem contendimus omnes difficultates exegeticas, quæ in istiusmodi locis occurrunt, ex ratione indicata præcludi posse, neque etiam docti interpretis esset continuo prætexere, talem lectionem quæ difficultatem facessit non esse genuinam, sed illud solummodo significamus absonum esse theoriam aliquam stabilire ejusmodi prætensis erroribus, qui partim solum sunt apparentes, partim ex lectionum depravatione sunt repetendi.

Attamen quæ modo diximus de mendis et vitiosis lectionibus in Scripturarum versionibus non possunt non intelligi justis circumscripta limitibus, dum agitur de versione usu et decreto Ecclesiæ comprobata, qualis est versio Vulgata. De hujus authentia non quidem suprema (solum per ingens miraculum possibili), sed tamen sufficienti securi sumus tam theologice et ex principiis fidei, quam critice et scientifice (1), hoc est, de consonantia et identitate verbi formalis in illa exhibiti cum verbo formali primitivo, in locis ad fidem et mores pertinentibus et in cæteris saltem quoad substantiam.

§ 1. *Testimonia Patrum nobis objecta explanantur.*

Quum ex disertis, quæ supra attulimus, Patrum testimoniis manifestum prorsus sit, eos tueri doctrinam de extensione inspirationis ad omnes et singulas res et sententias in Scripturis consignatas, ultro postulant æquitas et pietas Patribus debitæ, ut, si qua fortassis in eorum scriptis ambigua locutio occurrat, illa non contra sed juxta eorumdem mentem alibi manifestatam et apertum Traditionis sensum probe exponatur et intelligatur. Neque enim mirandum esset, si alicubi eorum quis, res satis intricatas haud sedulo distinguens, iis usus esset verbis, quæ, si avulsa a

(1) In hanc rem scribit Lud. Capellus *Crit. sacr.* L. 6. c. 2 : « Non minus ex iis, quæ supra disputata sunt, planum est id, quod statim libri primi initio monuimus, et sæpius toto opere inculcavimus, varias lectiones levissimi esse ac pene nullius momenti, ut parum admodum intersit, aut vero perinde omnino sit, utram sequaris, sive hanc, sive illam. »

contexta inconsiderate premerentur, minus accurata forsitan essent dicenda. Cæterum ad factum quod spectat, Patrum testimonia nobis objecta, nedum benigna interpretatione indigeant, plerumque quæstionem nostram nequidem attingunt, sed ex iis, quæ supra edisseruimus, nominatim de diverso inspiratæ scriptionis objecto, deque ejus natura et modo, obvia solutione explanantur. Præterea in plerisque textibus, qui aliquam difficultatem faciunt, de prophetiis vel de rebus moralibus ac religiosis Patres loquuntur.

Itaque, ut ad solutionem propius accedamus, in memoriam revocandum est id, quod supra diximus, videlicet omnia quæ in Scripturis continentur, sub divina quidem inspiratione fuisse scripto mandata, adeoque divina esse formaliter ratione scriptionis, at exinde non semper sequi omnia etiam materialiter, hoc est, ratione objecti vel veritatis enuntiatæ divina esse vel divina pollere auctoritate. Non est, cur hæc rursus explicemus post ea, quæ in sectione præcedenti de hac re diximus.

Age jam, si hæc attendantur, nihil est offensionis in iis, quæ S. Joan. Chrysost. de S. Paulo scribit in hom. XLIX ad cap. XXIII Actuum Apostolorum : « Rursum humano more disserit, nec semper gratia fruitur, sed etiam permittitur aliquid a seipso afferre, id quod sane fecit. » Notetur S. Doctorem non loqui de Paulo scriptore inspirato alicujus epistolæ canonicæ, sed de Paulo Apostolo causam suam agente coram judicibus, cujus rei historiam *narrat* S. Lucas sub divino charismate in isto libro. Chrysostomus solum significat S. Paulum, dum satis intelligeret rem sibi esse cum iniquis judicibus, ut suæ incolumitati consuleret, arte quadam usum esse, ad quam adhibendam non ex divino impulsu, sed humana solum industria adductus fuerit. Noverat scilicet Apostolus, assessores Synedrii partim esse Sadducæos, partim Pharisæos; ut ergo inter judices scissionem excitaret, sibique faventes nancisceretur Pharisæos, proclamavit se, utpote Pharisæum, cum hisce credere resurrectionem mortuorum, quam negabat Sadducæorum secta. Rei vero exitus contigit, quem speraverat Paulus. Porro

censet Chrysostomus, Apostolum in hac industria adhibenda *gratia* caruisse; hac in re S. Doctori haud contradicemus, ast, quæso, quid hoc probat contra nostram doctrinam?

Pariter difficultatem non faciunt verba S. Basilii (1), qui demonstraturus divinitatem Spiritus Sancti, sequenti utitur argumento. Quotiescumque Spiritus S. in Scriptura loquens inducitur, ejus verbum proponitur tamquam oraculum Dei, non minus quam ubi verba facit Filius. Etiam numquam loquitur nomine alterius, sed semper nomine suo et cum plena auctoritate. Aliter vero res se habet, ubi aliqua creatura, puta scriptor θεοπνευστος in Scripturis loquitur : hic videlicet modo loquitur a seipso, modo ea quæ Dei sunt; idcirco prophetæ dicunt : *hæc dicit Dominus*, et S. Paulus : *de virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do tamquam misericordiam consecutus a Domino*. Porro hæc argumentatio Basilii non proprie attingit quæstionem quam versamus, at solummodo ipsum objectum seu materiam libri inspirati, in quo modo in sua persona ac de suis sensibus hagiographi verba faciunt sub divina tamen inspiratione, modo iis utuntur expressionibus, quibus divinum influxum expresse significant (2).

Paulo durior est modus loquendi S. Ambrosii, qui in hæc verba Matth. XIX, 9 : *Ob duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dare libellum repudii*, sequentia scribit : «Moyses permisit, non Deus jussit : ab initio autem lex Dei est... Ostendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, *non a Deo scripta* » (3). Demonstrat ibi S. Ambrosius matrimonium Christianorum esse prorsus indissolubile, idque ex lege divina in primordiali institutione matrimonii lata et demum renovata per Christum Dominum. Objicienti sibi licuisse Judæis suas dimittere uxores, respondet illud Moysen *permisisse*, non vero Deum *jussisse*.

(1) Adv. Eunom. l. V. cap. penult. n. 2. (2) Cfr. Denzinger o. c. n. 118. Vide etiam S. Thomam, 2. 2. q 174, a. 2 ad 3^{m}, ubi non absimile discrimen ponit inter prophetas et alios hagiographos.

(3) In Luc. l. VIII, nn. 7 et 8.

Non negat autem, neque Christus Dominus negavit, annuente Domino Moysen illud permisisse ob duritiam cordis Judæorum; imo illud supponit S. Doctor, ut patet ex iis, quæ ibidem subjungit de Paulo promulgante facultatem solvendi *conjugium impar*, siquidem asserit, Apostolum « culpam abstulisse destituto » (*al.* de instituto), quod sane non poterat Paulus, Deo non annuente (1). Quando igitur negat Ambrosius a Deo illa fuisse scripta, solummodo negat Deum illam solubilitatem absolute statuisse tamquam proprietatem inhærentem matrimonio, quæ semper et cum divino beneplacito obtineret. Haud itaque inficit, hanc permissionem fuisse Deo inspirante libro Deuteronomii insertam, sed considerat ipsum scriptionis objectum, hoc est, solutionem conjugii, quam dicit Deum neque jussisse neque absolute et cum beneplacito permisisse vel ad scribendum dictasse.

Neque anxios nos tenent verba S. Gregorii dicentis : « aliquando prophetæ sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi quædam ex suo spiritu proferunt et se hoc ex prophetiæ spiritu dicere suspicantur; sed quia sancti sunt, per S. Spiritum citius correcti, ab eo, quæ vera sunt, audiunt » (2). Enimvero Gregorius non loquitur ibidem directe de sacris scriptoribus, sed de prophetis oretenus vaticinantibus. Cæterum exemplum, quod affert de Nathane propheta, propositum suum non probat; nam, præterquam quod verus propheta non est, qui nesciat utrum ex Deo, an ex proprio spiritu loquatur, Scriptura non affirmat ipsum qua prophetam loqui voluisse (3). Quidquid vero sit de opinione, quam hic profert S. Doctor, illa non adversatur doctrinæ Traditionis vel ipsius Gregorii, qua docemur sacros scriptores in exarandis Scripturis, quæ publicæ ac perpetuæ utilitati fidelium inservire deberent, nequaquam istiusmodi hallucinationibus fuisse obnoxios, neque per

(1) Hanc licentiam, Deo saltem annuente, fuisse Judæis concessam confirmatur ex Malach. II, 16 : « Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israël ». (2) In Ezech. lib. I Hom. I n. 16.

(3) II Reg. VII, 3, 4, 12, 13.

intervalla, sed continuo et per totam conscriptionem revera et non apparenter solum fuisse inspiratos.

Tandem urgent adversarii verba quædam S. Hieronymi, quæ sane ipsorum sententiæ proprie non favent, quum, utpote omnino generalia et nullum discrimen inter varios Scripturæ textus notantia, potius ipsi inspirationis facto universim spectato præjudicare videantur. Adducunt videlicet ea, quæ S. Doctor, diversitatem notans inter prophetiam Michææ cap. V, 2 et eamdem prout adducitur apud Matth. II, 6, in suo commentario ad hunc locum Michææ habet : « Sunt qui asserunt in omnibus pene testimoniis quæ de Vet. Testamento sumuntur, istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, aut *interdum sensus ipse* diversus sit : vel Apostolis vel Evangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed *memoriæ credentibus, quæ nonnumquam fallitur.* » Proculdubio, si S. Pater illa ex sua sententia protulit, neque cum doctrina nostra de inspiratione, neque cum ejusdem Patris testimoniis alibi a nobis descriptis conciliari possunt. At constat S. Doctorem sententiam hanc non suo, sed aliorum nomine proferre; dicit quippe : *sunt qui asserunt.* Deinde nullo modo ipse insinuat eam sibi probari. Quinimo ex propria sententia advertit quidem, hagiographos in suis citationibus non semper serviliter de verbo ad verbum sacros textus perscripsisse, sedulo tamen notat sensum semper fuisse servatum. Ita in commentario in Epistolam ad Gal. scribit : « Hoc autem in omnibus pene testimoniis, quæ de veteribus libris in Novo transsumpta sunt Testamento observare debemus, quod memoriæ crediderint Evangelistæ et Apostoli, et *tantum sensu explicato* sæpe ordinem commutaverint, nonnumquam vel detraxerint verba, vel addiderint. » Ipse etiam in loco, de quo sermo est, aliam præmittit solutionem, quæ tamen, prout obvie sonat, paucis, putem, probabitur; scilicet : « Arbitror, inquit, Matthæum volentem arguere scribarum et sacerdotum erga divinæ Scripturæ lectionem negligentiam, sic etiam posuisse, ut ab eis dictum est. » Hæc tamen eo forte intelligi possunt sensu, quo nobis nodus, si quis est, sol-

vendus videtur, nempe Matthæum illam prophetiam iisdem verbis historice retulisse, quibus eam reapse allegarant principes sacerdotum et scribæ populi. Idcirco, si quoad sensum non omnino concordarent cum vaticinio Michææ, istud sacerdotibus errantibus, non Matthæo, errorem eorum dumtaxat referenti, tribuendum esset.

Patet itaque testimonia Patrum ab adversariis collecta, talia non esse, quæ cum doctrina nostra componi nequeant, vel quibus eorum opinio utcumque valeat fulciri. Aliquanto fusius hisce Patrum testimoniis singillatim explanandis immorati sumus, quia penes maximos et illustres Ecclesiæ Patres arma sua conquisiere adversarii : in hac autem momentosa quæstione probe novisse maximi refert, penes hos Patres frustra illos suppetias quæsivisse.

§ 2. *Finis adæquatus in Bibliorum inspiratione a Deo intentus.*

Prout jam innuimus, argumentum, quo, diversa licet sub forma proposito, maxime nituntur adversarii, desumitur ex fine, quem Deus in exarandis Scripturis sibi proposuisse dictitant. Arguunt nimirum Deum, sicut in qualibet operatione vel manifestatione sui publica ac universali, ita in confectione Scripturarum unice præ oculis habuisse æternam hominum salutem. Cum porro huic fini attingendo proxime haud inserviat cognitio veritatum ad scientias profanas spectantium, sed earum dumtaxat, quæ ex se et natura sua ad fidem vel mores pertinent, ideo sapientiæ Dei congruum fuisse, ut per Scripturas solummodo veritates religiosas nobis communicaret. Quapropter Deo inspiranti tantum tribuendas esse illas partes, quibus veritates religiosæ credendæ seu mandata servanda proponuntur, vel quibus ea facta consignantur, quæ cum istis nexum necessarium habent ac eorum veluti historicum fundamentum constituunt; minime autem illas, quibus ea narrantur, quæ respectu æternæ nostræ felicitatis indifferentia plane sunt, puta res familiares, vel sententias per se spectantes scientias profanas.

Argumentum illud, quod ad satietatem evolvunt adversarii, natum est nonnullis fucum facere; verum, si rite perpenditur, protinus apparet totam hanc argumentationem fallacem esse, necnon vitio laborare, quod vocant petitionis principii.

Ut illud ad oculum pateat, quædam remur animadvertenda. *a*) Quoties agitur de determinanda natura alicujus supernaturalis ac liberrimæ Dei operationis in creaturis, caute adhibenda minimeque premenda sunt argumenta, quæ vocant *a priori*. Cum porro hic agatur de liberrima Dei operatione, sicut nec a priori conjectandum, sed a Deo discendum est, utrum de facto exstiterit, ita solum ex testimonio divino noscere possumus, *quomodo* locum habuerit : aliis verbis, non minus intensio et extensio hujus supernaturalis charismatis, quam ejusdem existentia ex divina solum revelatione innotescere possunt. Itaque nunc dumtaxat, postquam nobis ex doctrina Patrum et sensu Ecclesiæ cognoscere datum est, quousque divinus ille influxus in Scripturis sese extendat, determinare utcumque nobis licebit, quemnam finem Deus sibi liberrime in Scripturis inspirandis præstituerit. Porro *b)* juxta constantem et universalem Patrum doctorumque Ecclesiæ doctrinam non solum veritates religiosæ, sed et omnes ac singulæ Bibliorum assertiones etiam per se profanæ sub divina inspiratione conscriptæ fuere, ut abunde stabilivimus. Qui igitur a priori statuunt, Spiritum S. in Scripturis inspirandis hoc sibi intendisse tamquam *unicum, proximum et adæquatum finem*, ut ope verbi sui scripti homines edoceret solum veritates *per se* ad fidem vel mores pertinentes, hoc est, veritates ex natura sua religiosas, logice inferunt quidem illas solas sub divino afflatu in sacris paginis fuisse conscriptas; ast cum hæc ipsa conclusio falsa sit, falsum esse constat et ipsum principium ab ipsis assumptum. Ast *c)* pejus adhuc, imo contra logicam arguunt, qui cum theologo, quem confutat Em. Franzelin, ex principio gratis posito absque ulla ratione addita, concludunt nequidem Deum potuisse, « quin insipienter (zwecklos) ageret » vel

« videretur tractasse, quæ sunt extra artem », alias veritates quam quæ per se et immediate cum æterna hominum salute nexum habent, etiam ad scribendum inspirare nobisque communicare (1). Quî enim probabitur cum Dei sapientia aliove ejus attributo pugnare, ut ipse edocere nos voluerit non solum veritates in se religiosas, sed et alias ad ordinem supernaturalem salutis ex sese immediate non pertinentes? Ex tota enim argumentatione sectatorum novæ istius theoriæ solummodo hoc sequitur, Deum potuisse veritates dumtaxat salutis scripto nobis communicare sive solas, sive, absolute loquendo et in alio rerum ordine, etiam commixtim cum veritatibus humana solum industria conscriptis; minime vero ex ea inferre licet sive *factum* sive *necessitatem* restrictæ inspirationis.

I. His præmissis, ad propositum nostrum accedamus. Imprimis notum cuivis est duplicem distingui finem, scilicet *ipsius operis* et *ipsius operantis*. Prior ille est, ad quem attingendum opus ex ipsa sua natura et efficacia destinatum est; posterior vero, quem operans in opere conficiendo intendit et ad quem illud ordinat. Ubi itaque operis auctor sapiens est et prudens, illud talis naturæ talibusque instructum erit qualitatibus, ut finis ipsius operis specifice et formaliter spectati perfecte et integre correspondeat fini a se intento seu operantis. Inde fit, ut hoc in casu uterque finis identificetur, ac consequenter ex natura, efficacia et proprietatibus ipsius operis colligi queat, quemnam scopum auctor operis sibi præstituerit. Attamen, cum illæ operis qualitates non semper adæquate et liquido perspici valeant, ex illo fonte non semper de scopo operantis integre et perfecte, sed solum quoad principalia constare nobis certo potest. Ideoque recurrendum est, si exstat, ad aliud criterium, scilicet ad ipsum operantis testimonium, quo ille ipse manifestat, quanam intentione ductus fuerit in opere illo conficiendo.

Age porro applicemus hæc generalia principia quæstioni

(1) Em. Franzelin terri testatur, illum theologum huic tanti discriminis sententiæ valedixisse.

quam versamus. Ex ipsa inspectione librorum sacrorum et ex testimonio Dei in illis consignato ac in universali et constanti persuasione Ecclesiæ conservato, docemur finem Sacrarum Scripturarum esse religiosum, hoc est, Deum in conficiendis Scripturis voluisse nos docere ea, quæ spectant æternam nostram salutem secundum præsentem elevationis œconomiam. Illud ipsum testatur Paulus, dum loquendo de Scripturis dicit : « Quæcumque scripta sunt, *ad nostram doctrinam* (utique supernaturalem salutis) *scripta sunt* » (1). Et alibi : « Et quia ab infantia sacras litteras nosti, *quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Omnis Scriptura divinitus inspirata *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus* » (2). Itaque hoc omnino profitendum est, illudque nos assumimus, finem *principalem et ultimum* a Spiritu S. intentum hunc fuisse, ut ope verbi sui scripti homines instruerentur de rebus fidei et morum seu de veritatibus aliquo modo spectantibus æternam suam salutem.

Verum ex eodem divino testimonio simul edocti sumus, omnia, quæ in Scripturis continentur, sub divino charismate fuisse exarata, ac singula quæque esse ratione scriptionis verbum Dei; ex altera vero parte obiter Scripturas perlustranti etiam apparet in iisdem consignata esse quamplurima, quæ ex sese nullo modo aut nonnisi remotissime ad religionem pertinere videntur, utpote ratione objecti ad historiam profanam, geographiam, chronologiam aliasve scientias naturales spectantia. Ut igitur hæc cum doctrina supra tradita componantur, dicendum est, assertiones in se et ex natura sua profanas, licet a Deo intentas, non tamen *propter se* et *ex primaria Dei intentione*, sed *propter alias*, id est propter religiosas, et *ex intentione Dei secundaria et obnoxia* ad scribendum fuisse divinitus inspiratas. Hanc distinctionem indigitavit Doctor Angelicus, ubi in Scripturis distinguit inter credibilia, de quibus est fides *secundum se*, et alia,

(1) Rom. XV, 4. (2) II Tim III, 15-17.

de quibus est fides solum *in ordine ad alia* seu *ad aliorum manifestationem* (1). In idem objective redit distinctio, a theologis pluribus memorata, inter veritates revelatas quia credendas et veritates credendas quia revelatas.

II. Itaque investigandum nunc superest, *quo pacto præ intentione Dei* veritates illæ ex se profanæ ad finem a Deo intentum ordinentur. Quo explanato integrum nobis erit adæquatum et proximum finem Deo propositum presse definire. Porro non desunt rationes sapientiæ Dei apprime congruentes, neque momenta ex ipsa natura libri et lectoris, cui destinantur, petita, quæ nobis Dei consilium in hac agendi ratione patefaciunt.

Itaque 1°, quamvis Deus principalem suum scopum attingere potuisset ope librorum, quibus solum veritates religiosæ systematice et sub forma didactica congestæ haberentur, naturæ hominum conformius fuit, ut instructiones illas religiosas formis quibusdam humanis indueret, quibus illi in commercio quotidiano uti consueverunt. Verum enimvero vulgus hominum non constat ex philosophis, nec ad eorum captum sunt doctrinæ abstractæ sive explicationes theoreticæ, sed opus eis est doctrina veluti vivente, in qua dogmata et præcepta morum sub vivis imaginibus et in sua realitate concreta, ut ita dicam, ob oculos ponantur. Quocirca notandum est, Sacrarum Scripturarum partes haud minimas, imo et integros ferme libros, nonnisi paucas, aliquando unam tantum veritatem religiosam veluti totius libri summam continere, ad quam probandam vel modo practico vividoque ob oculos ponendam fuerunt conscripti. Ita in prioribus Geneseos capitibus exponuntur principia fundamentalia omnis vitæ religiosæ et moralis. Docemur in iis creationem totius universi et nominatim hominis per Deum, originem et finem omnium rerum, lapsum hominis ex statu originalis justitiæ, ejusdemque reparationis promissionem per futurum Redemptorem. Quæ in reliquis libris historicis Vet. Test. leguntur, spectant constitutionem,

(1) 2. 2. q. 2, a. 5.

œconomiam et fata populi Dei, cui commissum erat revelationis depositum et qui per sua instituta suamque synagogam typus, figura ac præparatio erat Christi Redemptoris ejusque sponsæ, Ecclesiæ Novi Testamenti. Jamvero omnia quæ in istis libris continentur, remote vel proxime ad has veritates proponendas illustrandasque convergunt. Quod attinet ad morum præcepta, illa quidem in legibus divinis per Moysen Israëlitis promulgata fuere, at Deo placuit populum rudem eorum observantiam etiam practice docere, ad eamque suaviter allicere, enarrando ei sub formis historiarum vitas sanctorum virorum mulierumque illustrium tam N. quam V. Testamenti. Porro sicut et Israëlitis, ita et adhucdum nobis illæ historiæ sunt efficacissima ad omnium virtutum culturam incitamenta. Hac ratione fidem inconcussam nos docent Patriarchæ, castitatem commendat historia Josephi, patientiæ exemplum præbet pauperrimus vir Job, amorem filialem nobis ostendit Ruth, ad fortitudinem religiosam nos hortantur Machabæorum gesta. In his igitur narrationibus præ oculis habendus est non tam scopus generalis, quem universim in Scripturarum confectione Deus intendit, quam potius intentio particularis et proxima, quam Spiritus S. habuit in conscribenda hac determinata historia : hoc enim pacto solum perspicere est, qua ratione adjuncta particularia minimi momenti et ex sese omnino profana conducant ad finem istum particularem et proximum, atque ita mediate et remotius ad finem ultimum et universalem. Quod ut melius intelligatur, exemplo sit liber Judith, in quo profecto plurima narrantur, quæ juxta adversariorum theoriam elemento mere humano accensenda forent. Nimirum Deus in hac narratione ob oculos nobis ponit ex una parte maximam Judith pietatem et in Deo fiduciam, ex altera parte nos docere intendit se esse unicum et omnipotentem Deum Dominumque universæ terræ, ac ideo contra ipsum non valere quæcumque hujus mundi fortia, ad quæ confundenda haud raro infirma hujus mundi eligit. Hunc in finem minutim describuntur fortitudo et robur exercitus Nabuchodonosor ejusque ducis Holofernis, horum crudelitas et

superbia, angustiæ ad quas redactus erat populus Israël, et particulatim urbs Bethulia, cujus excidium instabat, orationes et jejunia incolarum et maxime viduæ Judith, media quibus hæc, Deo adjuvante, Holofernem decepit atque occidit, liberatio urbis et totius Israël, ac postremo gratiarum actiones. Quis porro non agnoscet hæc omnia convergere ad finem Deo propositum? Quodsi vero hoc conceditur, non video, quo prætextu adversarii nonnullas phrases particulares et incisa, ut dicunt, obiter dicta, Deo auctori abnuere valeant, quum singula quæque relata ad unum ex istis historiæ membris probandum vel illustrandum inserviant. Porro, idem dici potest de pluribus libris historicis tam Vet. quam Nov. Testamenti, quamvis plerumque in eorum singulis non una integra, sed plures occurrant narrationes particulares ab invicem plus minusve disparatæ et particularem scopum habentes, quæ tamen in hoc rursus conveniunt, quod ad scopum generalem, qui semper religiosus est, stabiliendum vel illustrandum sint idoneæ.

At, reponunt adversarii, in iis, quæ hucusque dicta sunt, gratis supponitur omnia sensa in se profana nexum quemdam habere saltem cum fine particulari et proximo a Spiritu Sancto intento, ac ita mediate cum fine religioso universali. Verum hac ratione difficultas quidem eluditur, non autem solvitur. Sane nemo negare ausit, libros præsertim historicos plura complecti per se indifferentia ac minimi prorsus momenti, in quibus nullus deprehenditur nexus sive historicus, sive logicus cum veritatibus religiosis vel cum factis divinis seu narrationibus moralibus. Quis, ex. gr., cum æterna hominum salute connexa credet illa familiaria et tralaticia, qualia sunt Tobiæ canis cauda blandiens (1), Pauli penula Troade apud Carpum relicta (2), hospitium quod is Philemonem sibi parare jubet (3), salutationes quæ sunt in fine Epistolarum? Nonne saltem ista, utpote obiter dicta elemento humano adscribi debent (4)?

(1) Tob. XI, 9. (2) II Tim. IV, 13. (3) Philem. v. 22. (4) V. Card. Newman in suo *Postscripto* § 3.

Hæc argumentatio, quæ utique aliquam speciem habet, occasionem nobis præbet nostram investigationem consiliorum Dei ad mentem Patrum ulterius prosequendi.

Ideo 2° advertimus rursum, nobis minime licere contra disertam Traditionis doctrinam factum inspirationis singularum Scripturæ sententiarum rejicere, etiamsi forte hic illic ultimam nequiremus reddere rationem, quæ Spiritum S. ad hoc vel illud scribendum moverit. Ex hoc enim ipso quod tales sententiæ taliave facta sub fatidico Spiritu libris sacris fuerint inserta, inferre fas est illa vel ex se vel in relatione ad alia altius quid, quod Deo dignum sit, commonstrare (1). Cæterum sufficere semper potest hoc breve responsum, Deum voluisse, ut libri, quos habemus, quoad omnia pollerent divina auctoritate, essentque Deo plane digni ac prorsus veraces, eum quidem in finem, ut homines hujusmodi libris tuto in omnibus fiderent, nec ullo sub prætextu eisdem divinam fidem denegare possent.

Dein, quo pacto demonstrabunt adversarii Deo indignum esse, qui tales veritates minoris in se momenti in libris inspiratis consignarit? Num igitur ipsi melius norunt, quid Deum deceat quam Patres, qui nullam sententiam Scripturarum Deo auctori abjudicandam censebant? Ob easdem enim rationes, quas nunc inducunt ipsi, repudiabant quidam tempore S. Hieronymi epistolam ad Philemonem et similia « humanæ infirmitatis exempla », tamquam nullatenus dicta per Spiritum Sanctum. Porro idem, quod tunc protulit responsum S. Pater, in *Proleg.* ad hanc Epistolam, hodiedum valet adversus nostros adversarios : « Quod si non putant, inquiebat, eorum esse parva, quorum et magna sunt, alte-

(1) Illud idem Origenes illustrat sequenti comparatione : « Sicut non idcirco refellitur divina Providentia ab his maxime, qui eam esse certi sunt, qui opera ejus vel dispensationes humanis ingeniis comprehendere non possint; ita ne Scripturæ quidem sanctæ divina esse inspiratio, quæ per corpus ejus extenditur, propterea non putabitur, quod infirmitas intelligentiæ nostræ non valet per singula verba occultas et latentes investigare sententias, dum in vilioribus et incomptis verborum vasculis divinæ sapientiæ thesaurus absconditur. » Lib. IV De principiis n. 7.

rum mihi conditorem juxta Valentinum, Marcionem et Apellen formicæ, vermium, culicum, locustarum, alterum cœli, terræ, maris et Angelorum debent inducere. An potius ejusdem potentiæ est, ingenium quod in majoribus (quæ hic sunt res fidei et morum) exercueris, etiam in minoribus (seu rebus scientificis et familiaribus) non denegare. » Præterea, si Biblia juxta morem Patrum veterumque theologorum ea firma legamus persuasione, qua cum Gregorio Nazianzeno credamus, « neque res minimas a scriptoribus esse temere positas », menteque ad illorum auctorem assurgamus, sæpe haud arduum erit, etiam seposita istorum connexione cum aliis, rationes saltem probabiles invenire Dei sapientiam et bonitatem maxime commendantes, quibus eum ad talia scribenda adductum fuisse prudenter sentiamus. Ita in iis, quæ Paulus ad discipulum Timotheum scribit de penula adducenda, invenire est documentum, quo doceamur corporis quoque ac terrenorum bonorum curam minime esse negligendam. Similiter hospitium, quod Paulus a Philemone pro Onesimo expostulat, exemplum est hospitalitatis illius, quæ priscos inter Christianos obtinebat. Pariter ex salutationibus Epistolis subjectis discimus magnam illam charitatem, qua primi Christi discipuli se invicem prosequebantur, tum simul iisdem posteritati conservatur memoria virorum, qui per sua gesta grandiora de primitiva Ecclesia bene fuerunt meriti. Tandem in eo quod de famoso Tobiæ catulo narratur, indicium deprehendimus providentiæ, qua Deus vel irrationabilia ipsa hominis, cujus gratia ea creavit, oblectamentis et commodis inservire jubet.

Denique 3° animadvertimus libros sacros pro hominibus esse conscriptos, adeoque conveniens admodum fuisse, ut externa sua specie homines allicerent, atque ita, rebus religiosis per alias temperatis, suavius ac libentius ab hominibus legerentur. De libris namque divinis idem dici potest, quod de libris humanis, non omnia scilicet in eis contenta directe et immediate scripta esse ad docendum, sed etiam aliqua ad lectorem dulciter movendum et delectandum. Cum porro Deus, ut in aliis suavis suæ providentiæ

operibus videre est, omnia adhibeat media, quæ ad finem sibi propositum conducere nata sunt, suæ bonitati consentaneum fuerit, ut in libris sacris nonnulla immisceret, quæ magis spectarent ad ornatum. Illud dilucide confirmatur ex modo, quo Christus Apostolos discipulosque suos instruere solebat. Adhibebat nimirum frequenter parabolas, quibus aliquam doctrinam vividis coloribus proponere instituebat. Jamvero omnes fere consentiunt, in istis parabolis sæpe nonnulla addita fuisse solummodo ad ornatum, ad lectoris jucunditatem atque ad complementum et verisimiludinem historiæ, non autem ad peculiare quid portendendum vel significandum, adeo ut ineptum esset singularum particularum momentum et significationem studiose rimari. Talia proculdubio occurrunt in parabolis de Samaritano semimortuo, de decem virginibus, de filio prodigo aliisque(1). Quid igitur obstat, quominus in libris divinitus inspiratis, in quibus veritates religiosæ veluti nucleum constituunt, nonnulla quasi pro cortice immixta dicamus ad historiæ descriptionisve integritatem ac gratiam, vel ad ingenuitatem et simplicitatem narrationis, quippe quæ magna sunt adjumenta et ornamenta veritatis? Quo semel concesso, ea divino Bibliorum auctori haudquaquam sunt abjudicanda, utpote ab ipso ad scopum se dignum positive et per se, licet solum secundario intenta (2).

Tandem 4° aliam adhuc subjungimus considerationem.

(1) Monet nos S. Joan. Chrys. Hom. 64 (al. 65) in Matth. n. 3 : « non oportere omnia, quæ parabolæ continent, verbatim scrutari, sed scopum intelligere, ad quem institutæ sunt, eoque percepto et usurpato nihil amplius inquirere. » Illud advertunt fere omnes theologi et interpretes in expositione parabolæ operariorum in vinea, Matth. XX.

(2) « Non sane omnia quæ gesta narrantur (in Scripturis), aliquid etiam significare putanda sunt : sed propter illa quæ aliquid significant, etiam ea quæ nihil significant adtexuntur. Solo enim vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria : et soli nervi in citharis atque hujusmodi vasis musicis aptantur ad cantum; sed ut aptari possint, insunt et cætera in compagibus organorum, quæ non percutiuntur a canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur ». S Aug. De Civ. Dei. l. XVI cap. II n. 3.

Sacræ Scripturæ libri, ut jam dictum est, non exhibent completam instructionem catecheticam vel systematicum sacræ theologiæ cursum, sed plures libri, uti Apostolorum scripta, ex quibus potissimum adversarii argumenta conquirunt, conscripti fuere data occasione et ob peculiares necessitates alicujus Ecclesiæ vel personæ, ad quam primitus et immediate destinabantur. Unde patet, Deum nos docere voluisse veritates ad salutem pertinentes ope etiam epistolarum, quas Apostoli ad Ecclesias particulares mittebant. Consequenter evidens est, has epistolas duplicem habere destinationem, nempe particularem et universalem seu catholicam : particularem nempe, quatenus earum ope instruebantur priscæ illæ Ecclesiæ; universalem vero, quatenus Deus eas epistolas per seipsum conscribendo, eas effecit documenta divinarum revelationum et consequenter eas tamquam publica cœlestis doctrinæ instrumenta universali Ecclesiæ tradidit. Porro sicut epistolæ illæ præ charactere suo particulari et familiari postulabant, ut in illis de rebus nonnullis familiaribus ageretur, ita character earum publicus et destinatio catholica minime impediverunt, quominus Deus illa familiaria conscribi voluerit, quandoquidem illa quoque, quæ nobis minimi momenti incisa videntur, si altius considerentur, utiles ac sublimes sæpe continent instructiones pro vita nostra morali et religiosa. Ita, ut exemplo mox memorato rem illustremus, quando Spiritus S. inspiravit Paulo, ut discipulo Timotheo scriberet : « Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum », nullatenus voluit præ scopo universali et primario nos docere Paulum reliquisse suam penulam Troade apud Carpum, non alibi neque apud alium, sed aliud quid intendere potuit universæ Ecclesiæ proficuum, puta illud forte quod supra diximus (1).

(1) Dico *forte*, non solum quia aliam præter indicatam potuit Deus instructionem spiritualem intendisse, verum etiam quia non videtur per se necessarium, ut dicamus Deum aliquam ejusmodi veritatem spiritualem præ oculis habuisse : talium enim familiarium rerum mentio a Deo facta satis intelligitur et veluti expostulatur ex ipsa forma epistolæ familiaris semel ab ipso assumpta.

Conclusio. Finis igitur *adæquatus et proximus* in Sacrarum Scripturarum confectione a Deo intentus non fuit, ut veritates omnes religiosæ seu res fidei et morum systematico modo in aliquot libris compactæ nobis traderentur, vel libris, partim humana industria conscriptis, eorumdem scriptores identidem inspirando, hic illic interjicerentur, verum *ut in rebus ad vitam fidei et gratiæ in præsenti ordine elevationis pro hoc stadio viæ, et ad beatam glorificationem pro altera vita pertinentibus, homines instruerentur ope librorum, quoad omnia et singula auctoritate divina pollentium, in quibus illæ veritates etiam aliquando forma quadam familiari, puta historiæ, narrationis, epistolæ, induerentur, quique igitur non solum complecterentur veritates presse et in se religiosas, sed et sententias ex natura sua profanas, habentes tamen cum illis prioribus ex natura rei vel ex Dei intentione nexum aliquem proximum vel remotum.* Itaque notitiæ ex sese religiosæ ex Dei intentione primaria sunt *propter se* inspiratæ, reliqua vero sensa sunt verbum Dei seu sub divino afflatu conscripta, quamvis solum *accessorie et in ordine ad res fidei et morum.*

§ 3. *De habitudine Scripturarum ad scientias profanas.*

Explorato fine Scripturarum, indagandum est quid valeat quousque verum sit illud, quod adagii instar hinc a nonnullis patronis, inde ab adversariis nostræ sententiæ diverso utique scopo edicitur, nimirum *Sacras Scripturas nos non docere scientias profanas.* Videlicet ad hoc principium confugiunt alii, ut probent Bibliorum textus, quos vocant scientificos, inspiratos minime esse; alii e converso eo fere sensu isto principio utuntur contra adversariorum objecta, ac si in Scripturis nullæ veritates scientificæ adstruerentur, vel saltem adeo obscure de iis haberetur sermo, ut ex iis certi nil confici quiret (1). Nos vero cum plerisque opinamur, illud

(1) V. Schäfer, in periodico *Der Katholik*, in art. : *Das theokratische und übernatürliche Princip in den heil. Schriften der A. T. und die Profanwissenschaften.* 1878. April, Juni, Dec. 1879 März, 1880, id.

principium neutro sensu indicato intelligi posse, neque reapse ita intellectum fuit a theologis et sacris interpretibus. Si enim priori sensu accipitur, directe adversatur doctrinæ quam præsenti articulo abunde satis vindicavimus. Altero vero sensu intellectum non minus manifeste falsum deprehenditur, ut obiter Scripturas perlustranti apparet. In his namque proculdubio plura sine ambagibus adstruuntur, quæ in sensu proprio et immediato accepta, ad scientias profanas proprie dictas ex sese spectant. Sufficiat memorasse caput primum Geneseos, quem librum ex ipsa sua indole historicum esse liquido constat : in hoc porro non pauca inveniuntur, quæ per se ad cosmogoniam et anthropologiam pertinent. Pariter in libris Regum occurrunt plura, quæ historiam et chronologiam spectant, ac denique in singulis pene libris sacris notitiæ historicæ, geographicæ aliave ratione scientificæ passim subministrantur. Ut uno saltem exemplo intentum illustrem, eminenter sane scientifica est veritas unitatis speciei et stirpis universi humani generis, et quidem duplicis unitatis, nempe ex Adamo et ex Noacho. Quamvis porro prior unitas intime nexa sit cum dogmate peccati originalis, nihilominus ratione sui est et manet veritas profana, non secus ac aliæ notiones ad anthropologiam spectantes (1). Liquet veritates istas ex sese scientificas et

Neutri sententiæ favent Augustini verba, quæ adducuntur ex ejus *Actis cum Felice Manichæo* (l. I, cap. X). Ibidem namque S. Doctor utitur argumento ad hominem contra Felicem, qui ex eo arguebat Manichæum esse Paracletum Spiritum promissum a Christo ad docendam omnem veritatem, quod hic eos docuisset « initium, medium et finem, et quomodo et quare factus sit mundus, de cursu solis et lunæ ». Redarguit nempe Augustinus, in Scripturis nullibi promissum fuisse Paracletum talia docturum, quia Dominus « Christianos facere volebat, non mathematicos. » Non negat igitur ad doctrinam et disciplinam Christianam pertinere, quæ de his in Scripturis leguntur, sed ad summum indirecte dicit (quod nos mox in textu etiam dicemus) talia, si quæ sunt in Scripturis, data opera, propter se et secundum ultimas causas non doceri.

(1) V. testimonia SS. Hieron. et August. supra a nobis adducta. Cf. etiam Cornelium a Lapide in *Encomio Sacræ Scripturæ* et Moigno in op. *Les livres saints et la science*. Chap. prélim. § I. Expressissimis verbis idem docet S. Thomas in QQ. de ver. q. 12, art. 2 in corp. et ad 3m.

ordinis solum naturalis per hanc inspiratam scriptionem elevari ad ordinem supernaturalem revelationis et fidei. Neque illud ullatenus repugnare optime perspiciet, quivis advertit in præsenti ordine elevationis plures alias veritates tum speculativas tum practicas ex sese captum humanæ rationis et experientiæ haudquaquam excedentes, secundum Dei beneplacitum per revelationem evectas esse ad illum eumdem supernaturalem ordinem, adeo ut jam duplicem ordinem attingant. Ne tamen videremur hic loci jam dictis vel infra dicendis adversantia proponere, opportune notamus, *a)* assertiones per se profanas uno ex modis supra expositis præ Dei intentione ad veritates religiosas referri; etiam *b)* nos minime negare non pauca, quæ ex se profana sunt, sensum etiam typicum habere, quo immediate veritatem religiosam indigitent; nihilominus, *c)* quoniam sensus typicus in rebus per verba expressis fundatur, sensus proprius etiam verus sit oportere et a Deo, licet non propter se et principaliter, attamen propter alia et secundario intentus.

Quibus delibatis, sensum illius axiomatis ita definire fas esse putamus, ut significet in Scripturis non ex professo tradi notitias scientificas qua tales, scilicet tamquam explicationem phænomenorum ex ultimis causis naturalibus, vel tamquam corpus seu systema completum scientiarum v. g. cosmographiæ, astronomiæ, zoologiæ, ethnologiæ, historiæ naturalis; verum, quæ in illis huc spectantia affirmantur, exhiberi ut mera facta, quæ non propter se sed propter alia obiter et sæpius indirecte solum adstruuntur (1). Quapropter in sacris litteris plerumque quærendam non esse solutionem ænigmatum, quæ has scientias incolentium animis occurrunt, ulterioribusque progressibus moras afferunt. Dixi *plerumque*, nam oppido adparet in sacris litteris nonnulla inveniri ad historiam ex. gr., chronologiam, geographiam-

(1) Sensu indicato, at non eo quem ipse intellexit, dicere potuit Cl. Faye : « La science n'est pas d'inspiration divine » in suo op. *Sur l'origine du monde*, in quo etiam crude satis adstruit : « L'inspiration n'a jamais porté sur les questions d'ordre scientifique. »

que potissimum pertinentia, quæ fatentibus ipsis rationalistis maximæ quandoque sunt utilitati iis, qui v. gr., historiam populi Israël, et aliarum etiam gentium usque ad remotissima tempora contexere satagunt.

Cum itaque illi textus sic dicti scientifici etiam sint inspirati, ac porro divina gaudeant auctoritate, idcirco, si quæ a viris scientiarum naturalium peritis proferri contingat sententia *genuino et indubio sensui* Scripturarum certo opposita, sine dubio ut falsa est habenda. Jam audivimus S. Augustinum proclamantem : « quidquid his nostris litteris profertur contrarium (agebat de rebus naturalibus), contrarium est catholicæ fidei. » Quæ hic advertimus, maxime sunt attendenda in salebrosa illa quæstione, in quam jam tot insudarunt viri in Ecclesia insignes, ac circa quam nonnulli etiam ex catholicis minus accurata protulerunt, scilicet in exegetica expositione primi capitis Geneseos, in quo a Moyse describitur universitatis rerum successiva productio. Per nos quidem licet, ut dicatur Moysen seu Deum per Moysen non sibi voluisse *modo scientifico et secundum terminologiam modernam exacto completum* nobis tradere cosmogoniæ systema, at, spectata indole manifeste historica hujus narrationis, assentiri non possumus iis, qui a Moyse in hac re tradita vel pro libitu negari, vel in sensu allegorico accipi vel sub quocumque prætextu flocci fieri posse opinantur. Ex dictis enim infertur, omnia huc spectantia *in eo sensu* vera esse et inspirata, quem Spiritus S. intendit. Nihilominus in hoc investigando, in quo præcise jacet difficultatis nodus, præ oculis habenda sunt, 1° verbis Geneseos nonnihil obscuritatis inesse, eaque pati aliquam latitudinem; 2° cum verum vero opponi nequeat, hoc est, certæ conclusiones scientiarum opponi nequeant verbo Dei, attendendum esse canonem negativum, hoc est, eorum esse rationem habendam, quæ in variis scientiis invicte demonstrata inveniuntur, et quibus itaque textus sacer rite intellectus adversari nequit; etiam 3°, quod mox generatim expositurі sumus, Moysen, cum de hisce rebus non tractet ex professo seu modo scientifico, neque hic neque alibi adhibere formulas

ad scientiam exactas, sed potius uti modo loquendi vulgari omniumque captui accommodo. Qui hasce exegeseos regulas in hujus capitis enodatione religiose sunt sectati, eo pervenerunt, ut ostenderent narrationem Mosaïcam cum certis scientiarum conclusionibus non pugnare, necnon ut a difficultatibus ex recenti naturalium scientiarum incremento subortis, ea ratione se expediverint, quæ viris harum rerum peritis nequeat non probari. Quia vero hæc longius nos a proposito nostro abducunt, pro fusiori istorum explanatione remittimus ad probatiores hujus ætatis interpretes (1).

§ 4. *Sacri scriptores communem et vulgarem adhibent loquendi modum.*

Vix oculis creditur, quando apud quosdam hujus ætatis scriptores etiam catholicos apprimeque doctos citationes quamplurimæ leguntur ex Scripturis desumptæ, quas dicunt evidenter cum certis scientiarum conclusionibus pugnare, ut porro concludant in textibus scientificis Scripturas inspiratas minime esse, vel saltem admittenda esse quædam *obiter dicta* minime inspirata. Manifesto affectant illi continuo in Scripturis textus invenire scientificos, qui tamen revera scientifici non sunt. Hæ porro difficultates, si quæ sunt, sive a rationalistis Scripturas irridentibus sive a catholicis doctrinam nostram impugnantibus nobis oggestæ, facili negotio plerumque enodantur, si praxeos indicatæ ratio habeatur. Dicimus scilicet Deum in Scripturis, utpote hominibus et per hominem loquentem, usum esse sive uti sivisse iis formulis et expressionibus, quas homines communiter adhibere assolent ad sua sensa et cogitata aliis communicanda. Quod ut rite intelligatur, paucis enucleanda est indoles humani sermonis. Nimirum, sicut pleraque nomina et voca-

(1) Cfr P. Pianciani, in op. *In historiam creationis Mosaicæ commentatio;* D. Molloy, in *Geology and Revelation;* D. Pozzi, *La terre et le récit biblique;* D. Motais, *Moïse, la science et l'Exégèse;* Illust. Lamy in suo *Commentario in librum Geneseos;* D. Swolfs, *La création et l'œuvre des six jours.*

bula, quippe non a viris litteratis, sed a vulgo primitus rebus actionibusque imposita, non ad rerum intestinam rationem, sed externam solum earum speciem exacta ut plurimum sunt, ita locutionum formulæ ad conceptus notionesque exprimendos adhibitæ sæpe non objectivis rerum naturis, verum externis tantummodo phænomenis consonæ esse inveniuntur. Ultima hujus rei ratio est, quod essentias rerum non intuitive cognoscamus, sed ex earum qualitatibus et operationibus externis primam earum acquiramus notitiam, ultra quam rudes non procedunt ac juxta quam etiam suas loquendi formulas effingunt. Nihilominus quemadmodum hæc cognitio falsa non est, sed solummodo imperfecta, ita neque hæ formulæ erroneæ sunt dicendæ, quandoquidem tum conceptui tum rebus, prout externe se manifestant, adæquatæ esse inveniuntur. Quocirca sciendum, errorem formaliter non esse in ideis seu in apprehensionibus, quæ a rebus, ut externe et sensibiliter apparent, nobis subministrantur, sed solum in judiciis, in quantum nempe intellectus tribuit rebus objective spectatis ea, quæ solum præ nostro imperfecto apprehensionis modo eis accidere videntur. Porro quando homines iis utuntur loquendi formis, non ad scientificorum principia exactis, non intendunt sive directe sive indirecte eas adstruere vel fovere opiniones rudes, imperfectas, imo rigorose et scientifice loquendo erroneas, quas verba proprie accepta insinuare possent, sed directe enuntiant solum ea phænomena omnibus notissima et verissima, quæ sui populares iisdem verbis solent significare, haud solliciti de modo quo ista objective eveniant vel nascantur. Non negatum imus, plures, qui talibus loquendi formulis utuntur, sæpius opinari res objective se habere, prout sensibus apparent ac proin in errore versari; ast aliud est loqui juxta apparentias, quæ falsam aliquam opinionem parere possunt, aliud est hunc errorem suo sermone directe adstruere, mentique lectoris vel auditoris necessario ingerere(1).

(1) Illud expresse etiam docent Patres : « Mos est Scripturæ Sacræ, ait S. Chrysost. in Gen. Hom. XIII, 4, propter nos et ad utilitatem nostram

Quæ generatim hucusque perstrinximus, applicanda modo sunt loquendi rationi hagiographorum in Scripturis. Hic autem opportune recolatur distinctio, quam supra faciendam diximus, inter partem formalem et partem materialem in Scripturis, seu, ubi agitur de singularibus propositionibus, inter *verbum formale* seu rem expressam et *verbum materiale* seu modum illam exprimendi. Priore indicatur conceptus, quem loquens vel scribens directe exprimere aliisque communicare intendit : hic porro semper in Scripturis habet Deum auctorem. Posteriore vero, prout a priore distinguitur, significantur verba, expressiones, quibus hagiographus sententiam sibi ad scribendum inspiratam exprimit. Hæc porro signa possunt esse adeo impropria, ut, si ad litteram et secundum vim nativam spectentur, abstractione facta a ratione loquendi communi et ab intentione loquentis, sensum exprimant vel saltem innuant, qui non sit scientificus, imo falsus et erroneus. Non studiose hic indagamus, utrum hagiographi accuratiores habuerint notiones scientificas quam sui coævi. Ad hoc sane ipsis opus fuisset peculiari revelatione, quam utrum necne semper vel aliquando habuerint, merito dubitaveris (1).

His præjactis gressum facimus ad quarumdum locutionum declarationem, in qua hucusque dicta clarius patescent (2).

humanis uti verbis. Quod ut ediscas, perpende quomodo prius cum de stellarum creatione ageretur, eadem usa sit voce dicens : Et posuit illas in firmamento cœli; non ut eas cœlo infixas putemus; nam earum singulæ cursum proprium conficiunt, locum ex loco mutantes; sed ut doceat se illis ut in cœlo essent præcepisse. » Cfr. in Epist. ad Philip. hom. IX, § 2. S. Augustin. De Civ. Dei l. XVII, cap VI, n. 2 et de Trinit. l. I, n. XXIII, S. Thomas. 1, 2, q. 98, a. 3 ad 2m.

(1) Cfr R. P. Corluy in Art. *L'interprétation de la S. Ecriture*, III, in op. *La controverse et le contemporain*, 15 mai 1885.

(2) Cfr. Schäfer in : *Der Katholik*. 1878 decemb., 1879 märz; Kaulen, l. c., p. 42 seqq ; Schmid, l. VI, c. II; Ephemer. *La controv. et le contemp*. 1885 janvier. — Nonnemini videri posset nos hic in diverticula abire, cum hæc proprium suum habeant locum in quæstione de interpretatione Bibliorum. Id quidem, spectata materia, verum est; ast ad hoc studium nos adigunt adversariorum objecta. Ne scilicet videamur illa solum, quæ

Itaque 1° in sacris litteris crebro occurrunt loquendi formulæ, quæ, si verba rigorose et in sensu absoluto sumantur, innuere videntur terram quam inhabitamus absque motu in sua basi esse stabilitam, ac porro vicissitudines temporum, seu diei ac noctis, non a motu terræ circa proprium axem, ut nunc scientifice constat, sed ab ortu, progressu et occasu, uno verbo, a reali ac diurno motu solis originem ducere. Notissima est narratio miraculi, quod, orante Josue, Deus operatus est, quodque in Josue libro cap. X his verbis refertur : « Tunc locutus est Josue Domino, in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis : sol contra Gabaon ne movearis et luna contra vallem Ajalon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetitque sol in medio cœli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies. » Siracides illud miraculum celebrans in laudibus Josue, similibus verbis ejus meminit : « An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo » (1). Item legimus in Ecclesiaste : « Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur : ibique renascens » (2). Pariter ubi Isaias narrat prodigium, quo ipse solis umbram regredi fecit decem lineis in horologio Ezechiæ, ita scribit : « Et reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat » (3). Hocce miraculum pariter memorans Ecclesiasticus ait : « In diebus ipsius (Isaiæ) retro rediit sol et addidit regi vitam » (4).

Oppido liquet in hisce textibus illud obtinere, quod supra diximus, videlicet hagiographos, Deo permittente, adhibuisse loquendi formulas ex apparentiis desumptas et vulgari usu tritas. Sane istæ propositiones nequaquam in se falsæ sunt, cum illum sensum solum formaliter et ex lo-

nobis favent, aucupasse, momenta vero fors non spernenda adversæ sententiæ silentio præteriisse, illa saltem paucis attingere cogimur, quæ ceu magis stringentia ab illis ventilantur.

(1) Eccl. XLVI, 5. (2) I, 4 et 5. Cfr. Job. IX, 7; Ps. XVIII, 6 et 7.

(3) Is. XXXVIII, 8. Cfr. IV Reg. XX, 11. (4) XLVIII, 26.

quentis intentione exprimant, quem usus communis loquendi sanxit : proinde ii, qui ita loquuntur, directe asserere non intendunt (licet forsan id putent), solem, prouti in se est, realiter et a parte rei terram quotidie circumire, at solum indicare volunt notissima illa phænomena apparentia motus, et, in casu miraculi, stationis vel regressus solis, quocumque tandem modo objective ista producantur. Illa communis lex humani sermonis inveterata adeo est, ut etiamnum non modo indoctos, sed etiam doctos, quin et ipsos astronomos loquentes audiamus de ortu et occasu solis, de ejus ascensu æstivo tempore, de ejus obscuratione integrali vel partiali in eclipsi, de nova, plena ac decrescente luna, et ita porro (1). Et quod speciatim attinet ad motum aliaque phænomena huic affinia designanda, aliud dicendi genus ferre non posset communis sermo humanus : ratio est, quia vi legis, quam vocant, *motus relativi*, semper et quasi spontanee, ubi in aliquo medio movemur modo non immediate sensibili, hunc motum referimus ad alia corpora extra hoc medium seu systema posita. Unde fit, ut etiamsi omnes homines in astronomicis rebus essent versatissimi, non possent, nisi ubi ex professo et modo scientifico de istis rebus sermonem haberent, aliud loquendi genus sectari, quin continuo suæ imaginationi suisque apprehensionibus vim inferrent ac veluti contradicerent (2). Quid igitur mirum, Deum has loquendi formulas adhibuisse vel potius permisisse?

Illis missis, quid dicendum de illis Scripturarum sententiis, in quibus non solum motus diurnus tribuitur soli,

(1) Eodem jure potuit dicere Moyses, Deum quarto die fecisse duo luminaria magna, solem et lunam, majora quippe reliquis astris nobis apparentia, quamvis de facto sint minora et nequidem luna ex sese sit corpus lucidum, sed solum lucem reflectat, quam a sole accipit.

(2) Vide Moigno. o. c. chap. IV.— Hinc obiter inferimus ex citatis locis, si rite intelligantur, nullum desumi posse argumentum in patrocinium systematis Ptolemæi contra systema Copernici vel Galilæi. Quod si ad hoc attendissent utriusque sententiæ propugnatores, non tantas excitassent turbas in Ecclesia mediante sæculo decimo septimo.

sed et expresse negatur terræ motus, quandoquidem tellus dicitur immobiliter super bases vel super aquas fundata? Ad hunc censum pertinent illud Jobi : « Qui commovet terram de loco suo et columnæ ejus concutiuntur » (1); illud Psalmistæ : « Quia ipse super maria fundavit eum (orbem terrarum); et super flumina præparavit eum » (2). « Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi » (3). « Qui firmavit terram super aquas » (4); tandem illud Eccl[is] : « Terra autem in æternum stat » (5).

Imprimis generatim animadvertimus in istis rursus applicationem inveniri illius legis humani sermonis supra abunde explicatæ. Præterea illud non omiserimus, hic adhiberi stylum poëticum, qui ordinarie refercitur figuris, puta, metaphoris et allegoriis ex specie externa haustis. Quod vero speciatim attinet ad firmitatem et immobilitatem telluris, notetur in locis objectis minime affirmari immobilitatem terræ in spatio, ut autumant adversarii, sed vel soliditatem ejus constitutionis, vel perdurationem existentiæ ejus qua terræ in tempore, vel tandem permanentiam ejus in illo universitatis spatio ipsi assignato et in quo, stabilita in suo centro, in ævum idem curriculum perlustrat (6). Nominatim quod spectat verba Ecclesiastis, quæ iterato urget Emin. Newman, manifeste elucet ex contextu, solummodo asseri permanentiam terræ in tempore. Etenim Salomon illud declaraturus, quod v. præced. edixerat, scilicet homines frustra tam arcte laborare assidueque se fatigare, hanc lectori suggerit considerationem, homines hic brevi solum tempore peregrinari : « Generatio præterit et generatio advenit »; huic dein generationum permutationi per parallelismum antitheticum opponit terræ, quæ est theatrum harum vanitatum, persistentiam in ordine suo : « terra autem in æternum stat. »

Denique quod dicat Scriptura, terram super aquas esse fundatam, directe solum significat, terram aquis superiorem

(1) IX, 6. (2) Ps. XXIII, 2. (3) CIII, 5. (4) CXXXV, 6. (5) I, 4.
(6) V. Beelen ad hh. ll.

constitutam esse, siquidem Deus, eam super maria late ampleque apparere et eminere voluit. Illud oppido confirmatur ex eo, quod non modo super aquas vel maria, sed etiam super flumina fundata dicatur (1). Quod autem conficere satagunt ex verbis Psalmistæ : « Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus » (2), et Isaiæ : « Qui extendit velut nihilum cœlum et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum » (3), quasi hic adstrueretur figmentum veterum, quo cœlum sidereum putabant ingentem fornicem vel orbiculatum quoddam corpus solidum seu crystallizatum terræ incumbens, quod cum ea efformet ingens hemisphærium, ex dictis facile confutatur. Scilicet sacer scriptor modo emphatico et stylo poëtico enarrat omnipotentiam Dei, mundi creatoris ac gubernatoris : porro ad hoc mutuavit locutiones a vulgo et etiamnum a nobis adhibitas, quin ideo ullatenus sive directe sive indirecte significare intenderit illas externas apparentias, ex quibus locutiones illæ desumuntur, esse objectivas rerum realitates. Hæc jam quoad ea, quæ plus minus ad astronomiam vel cosmogoniam spectant, sufficientia sunto.

2° Nodos magis intricatos involvere videri possent ea, quæ ab adversariis oggeruntur, ut hagiographos erroris arguant in rebus zoologicis et physiologicis. Directe enim asserere dicuntur talia, quæ aperte falsa demonstrantur a viris harum scientiarum peritis. Nominatim legimus in Levitico : « Lepus quoque (immundus est) : nam et ipse ruminat, sed ungulam non dividit » (4), dum tamen ex historia naturali illud prius falsum esse constet : lepus namque non ruminat. Vespertilio bis annumeratur avibus, quamvis ova non ponat, sed mammis fœtus nutriat, ac proin accensendus sit mammiferis (5). Tandem in libro Sapientiæ rex Salomon ita loquens inducitur : « In ventre matris figuratus sum caro,

(1) Adversariorum interpretationi opponeretur præterea illud Job XXVI, 7 : « Qui appendit terram super nihilum » et illud Is. XL, 22. « Qui sedet super gyrum terræ. » (2) Ps. CIII, 3. (3) Is. XI, 22.

(4) Lev. XI, 6. (5) Lev. XI, 19.

decem mensium tempore coagulatus in sanguine » (1), quæ verba manifeste enuntiant fœtum humanum efformari ex sanguine matris ac eodem nutriri in utero materno : quod utrumque ceu veterum figmentum irridetur ab hodiernis physiologis. Numquid igitur istos errores Spiritui S. tribuemus? Nequaquam, respondemus ; ne minimam quidem falsitatem Spiritui S. adscribere licet ; nihilominus etiam istarum assertionum Deum auctorem et inspiratorem profitemur. Verum negamus, quod adversarii supponunt, nimirum in istis locis ex sensu loquentis errores adstrui. Ostendant namque ipsi penes Moysen et Israëlitas, ex. gr., vocem illam *ruminare* totam illam significationem obtinuisse, quam nunc ipsi subjiciunt viri eruditi phænomenorum causas pervestigantes. Hi enim animalia *ruminantia* nuncupant ea, quæ ob specialem stomachi efformationem seu digestionis processum cibos semel deglutitos in os denuo reducunt, ut iterum mandantur dentibusque comminuantur. Hanc autem operationem consequuntur ii externi effectus, ut penes eos extra comestionis tempus dentium corrosio audiatur et potissimum aliquis mandibulorum motus percipiatur. Cum porro hæc sensibilia sint omniumque experientiæ pervia, vulgo illa animalia *ruminantia* audiunt, penes quæ extra comestionis tempus ejusmodi signa sensibilia animadvertuntur, quin inquiratur, utrum ex iisdem psycologicis seu naturalibus causis oriantur. Porro lepores in quiete constituti, eadem signa edere omnes norunt, utut alia de causa. Quapropter vulgo animalibus ruminantibus accensentur (2). Eccur itaque, quæso, non potuit Deus, qui

(1) Sap. VII, 1, 2. — Dico Salomonem *loquentem induci* : ipse enim secundum communem recentiorum sententiam, non est hujus libri scriptor. Disputatur autem utrum loco citato scriptor dicendus sit solummodo sensa istius regis sub divina inspiratione retulisse, an vero verba sua per fictionem poëticam in ejus ore posuisse. V. Schmid. O. c. n. 150 in nota.

(2) Videlicet lepores carent dentibus tam molaribus quam incisis, ac solum instructi sunt duobus dentibus præcisoribus in utroque mandibulo. Quoniam vero mandibulum inferius superiore brevius est ac idcirco dentes usu non deperiunt, continuo coguntur dentes fricare seu corrodere, ne

per Moysen rudi populo legem dabat, usurpare illas voces in eo sensu, quo tunc temporis et etiamnum in communi sermone adhibentur? Nonne potius Deum maxime decebat, quod in notandis animalibus, non signa distinctiva presse scientifica Israëlitis incomperta, sed talia indicaret, quæ omnium oculis incurrunt, et ad quorum applicationem non necesse erat prævie in modum digestionis inquirere? Scriptura de habitudine stomachi leporum nil affirmat, unice sollicita cum sit de probe determinandis limitibus præcepti, quo temperantiam et obedientiam eos docere intendebat. Neque magis zoologorum classificationibus contradicit Scriptura, quando vespertilionem avibus accenset : neque enim Spiritui S. animus erat, animalia in diversas species scientifice partiri, sed voluit in legibus ferendis se apprehensioni communi adaptare, ut non modo a peritis sesquioris ævi, sed et ab indoctis Israëlitis intelligeretur. Unice eorum intererat nosse vespertilionem, qui sicut aves in aëra volitat ideoque avibus vulgo accensetur, ex lege Dei immundum ejusque esum prohibitum esse.

Locum Sapientiæ quod spectat, in eo non necessario significatur fœtum humanum efformari ex materia, quæ sit formaliter sanguis, cum etiam verificetur illa formula, esto mediate solum ex sanguine formetur, atque eo alimento alatur, quod sit saltem virtualiter vel dispositive sanguis. Cæterum occurrit hic rursus forma quædam loquendi, quæ ex apparentiis originem ducit, et in communi loquendi genere etiamnum ab eruditis usurpatur, utut perspectum habeant physiologicum illud principium : omne vivens ex ovo. Sane hodiedum christiani omnes dicunt, corpus Christi Domini efformatum esse ex purissimo sanguine B. Mariæ Virginis; parentes, præsertim matres, de sua prole tamquam

superiores in formam falculæ nimium excrescentes, inutiles fierent. Inde illi motus externi similes iis, quos producunt animalia vere ruminantia. Vide hæc longius exposita ap. Schäfer in art. cit. in *Der Katholik* 1878. decem. — Obiter hic notetur singularem illum digestionis processum ob peculiarem stomachi naturam recenter solum recognitum fuisse velut causam ultimam ruminationis.

de fructu sui sanguinis gloriantur. Quare ergo non licuit Salomoni hanc formulam in usum receptam adhibere, cum non embryologiam docere, sed unice ostendere intenderet, se, esto tanta sapientia ornatum, eumdem ortum habuisse, quem sortiuntur reliqui homines?

Pariter 3° huc referri debent illæ expressiones, quæ partim ad res vividius proponendas, partim ad styli ornatum assumuntur ex historia naturali, ex observationibus physiologicis, ex opinionibus vulgi, quin etiam ex fabulis et ritibus gentilium (1). Quæritur nempe utrum ceu verbum Dei admittendum sit existere vel exstitisse Titanes, dracones, onocentauros; formicas ducem vel præceptorem haud habere ac æstivo tempore cibos sibi parare; cœlum vespere rutilans pro crastino diem intempestuosam nuntiare, et alia porro, quæ populi ore in familiari sermone ferebantur. Jamvero præjactis principiis inhærentes respondemus cum Cl. Schmid : « Etiam res, quæ a Scriptura tantummodo ad alias res illustrandas assumuntur, in sensu quo eis Scriptura utitur ac de iis loquitur, divina auctoritate ut veræ retinendæ sunt » (2). Quando scilicet ex verbis vel ductu sermonis patet ea asseri vel supponi tamquam vera, ex. gr. formicas præceptorem aut ducem non habere, vel sibi tempore æstivo cibos congerere, illa eo sensu vera esse quo dicuntur, ex supra traditis probe infertur. Verum sæpe sæpius sacri scriptores, sicut et ipse Christus Dominus, illa adagia, illasque comparationes ex communi sermone mutuarunt eisque sensum, qui apud populum obtinebat, subjecerunt, abstrahendo ab eventuum, ad quos alludebant, vel rerum, quas proprie significabant, historica veritate vel existentia. Ratio in promptu est, præsertim ubi stylus plus minusve poëticus vel comptus adhibetur : tam enim apud sacros quam profanos scriptores usus viget adsciscendi ad utilem veramque narrationem illustrandam, figuras ex mythis, vel narrationibus et conceptibus popularibus depromp-

(1) Vide Judith. XVI, 8; Job. XXI, 33; Prov. VI, 7; Is. XIII, 21; XXXIV, 14 ; Amos. V, 9; Matth. XVI, 2. 3; XXIV, 28. (2) N. 296.

tas, quin ideo illas ut veras habeant aliisque qua tales proponere intendant. Plerumque etiam arduum haud est, ex natura rei, ex ductu sermonis aliisve indiciis colligere, utrum talia de facto sint assertionum objecta, an vero ceu illustrationis adminicula adscita fuerint.

Tandem 4° quæ hac paragrapho dicimus, commodam etiam tradunt rationem earum loquendi formularum, quæ, esto rigorose loquendo exactæ non sint, in familiari tamen sermone adhiberi solent. Videlicet nemo diffitebitur, in nostra sententia etiam numeros ad determinationem quantitatis temporum, personarum aliarumque rerum pertinentes, Spiritui S. inspiranti esse tribuendos, quandoquidem ipsi ad sensum phraseos definiendum concurrunt. Nihilominus illud non impedit, quominus Scriptura assoleat, ubi numerus exactus peculiare non habet momentum, hujus loco ponere numerum plenum seu, ut aiunt, rotundum, neglecto scilicet minore, aliquantulum excrescente vel deficiente. Quum enim hæc numerandi ratio penes omnes historicos sit in usu, nemo dicet Scripturam hanc usurpare haud potuisse, quin falsitatis et deceptionis jure incriminaretur. Neque enim qui ita loquitur vel scribit, numerum exactum exprimere intendit, etiamsi forte illum habeat notum, neque lector, si saltem rationem habeat vulgaris et consueti sermonis, hunc numerum ut præcisum ac prorsus accuratum accipiet.

Etiam identidem contingit, ut in Scripturis personæ vel res designentur nominibus, quæ ipsis secundum rei veritatem non conveniunt, quibusque a scriptore theopneusto ex sua sententia non compellarentur, sed quibus tamen ipse utitur, quia ab aliis secundum apparentiam ita communiter designantur. Istud locum habet non modo in rebus, ut aiunt, profanis, sed æque in dogmaticis. Duo hujusmodi exempla nobis suggerunt verba S. Hieronymi (in Jerem. cap. XXVIII), quibus ex contextu avulsis, nonnulli adversæ

(3) Patet illud solummodo valere de textu originali : scitum est enim, in exemplaribus transsumptis atque in versionibus menda plurima in numeros irrepsisse.

sententiæ patroni tam præpostere quam fallaciter sunt abusi. Scilicet Hieronymo non probabatur, quod septuaginta interpretes in sua versione pseudoprophetæ Ananiæ non tribuerint nomen prophetæ, quo appellatur in textu hebræo. En ipsa ejus verba : « *Prophetam* quoque non dixere (septuaginta) Ananiam, quasi non multa in Scripturis Sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non juxta quod rei veritas continebat. Denique et Joseph in Evangelio, *pater Domini* vocatur : et ipsa Maria, quæ sciebat se de Spiritu Sancto concepisse... loquitur ad Filium : Fili, quid fecisti nobis sic? ecce ego et *pater tuus* dolentes quærebamus te ». Vides S. Patrem hic nullatenus asserere, sacros scriptores quandoque sibi relictos opiniones falsas sui temporis combibisse, easque ut suam sententiam in libris canonicis perscripsisse, sed solum eos in deligendis rerum nominibus et loquendi formulis, sæpe eas usurpasse, quæ vulgo adhibebantur et ab omnibus intelligebantur, licet per se sumptæ et abstractione facta a loquendi usu, rei veritati haud semper responderent.

Antequam huic paragrapho finem imponimus, respondendum est adversariorum expostulationi, quomodo videlicet hæc loquendi hagiographorum ratio componi queat cum ipsa natura, quam supra exploravimus, charismatis inspirationis. Haud probe perspicitur, inquiunt, quo pacto Deus, qui, prout diximus, omnes conceptus, licet non quoad verba, quibus exprimantur, saltem quoad sensum vocibus expressum mentibus hagiographorum suppeditavit, ea ratione res et sententias eis revelare seu ad scribendum suggerere voluerit, quæ, utut non directe et præ intentione scribentis errores scientificos exprimat, saltem errores, quos profitebantur scribentes et legentes, minime correxerit; imo quæ pluribus, uti sæculo decimo septimo accidit, eisdem favere videri potuerit. Res clarescet per exemplum : rogant nempe ipsi, cur Spiritus S. scriptoribus theopneustis non potius hos conceptus inspiraverit : *stetit terra in cursu suo, impedita est terra in cursu suo*, quam hos alios plane diversos : *steteruntque sol et luna, impeditus est sol.*

Sed enim hic nodus ex supra dissertis facile solvitur : sufficiat eadem ad majorem elucidationem paucis resumere. Itaque *a)* recolendum est Spiritum S. haud semper sensa scribenda scriptori communicasse per proprie dictam revelationem, qua ejus mens novos conceptus apprehenderit, verum sæpius, maxime in libris historicis, scriptorem sacrum conceptus ex intentione Dei scripto mandandos in mente jam aliunde præhabuisse, ita ut ad completam inspirationis rationem talis suffecerit Spiritus S. operatio, quam suggestionem diximus, qua scilicet effectum sit ut hagiographus conceptus eosdem, licet nunc sub lumine supernaturali et formaliter ad scribendum, actu mente apprehenderit. Nec *b)* ratio suberat, cur Deus novis sensibus inspiratis prætensos errores scientificos emendaret, nam conceptus omnes, qui præ intentione Dei et scriptoris inspirati exprimuntur, veri sunt necnon formulæ quibus exprimuntur, ex communi usu ad hunc scopum aptæ sunt ac idoneæ. Quamvis itaque illæ sæpius desumptæ sint ex apparentiis, quæ rerum objectivitati haud semper concinunt, falsæ tamen non sunt, ut diximus. Quapropter *c)* sicut ex hoc solo capite nihil obstat, quominus dicatur Deus verba singula dictasse, hoc est, quominus universim admittatur sententia de inspiratione verbali, ita a fortiori nil impedit, quominus dicamus Deum non impedivisse, quominus hagiographi hisce formulis sensa inspirata in sacris libris expresserint.

§ 5. *De decretis Concilii Tridentini et de relatione Scripturæ ad infallibile Ecclesiæ magisterium.*

Unum ponderandum superest adversæ sententiæ momentum, quod potissime animum Em. Card. Newman commovisse, eumque ad novam istam theoriam pertraxisse videtur. In antegressis videlicet provocavimus inter alia ad auctoritatem Conciliorum Tridentini et Vaticani, ex quorum decretis intulimus, opinionem, quæ restringit inspirationem ad veritates propter se revelatas seu pertinentes ad res fidei et morum, cum doctrina catholica ibidem tradita haudquaquam

posse conciliari; aliam vero mitiorem quorumdam opinionem, quæ solum hic illic quædam « obiter dicta » ex privato scriptoris spiritu repetit, cum synodorum doctrina nonnisi ægerrime posse componi. Verum doctissimus Cardinalis, qui huic ultimæ opinioni suffragatur, ex iisdem synodis suam opinionem confirmare est aggressus. Advertit ipse, in utroque Concilio, quoties de Scripturis quæstio agitatur, Patres ea ratione de istis sermonem habere, ut significare videantur in solis *rebus fidei et morum* eas ut divinas sive inspiratas esse habendas. Videlicet Conc. Trid., in *decreto de canonicis Scripturis* verba faciens de sacris libris, quater memorat speciatim *res fidei et morum* tamquam objectum doctrinæ inspiratæ. Declarat « Evangelium » esse « fontem *omnis et salutaris veritatis et morum disciplinæ* »; « hanc *veritatem et disciplinam* contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus ». Postmodum loquitur rursus de libris utriusque Testamenti et de Traditionibus « tum ad fidem tum ad mores pertinentibus », et in fine agit de fontibus quibus « in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura. » Tandem in *decreto de editione et usu sacrorum librorum* « decernit, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, *in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium*, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum Sanctarum, vel etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » Iisdem fere verbis loquuntur Patres Vaticani. Jam vero, quærit Emin. vir, cur tam solerter urgent Patres inspirationem Scripturarum *in rebus fidei et morum?* Qua de causa non simul et semel edicunt Scripturas in omnibus propositionibus sive doctrinam sive factum enuntiantibus, Deo auctori esse tribuendas (1)?

Argumentatio hæc, quæ nonnemini stringens videri posset, non est tamen cur multum nos conturbet. Imprimis

(1) Vide hæc in priori articulo nº 12 et in *postscripto*.

notamus, argumentum nimium probare. Si enim dicendum sit, Concilium Tridentinum in locis adductis definivisse, ni explicite saltem implicite, extensionem seu materiam scriptionis inspiratæ in libris sacris, ejus verba ita videntur esse sumenda, ut potius patrocinentur sententiæ Lenormant, quam opinioni Card. Newman.

Hoc tamen prætermisso, 1° negamus synodum ibidem de re, quæ nos occupat, directe et formaliter tractasse. Enimvero in priore parte decreti de *canonicis Scripturis* Patres agunt non de inspiratione vel divina origine Scripturarum, verum, abstractione ab ea facta vel ea supposita, agunt modo generali de objecto necnon de fontibus divinæ revelationis. Docent nempe, hinc objectum Evangelii seu divinæ revelationis (hæc enim duo in contextu identificantur) esse omnem salutarem veritatem et morum disciplinam, inde hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus. Cum porro utriusque fontis Deus sit auctor, pari pietatis affectu ac reverentia se utrumque suscipere et venerari profitentur. Nunc jam quæro, quo pacto in tota hac loquendi ratione restringatur objectum revelationis generatim sumptæ, sive nominatim scriptionis inspiratæ, ad veritates ex natura sua religiosas et propter se revelatas. Patres equidem mentionem solummodo ingerunt *salutaris* veritatis et morum disciplinæ, tamquam objecti christianæ revelationis seu materiæ sacrorum librorum et divinarum traditionum. Ast illæ formulæ, generales cum sint, omnia complectuntur, atque a communi ratione loquendi alienum est, eas relate ad Scripturas restringere ad solos textus ex sese religiosos. Supra enim expendimus, quomodo omnia, quæ in Scripturis continentur, præ intentione Dei cum veritatibus in se religiosis aliqua ratione connectantur, et quo sensu S. Paulus de sacris libris dicere potuerit : « Quæcumque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt » ; verbo : certum nobis est nil in sacris litteris contineri, quod vel per se vel in sua connexione sive proxima sive remota cum aliis non aliquo modo tendat ad nostram instructionem. Frustra igitur adversarii recurrunt ad priora hujus decreti verba ad suam distinctionem firmandam.

Quæ autem Tridentini Patres in posteriori parte et in fine ejusdem decreti decernunt, spectant directe canonem sacrorum librorum et authentiam Vulgatæ, quam synodus sibi velut promptuarium præstituit, ex quo testimonia et præsidia hauriret ad dogmata confirmanda et mores instaurandos. Supra jam ex hac parte argumentum deprompsimus pro nostra sententia.

2° Veniamus modo ad secundum hujus sessionis decretum in quo, ut opinantur adversarii, munus Ecclesiæ authentice interpretandi Sacram Scripturam *coarctatur* ad res fidei et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium (1). Porro illud ipsum, eorum judicio, significaret in hisce solis Scripturam esse inspiratam. Verum huic argumentationi reponimus : *a)* etiamsi ex verbis et ex mente Concilii *infallibilitas Ecclesiæ* in interpretandis Scripturis integre spectata solum se porrigeret ad ea, quæ propter se sunt revelata, inde logice inferri nequiret eadem restrictio relate ad *Scripturæ inspirationem*. Hujus rei ratio in promptu est. Illa duo charismata ab invicem specifice diversa sunt, quandoquidem inspirationis charisma ad Scripturarum originem, charisma vero infallibilitatis in Scripturis interpretandis ad legitimum earum usum spectat. Quapropter ex limitibus unius non potest legitime inferri eosdem esse limites alterius. Profecto absolute non repugnat, ut Scriptura in omnibus sententiis inspirata sit, et nihilominus Christus Dominus Ecclesiæ solummodo contulerit munus eam infallibiliter interpretandi quoad partes ex se religiosas et propter se inspiratas, vel cum his intime nexas. Verum advertatur *b)* Concilium non designare ceu objectum authenticæ interpretationis *textus* per se pertinentes ad fidem vel mores,

(1) Conc. Vaticanum ob pravam quorumdam decreti Tridentini supra citati intelligentiam, qua scilicet tenebant eo solum prohiberi interpretationem *contradictorie* oppositam, hunc ejus sensum esse declaravit, ut etiam proscriberetur quæcumque interpretatio, quæ in rebus fidei et morum esset *diversa* ab interpretatione Ecclesiæ vel communi Patrum sensu. Igitur prædicatio Ecclesiastica non est solum canon negativus, sed etiam positivus interpretationis catholicæ.

sed *res* fidei vel morum. Porro textus ex sese profani in Scripturis non raro aliquid portendunt ad fidem vel mores spectans, sive per suam significationem mysticam sive per suam connexionem plus minusve proximam cum veritatibus propter se inspiratis. Laudato igitur decreto prohibitum saltem est his textibus sub illo formali respectu consideratis eum subjicere sensum, qui alienus sit ab interpretatione, si qua est, dogmatica vel morali Ecclesiæ. At *c)* difficultatis nodus proprie est in interpretatione mere historica vel scientifica hujusmodi textuum. Quæritur nempe, num ad authenticum Ecclesiæ magisterium etiam pertineant veritates scientificæ qua tales, non propter se sed propter alias in Scripturis inspiratæ; aliis verbis : num objectum infallibilitatis Ecclesiæ complectatur etiam veritates scientificas qua tales, sub divina inspiratione in Scripturis consignatas, adeo ut Ecclesia possit de iis judicium ferre, cui in casu interpres teneretur se conformare. Imprimis concedimus, *vi hujus decreti Tridentini et Vaticani* libertatem interpreti non esse ademptam quoad ejusmodi sententias. Illud sane liquet ex ipsis decreti verbis. Ast nonne aliunde constat vel probari potest, Ecclesiæ magisterio etiam subesse ejusmodi textus Bibliorum certo genuinos, etiamsi ratione sui indifferentes sint respectu veritatum ex sese religiosarum?

Sequentia porro in hanc rem statuenda arbitramur: 1° Ecclesiam alicujus Scripturæ loci sensum etiam mere historicum vel scientificum ex intentione Spiritus Sancti expressum tueri, defendere, ac posse infallibiliter determinare, si necessitas occurreret ad depositum propter se revelatum custodiendum; adeoque 2° eam, etiam in hoc casu, ex Scripturis infallibiliter definire posse aliquam veritatem historicam vel scientificam, dummodo sive in Scripturæ textu, sive in contextu, sive in locis parallelis sufficientia prostent elementa, ex quibus *logice* seu *cognoscibiliter* illa veritas definite desumi queat; 3° sin secus, eam non posse, quia eo casu veritas isthæc non est certo vel non cognoscibiliter revelata, ac idcirco Ecclesia, utpote non plene edocta scientias profanas, principia non habet sibi propria, ex quibus de illa

veritate judicium ferre queat. De hac posteriori assertione ambigi non potest. Duarum vero priorum ratio pariter in promptu est. Enimvero illæ assertiones, utpote divinitus inspiratæ, sunt verbum Dei ac fide divina credendæ : proinde sub hoc respectu pertinent ad fidei depositum materiale a Christo integre non autem mutilate Ecclesiæ commissum; scilicet quatenus illæ notitiæ ab ipso Deo seu in verbo Dei scripto nobis proponuntur, pertinent ad ordinem divinæ revelationis ac fidei, non secus ac aliæ veritates rationales sive speculativæ sive practicæ divinitus revelatæ, quamvis forte per accidens. Ecclesia igitur non excedit suum ambitum, ubi de veritatibus revelatis ex propriis principiis judicat. Jam autem, fieri posset, ut ad conservationem veritatum propter se revelatarum necessarium esset ejusmodi Ecclesiæ judicium : puta cum aliqua opinio circa veritatem aliquam scientificam late propagaretur, *manifesto* adversans veritati scientificæ in sacris litteris *certo* revelatæ, adeo ut cum fidelium scandalo Scripturæ erroris arguerentur (1). Nisi enim hoc in casu Ecclesia veritatem illam per accidens revelatam tueretur sive directe per judicium, sive indirecte per reprobationem illius opinionis, posset periclitari pars depositi fidei : scilicet in discrimen venirent ea quæ de omnimoda veracitate Scripturæ ex divina revelatione ab omnibus sunt credenda (2). Attamen sedulo notandum, *d)* nos doctrina modo

(1) Huc facit canon 2us Conc. Vat. ad cap. IV. *De fide et ratione*, in Const. *Dei Filius* : « Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinæ revelatæ adversentur, tamquam veræ retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit. » et illud Conc. Colon. an. 1860 : Tit. I, c. 6 : « Procul dubio Ecclesia quamvis naturales scientias non tradat, tamen quia revelatæ custos est, jus competit proscribendi doctrinas philosophicas, quæ... doctrinæ revelatæ contradicunt. »

(2) V. hac de re Em. Card. Franzelin in append. ad *Tr. de Scripturis*, nn. 11 et 12, ubi inter alia dicit : « Potest sane Ecclesia de his judicare infallibiliter, maxime si opus sit propter alia, ad custodiam nempe depositi per se revelati. » Cfr etiam Ubaldi, *Introd.* t. III p. 259 in nota; R. P. Brucker. *Controv. et Contemp.* Janv. 1885. p. 140 et R. P. Corluy ibidem Juillet. p. 435.

exposita minime negare magisterium Ecclesiæ primarie et principaliter sollicitum esse de custodienda integritate et sinceritate depositi per se revelati; aliis verbis : profitemur Ecclesiam pro munere suo *directe et per se* sollicitam esse solum de custodiendis et interpretandis veritatibus ad ædificationem doctrinæ christianæ spectantibus, non autem de minimis adjunctis historiæ, geographiæ, botanicæ, zoologiæ, etc. Quemadmodum enim Deus in inspirandis Scripturis qua scopum primarium et ultimum sibi præstituit instructionem nostram circa res religiosas seu fidei et morum, secundario autem ac veluti per accidens et solum in ordine ad priores etiam inspiravit veritates rationi et experientiæ pervias; ita etiam infallibilitatis dos per se et directe concessa est Ecclesiæ eum in finem, ut veritates propter se revelatæ integre serventur nobisque sincere et pure proponantur et explicentur, ad alias vero solummodo se extendit *indirecte* et per accidens quia inspiratas (1). Hinc *de facto* Ecclesia nonnisi rarissime de hisce veritatibus solemne profert judicium atque tunc solum, quando opus est ad tuendas alias veritates propter se revelatas. Sane, si res practice consideretur, rarissime opus erit ad scopum Ecclesiæ, ut in hujusmodi veritatibus profanis sua auctoritate interveniat. Vel enim hujusmodi sententia impugnata solum ambigue et obscure traditur in Bibliis, quo casu Ecclesia non se immiscet, quamdiu nullum præjudicium affertur deposito propter se revelato ; vel manifeste et sine ambagibus enuntiatur, quo casu ordinarie opus haud est judicio Ecclesiæ, quia talem veritatem negans aperte contradicit Scripturis, seu, ut ait Angelicus, dicit aliquid quod indirecte contrariatur fidei : « indirecte vero ad fidem pertinent ea, ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei : sicut si quis diceret Samuelem non fuisse filium Helcanæ; ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam » (2).

Quæ hucusque delibavimus, pertinent proprie ad Eccle-

(1) Cfr. S. Thomas. 2. 2. q. 1, a. 6, ad 1^m et ibid. q. 2. a. 2, in θ.
(2) 1, q. 32, a. 4.

siæ magisterium extraordinarium, at etiam suo modo applicanda sunt universali et publico Ecclesiæ muneri proponendi et vindicandi integrum fidei depositum. Quare ultra veri fines progrediuntur quidam catholici, qui systematice contendunt in interpretatione textuum scientificorum, nullam habendam esse rationem sensus Ecclesiæ, quum nullam interpretationem ipsa habeat, adeo ut interpreti in hisce omnimoda relinquatur libertas (1). Illud profecto veritate non nititur, quoties genuini Bibliorum textus sive scientifici sive historici (de his enim utrisque eadem valet ratio), spectatis textu et contextu omnino perspicuum et definitum sensum fundunt : hoc enim casu ille sensus accipiendus est tamquam a Spiritu S. intentus, necnon ab Ecclesia, quæ universam Scripturam ceu verbum Dei habet, nobis ad credendum propositus (2). Quapropter in scientiarum tractatione proculdubio hujusmodi notitiarum, si quæ in Scripturis occurrant, ratio est habenda saltem negative, quatenus scilicet conclusio quæcumque tali revelatæ veritati certo adversans, indubitanter ut falsa habeatur ac porro respuatur. Aliter vero dicendum, si loca ejusmodi non sunt omnino perspicua et pluribus interpretationibus scientificis patent. Tunc enim solummodo conceptus directe expressus revelatus

(1) En verba D. Girodon : « Sur les matières scientifiques, la Bible, toujours inspirée et toujours vraie, est comme ailleurs susceptible de diverses interprétations. Aucune n'est ici celle de l'Eglise, aucune ne peut l'être, parce que l'autorité de l'Eglise ne s'étend pas en dehors de ce qui touche à la foi et aux mœurs. La liberté de l'interprétation est donc au moins considérable, par conséquent aussi celle de la science, tant qu'elle ne touche en rien au dogme ou à la morale. » Ap. *La Controv. et le Contemp.* 1885. Janvier.

(2) « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur. » Conc. Vat. in Const. *Dei Filius* cap. III. Similia habet De Lugo : « Ecclesia clare et manifeste proponit credendam Scripturam et omnia et singula in ea contenta : si ergo manifeste constat, aliquid in Scriptura contineri, æque manifeste constare debet, id ab Ecclesia nobis credendum proponi. » *De Fide.* Disp. 20, sect. 2, n. 58. Cfr. Kleutgen *Theol. der Vorz.* I B. I Abh. 2. Haupt.

dici debet, non autem scientifica rei vel eventus ejusdem explicatio. Et ut quod dicimus exemplo illustremus, absque dubio admittendum est ex libro Josue X, 13, ad hujus preces solem stetisse die, qua exercitus Israëlitarum debellavit quinque reges Amorrhæorum; utrum vero ordinarius motus solis sit realis vel solummodo apparens, ex illis verbis confici nequit. Pariter in mere *scientifica* hujusmodi textuum enarratione attendi non debet, saltem tamquam infallibilis interpretationis regula, sensus Patrum vel doctorum Ecclesiæ. Hi namque talia loca plerumque juxta vulgares opiniones suo tempore vigentes, nonnumquam erroneas, explanabant, quin ideo certa et definita sententia judicaverint hunc determinatum sensum, quem verbis subjiciunt, inspiratum esse et a Spiritu S. intentum. Verum satius tum est et regulis interpretationis plane consonum, ad locorum istorum rectam intelligentiam in subsidium vocare certas conclusiones scientificarum investigationum, quum veritas aliunde inventa semper sit canon negativus interpretationis.

Corollarium I. Non est cur conquerantur viri catholici, studio scientiarum naturalium operam navantes, hac nostra doctrina libertatem inquisitionis ac criticæ nimium quantum restringi, seseque a nobis in inferiori gradu constitui præ incredulis nullo hujusmodi vinculo ligatis. Insulsa namque est atque inanis hæc querela, ac si veritas ex cultura scientiarum comperta verbo Dei *rite intellecto* opponi umquam posset. Illis eruditis respondere placet verbis Synodi Vaticanæ (1), quæ, licet potissimum disciplinas presse philosophicas spectent, æquo jure de disciplinis historicis et scientificis valent. Scilicet 1° nullus dari potest dissensus realis inter scientiam certo revelatam et scientias naturales. « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen umquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest, cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit ». 2° Dissensio autem, si qua est, est solum apparens et duplici potissimum ex fonte oritur :

(1) Const. *Dei Filius* cap. IV.

« Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiæ intellecta et exposita non fuerint vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. » Quapropter « omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falsam esse definimus. » Denique 3° « neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. » Et re quidem vera, hac inspirata scriptione divina auctoritate sancita inveniuntur non pauca ad historiam sive ad scientias pertinentia. Ita ex. gr. nemo nescit, quantum inter incredulos disceptatum olim fuerit et adhucdum disputetur tum de origine tum de unitate vel pluralitate speciei humanæ, quæ sane utraque est ex quæstionibus maxime momentosis, quæ in anthropologia agitantur. Harum porro solutionem jam ex Scripturis cognitam præhabet peritus christianus ante scientificum examen, quod inde facilius et securius evadit. Cæterum nil obstat, quin eruditi has ipsas notitias a Spiritu S. subministratas scientifice ex propriis principiis stabiliant, demonstrent atque evolvant. Fides in hoc casu est solummodo facula prælucens, terminum indicans ad quem pervestigationes perducere debent. Nam 4° influxus scientiæ revelatæ est solummodo negativus ac proin scientiæ naturales directe theologiæ non subjiciuntur. Quapropter Ecclesia « non vetat, ne hujusmodi disciplinæ in suo quæque ambitu propriis nitantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinæ doctrinæ repugnando errores in se suscipiant. » Postremo 5° veritates scientificæ per accidens in Scripturis certo revelatæ, sunt relative admodum paucæ, et amplissimum linquunt campum naturalibus investigationibus.

Corollarium II. Facile nunc etiam est demetiri, quantum nonnullorum catholicorum, quorum forte laudanda est pietas, improbanda tamen sit sententia metusque ridendus,

qui, dum vident nostra ætate scientias artesque liberales necnon linguarum studia in immensum profecisse et indies incrementa capere, metuunt, ne quid periculi incommodive ex hisce in Bibliorum auctoritatem dimanet. Verum quidem est, religionis hostes haud raro maligno supercilio ex hujusmodi disciplinis arma opemque corrogare, quibus velut agmine facto Scripturas impetant, earumque sanctitatem auctoritatemque penitus labefactare moliantur. Attamen sacræ litteræ non habent, quid sibi ab hujusmodi conamine timeant. Inest enim illis veritas, quæ ipsa omnibus scientiis proposita est. Quodsi dissensum se probare jactitent increduli, firmiter teneamus illum realem non esse, atque ex alterutro fonte a Vaticana synodo indicato manare, videlicet quod vel genuinum sensum Scripturæ minime sint assecuti, vel quod sive ignorantia sive perversitate propria sua commenta pro scientiarum conclusionibus obtrudere tentent. Nedum itaque catholici incrementa scientiarum reformident, studio potius scientiarum sub vexillo religionis sedulam diligentemque navent operam, hinc ut contra hostes in aciem prodire eorumque machinationibus supremam cladem afferre valeant, inde ut, si quæ per scientiarum studia rerumque naturalium indagationem manifestis rationibus demonstrantur vera, ea in subsidium vocare possimus in locorum Scripturæ ambiguorum interpretatione. Menti namque nostræ informatum penitus anticipatumque esse debet, nihil quod veritati per scientias patefactæ adversetur, in Bibliis posse reperiri. Votum, quod hic emittimus extulit etiam Vincentius Lirinensis, cujus verba sua fecit Conc. Vaticanum : « Crescat igitur et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia; sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia » (1).

(1) In *Common*, n. 28.

L. D. S.

THESES.

I.

Cum Deus omnium creaturarum sit primum principium atque ultimus finis, homo ipsi, vinculo morali quod religionis nomine designatur, essentialiter devincitur. Quapropter necessitate objectiva absoluta homo totam suam vitam obsequio Dei impendere tenetur, adeo ut nec ipse Deus religionis obligatione possit eum umquam absolvere.

II.

Non modo internus, sed externus etiam cultus Deo est ab homine exhibendus; homo enim anima et corpore constans, communibus obsequiis utriusque substantiæ Deo debet esse subjectus. Religionis officia sunt alia absoluta, alia hypothetica, atque inter hypothetica eminet illud quo homines obstringuntur amplectendi divinam revelationem. Facta igitur hypothesi, Deum homini revelationem fecisse, jure naturæ tenetur homo plenum mentis obsequium ei adhibere; ac propterea strictissima obligatione quilibet tenetur illam, uti par est, inquirere.

III.

Possibilis namque est supernaturalis revelatio a Deo sive immediate per se, sive mediate per legatos a se missos hominibus communicata, et nonnisi prorsus immerito eam quis respueret, etiamsi præter veritates rationales, ad quas naturalis ratio pertingere potest, vel præterrationales, quas saltem post revelationem secundum intrinsecam suam rationem intelligere possumus, suo ambitu complecteretur mysteria sive veritates, in quibus tam notitia apprehensionis quam cognitio consensionis captum rationis absolute et per se excedit.

IV.

Quamvis cognitio veritatum officiorumque complexive sumptorum, quibus homines, etiam citra elevationem ad ordinem supernaturalem, Deo devincerentur, humanæ rationi per se impervia non sit; ea tamen est præsens humani generis conditio, ut horum notitia absque divina revelatione « nonnisi a paucis et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum homini proveniret » (1). Quapropter moraliter necessaria fuit divina revelatio, ut hæc « in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus *expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore* cognosci possint » (2). Supposita vero præsenti generis humani ad ordinem supernaturalem sublimatione, revelatio absolute necessaria est dicenda.

V.

Argumenta autem revelationis divinitus factæ sunt potissimum externa, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et vaticinia certo eventu comprobata. Hæc enim, « quum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima, et omnium intelligentiæ accommodata » (3).

(1) S. Thomas, 1, q. 1, a. 1. (2) Conc. Vat. Constit. Dogm. *Dei Filius*, cap. II. (3) Conc. Vat. Ibid.

VI.

Quapropter homini veram revelationem inquirenti ea utendum est methodo, ut non tam ex philosophica doctrinæ, quæ proponitur, trutina, quam ex testimoniorum, quibus factum revelationis innititur, examine, de veritate revelationis statuatur. Itaque rectæ rationi repugnat non modo theoria eorum rationalistarum, qui revelationem omnem a priori rejiciunt, verum etiam methodus aliorum, qui in investiganda veritate revelationis, examen a doctrina inchoant, aut huic criterio primas partes deferunt.

VII.

Ex Sacris Evangeliis, quorum indubia est genuinitas, substantialis integritas et authentia historica, docemur Deum per Jesum Christum religionem positivam omnibus et singulis proposuisse.

VIII.

Præter alia multa, quæ in iisdem Evangeliis narrantur, resurrectio Christi Domini divinam ipsius missionem firmissime probat. Hæc enim gloriosa a mortuis resurrectio, quæ fuit præclari vaticinii a Christo de se prolati adimpletio, ex omni parte certissima est, atque in ea tamquam firmissimo fundamento a Christo et Apostolis omnis spes nostra legitimo jure reponitur.

IX.

Ex iisdem fontibus vel obiter inspectis, quinimo ex tota universim historia elucet Christum Dominum, quo doctrina religiosa ab Ipso tradita perpetuo vigeret et ad totum humanum genus propagaretur, instituisse Ecclesiam velut societatem numerice unam, ad finem usque mundi indefectibiliter perduraturam, in ratione Ecclesiæ essentialiter visibilem, relatione membrorum inter se inæqualem, atque ab omnibus necessario ingrediendam, adeo ut extra eam voluntarie decedentibus nulla speranda sit salus.

X.

Ut vera Ecclesia tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci, divinæ suæ institutionis manifestis notis instructam eam voluit Christus. Hæ porro sunt unitas fidei et communionis, catholicitas, sanctitas miraculis comprobata, tandemque apostolicitas doctrinæ et successionis.

XI.

Sola autem Ecclesia Romano-catholica hisce notis omnibus ac singulis est insignita, proinde ad eam solam « ea pertinent omnia, quæ ad evidentem fidei Christianæ credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis fœcunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile » (1).

XII.

Insita ratio ac propria natura Ecclesiæ a divino Fundatore ita fuit constituta, ut divina revelatio integra et incorrupta a generatione in generationem sub assistentia Spiritus Sancti propagaretur per vivens ac infallibile magisterium, quod externum esset principium idoneum ad efficiendam determinandamque in fidelibus unitatem et concordiam universalis fidei professionis.

XIII.

Hoc infallibile magisterium, ex voluntate Christi in Ecclesia semper vigens ac vivens, primario versatur circa

(1) Conc. Vat. Const. *Dei Filius*, cap. III.

custodiendas, proponendas explicandasque veritates, quibus constat depositum fidei directum, et circa arcendos errores his veritatibus directe oppositos; secundario autem circa ea quæ cum his veritatibus connectuntur, spectantque ad depositum fidei illibate conservandum. Quamobrem falluntur illi, qui negant esse infallibile judicium magisterii ecclesiastici, sive proscribentis propositiones censuris nota hæreseos inferioribus, sive decretorie pronuntiantis orthodoxiam vel heterodoxiam alicujus textus in sensu objectivo auctoris.

XIV.

« Unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quæ Ecclesia dicitur... Hæc societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis : atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili : et, quod plurimum interest, societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui in se et per se ipsa possideat » (1).

XV.

Enimvero præter potestatem docendi, Ecclesiæ competit nativo jure, non autem principum concessione, potestas regendi suprema et independens, quæ complectitur tum veram potestatem legiferam et judiciariam, tum potestatem pœnis non modo spiritualibus, sed etiam temporalibus coercendi devios et contumaces.

XVI.

Quod spectat ad habitum Ecclesiam inter et civilem catholicorum societatem, licet per se societas civilis res-

(1) SS. D. N. Leonis XIII, Encycl. *Immortale Dei*. 1 Nov. 1885.

pectu finis temporalis et in adhibenda re temporali ab Ecclesia independens sit, dubitari tamen nequit, quin, concurrente ratione seu necessitate finis spiritualis Ecclesiæ, in iis rebus, quæ sunt, diversa licet ratione, communis juris et judicii, potestas altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera pendeat, cui sunt cœlestia concredita (1).

XVII.

Primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe B. Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse, manifeste colligitur ex Evangelii testimoniis (Matth. XVI, 16-19; Joan. XXI, 15-17). Aperte itaque Scripturarum doctrinæ eorum adversantur sententiæ, qui « negant, solum Petrum præ cæteris Apostolis, sive seorsum singulis, sive omnibus simul vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum, aut qui affirmant eumdem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse. »

XVIII.

In Beati Petri Primatu ac principatu « firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primæ sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret » (2). In hac porro causa finali Primatus manifesto continetur ejusdem perpetuitas ex jure divino.

(1) Cf. SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Arcanum divinæ sapientiæ*, 10 Februar. 1880.

(2) Pius VI. In Constit. *Super soliditate*, 28 Nov. 1786.

XIX.

Distincta porro *lege* divina succcessionis, quæ est ipsa divina institutio Primatus perpetui, ab ejusdem *conditione*, hæc determinata est a facto originali Petri, quo, Romanum episcopatum usque ad mortem tenendo, hanc sedem evexit ad dignitatem Primatus. Profitendum ergo est, Romanum Pontificem, utpote qui solus debitæ conditioni facit satis, esse successorem B. Petri, ac obtinere jure divino Primatum in universam Ecclesiam.

XX.

Est autem auctoritas Primatus jurisdictio vere episcopalis, omnino plena et ordinaria, quæ tum immediate omnes et singulos complectitur fideles, tum etiam episcopos non modo distributive, sed etiam collective sumptos, atque in generali Concilio congregatos. Proprium proinde est potestatis Primatus, ut nullis ecclesiasticis canonibus sit coactive circonscripta aut limitata, tum ut possit ex toto orbe recipere appellationes a quocumque judicio episcoporum, sententiamque ultimam de qualibet causa ferre.

XXI.

Cujus potestatis plenitudinis elevandæ gratia frustra adducuntur a Gallicanis canon 6^{us} Concilii Nicæni I; canones 3^{us}, 4^{us} et 5^{us} Concilii Sardicensis; canon 3^{us} Concilii Constantinopolitani; canon 28^{us} Concilii Chalcedonensis; item gesta ab Episcopis africanis in causa Apiarii.

XXII.

A veritate prorsus alienum est, quod nonnulli calumniantur, plurima jura, quibus nunc Romana sedes fruitur, ab Isidoriana Pseudo-decretalium collectione ortum habuisse.

XXIII.

Dogma revelatum est « Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse » (1).

XXIV.

Ut vero constet de locutione ex cathedra, immerito requiritur, ut in ea adhibeantur formulæ, quas usus sanxit, vel ut promulgatio fiat certis cum cærimoniis, vel ut dirigatur explicite ad universas Ecclesias. Alia namque requirenda non est conditio, quam ut Pontifex, quocumque demum modo id ipsi placuerit, significet se loqui tamquam universalem Pastorem et Doctorem, pro suprema sua auctoritate doctrinam de fide vel moribus, quæ ab universa Ecclesia tenenda sit, *definientem*.

XXV.

Manifesto falsa assumunt tum quotquot affirmant, ex variationibus Vigilii, ex epistolis Honorii ad Sergium datis comprobari Romanos Pontifices falsa in rebus fidei ex cathedra definivisse; tum qui sive ex iis, quæ circa tria Capitula in Synodo œcumenica quinta et deinceps horum occasione evenere, sive ex eo, quod Synodus œcumenica sexta Honorium ceu hæreticum damnavit ejusque epistolas reprobavit, ostendi autumant, Ecclesiæ fidem de Apostolicæ Sedis inerrantia non fuisse constantem.

(1) Conc. Vat. Const. Dogm. *Pastor æternus*, cap. IV.

XXVI.

Depositum revelationis seu regula fidei remota et objectiva continetur Scripturis et Traditionibus divinis. Quamobrem errant Protestantes non solum quum, nullo discrimine agnito inter regulam fidei remotam et regulam fidei proximam, solum verbum Dei asserunt esse regulam fidei, sed etiam quum talem regulam in solo verbo Dei scripto constituunt.

XXVII.

Hic autem ordo inter Traditionem divinam et Scripturam viget, ut Traditio se habeat ad Scripturam *a) origine*, sicut prius ad posterius, *b) comprehensione seu amplitudine objectiva*, sicut totum ad partem; *c) cognitione*, sicut principium testificans ad rem testificatam; *d) usu*, sicut norma ad verbum sæpenumero vel indeterminatum vel intellectu difficile.

XXVIII.

Ea librorum collectio, quæ penes Christianos generatim nomine *Scripturarum* venit, dici haberique debet sacra et divina. « Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo, quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant; sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiæ traditi sunt » (1).

XXIX.

Cum itaque ad catholicum præscriptum teneri debeat, rationem inspirationis exigere, ut librorum inspiratorum auctor sit credaturque Deus, atque ipsi libri inspirati sint

(1) Conc. Vat. Const. Dogm. *Dei Filius*, cap. II.

verbum Dei, liquet a sincera genuinaque notione libri Scripturæ eos deflexisse, qui, rationem inspirationis divinæque originis librorum a qualitate infallibilitatis divinæque auctoritatis non uti par foret secernentes, ad ejusmodi decus satis esse arbitrati sunt, ut libri fuerint sub divina assistentia errorem præcavente exarati, vel etiam ut, humanitus licet primum conscripti, postmodum fuerint a Spiritu Sancto approbati.

XXX.

Analysi instituta formulæ dogmaticæ : *Deus est auctor librorum Sacræ Scripturæ*, collatis ejusdem doctrinæ traditionalibus declarationibus, adparet ad rationem Scripturæ Sacræ non quidem requisitum esse, ut Deus, auctor principalis, per proprie dictam actionem dictandi singula verba materialia hagiographo suppeditaverit; sed sufficiens, at simul necessarium fuisse, ut 1° Deus supernaturali illustratione mentem scriptoris de rebus scribendis instruxerit, 2° voluntatem ejus efficaciter moverit ad eas omnes et solas scripto consignandas, ac denique 3° eidem inter scribendum assistentiam præstiterit, ne sensibus divinitus inspiratis aliquid de suo admisceret, et ne adhiberet verba, quæ inepta forent ad sensa divina sincere exprimenda.

XXXI.

E multiplici capite erroris convincuntur illi, qui rationem inspirationis in libris sacris ita extenuant, ut, facta distinctione inter doctrinam « religiosam » seu « res fidei et morum » et inter « res profanas », affirmant in his ultimis conscribendis hagiographos minime fuisse inspiratos, sed plane suæ industriæ fuisse relictos, adeo ut in his etiam errare potuerint. Eorum vero opinionem, qui minutissima quædam incisa, seu, ut vocant « obiter dicta » ab inspirata scriptione subducunt, arbitramur haud fulciri solidis argumentis, quinimo gravia momenta sibi opposita habere.

XXXII.

Deum esse non est veritas per se nota, nec potest demonstrari quasi a priori, sive, ut aiunt, a simultaneo, sed solum a posteriori. Nominatim ex activitate motuque rerum, quæ nostræ experientiæ subsunt, earumdemque intrinseca defectibilitate, manifeste deducitur, Deum necessario esse, ut primum quoddam efficiens, quod a nullo alio moveatur, quodque in se rationem adæquatam suæ existentiæ habeat. Hæc porro argumentatio non destituitur valore objectivo, uti perperam contendit Kantius.

XXXIII.

Hanc naturalem facultatem cognoscendi Deum per lumen rationis ex cognitis Dei operibus diserte asserit Scriptura Sacra, et quidem ita, ut revelationem positivam traditione propagatam nullatenus supponat tamquam conditionem, sine qua non possit humana ratio ad eam cognitionem pervenire.

XXXIV.

Docent Patres magno consensu, præter et ante cognitionem Dei, quæ scientificæ ac philosophicæ meditationis ac demonstrationis sit fructus, aliquam jam inesse omnibus hominibus, quam, citra doctrinam ac disciplinam, ex congenitis naturæ rationalis principiis sponte sua concipiunt universaliter, quia omnes habent animam rationalem et Dei opera perpetuo omnium subjiciuntur considerationi.

XXXV.

Notio quam de Deo in hac mortali vita habemus, nullatenus est immediata et propria, sed mediata et analogica, videlicet qua sui parte positiva, synthetice efformata ex præhabitis ideis perfectionum simplicium, quarum aggregatum Dei distinctivum efficitur triplici via causalitatis,

excellentiæ et remotionis. Hæc autem cognitio, qua Deum concipimus multiplicibus notionibus ac pluribus designamus nominibus, imperfecta quidem est, minime vero falsa.

XXXVI.

Verbum Dei revelatum, in Sacris Scripturis et in prædicatione disertaque declaratione Ecclesiæ catholicæ propositum, manifeste docet, intuitivam visionem Dei, ut in se est, in præsenti ordine constituere supremam beatitudinem creaturarum rationalium.

XXXVII.

Cum intuitiva visio Dei, præ quovis creato intellectu sit supernaturalis, necessarium est supernaturale adjutorium, quo mens creata elevetur ad visionem beatificam, quodque vocatur lumen gloriæ. Illud autem est habitus supernaturalis intellectum informans, eique virtutem conferens ad actum visionis beatificæ connaturaliter eliciendum.

XXXVIII.

Beati Deum vident alii aliis perfectius; at visio nullius pertingit ad Essentiæ divinæ comprehensionem.

XXXIX.

« Esse simpliciter acceptum, secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi, præeminet vitæ et omnibus perfectionibus subsequentibus. Sic igitur ipsum esse præhabet in se omnia bona subsequentia » (1). Unde, posita distinctione rationis ratiocinatæ, qua ex nostro imperfecto concipiendi modo in Deo distinguimus inter essentiam et attributa, essentiam metaphysicam Dei collocandam esse censemus in eo, quod sit *ipsum esse subsistens*.

(1) S. Thomas, 1, 2, q. 2, art. 5, ad 2^{m}.

XL.

Ex absoluta plenitudine perfectionis essentiæ divinæ consequitur tum unitas singularitatis, quæ in repugnantia multiplicationis naturæ consistit, tum unitas simplicitatis, quæ in Deo ipso quamvis compositionem sive physicam sive metaphysicam excludit. Hujus porro divinæ simplicitatis propria ratio in eo est, quod Deus est *actus purus*.

XLI.

Ex doctrina revelata novimus Deum, in hoc etiam ordine generis humani lapsi ac reparati, voluntate antecedente et conditionata, seria et operosa, velle omnium hominum salutem, etiam parvulorum sine baptismo ex hac vita migrantium.

XLII.

In Epistola ad Rom. cap. IX sermo non est de prædestinatione ad gloriam seorsum spectata a prædestinatione gratiæ; sed ex ipso contextu et scopo Apostoli conficitur ipsum agere de gratuita vocatione ac gratia fidei et adoptionis in filios et hæredes Novi Testamenti. Hic igitur locus non suffragatur eorum opinioni, qui ponunt Deum homines prædestinasse ad æternam gloriam ante prævisa ipsorum merita supernaturalia.

XLIII.

Ex simul collatis variis testimoniis Scripturarum (Matth. XXVIII, 19; Joan. I, 1; X, 30; I Joan. V, 7) docemur mysterium sanctissimæ Trinitatis, trium scilicet Personarum realiter distinctarum unitatem secundum divinam essentiam.

XLIV.

Licet attributa absoluta et operationes ad extra sint in Deo absque distinctione unum commune tribus Personis, nihilominus tam in Scriptura, quam in aliis documentis

fidei attributa quædam et quædam operationes *appropriantur* specialiter uni Personæ præ aliis. Hujus prædicationis ratio est, ut servata absolutorum communitate manifestentur singularum Personarum proprietates; quare *appropriationis* fundamentum est attributi absoluti analogia ac veluti affinitas cum charactere hypostatico Personæ, cui appropriatur.

XLV.

Deus, utpote in sua infinita perfectione ex se et in se beatissimus, non ex necessitate, sed ex liberrimo suæ bonitatis decreto, non ad acquirendam augendamve suam beatitudinem, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quæ creaturis impertitur, mundum condidit ex nihilo.

XLVI.

Ex verbo Dei revelato et ex rationis præscripto demonstratur communis Doctorum sententia, Deum immediato ac physico concursu cum causarum secundarum actionibus cooperari ac concurrere, ita ut actio tota et causæ naturali et divinæ virtuti sit tribuenda : nihil tamen exigit, ut physica admittatur prædeterminatio.

XLVII.

Bona, quæ hominibus a Deo conferuntur, aptissime dividuntur in *naturalia* seu naturæ secundum aliquam rationem debita, et *supernaturalia* seu naturæ etiam insonti absolute indebita. Turpiter autem errat Baius statuens 1° normæ et regulæ instar, ea bona esse naturalia, quæ originem ac nativitatem comitantur, 2° inter notas boni supernaturalis positivam indignitatem creaturæ, cui aliquid confertur.

XLVIII.

Divina adoptio, per quam homines filii Dei nominantur et sunt, per quam proinde potestas et jus confertur eis ad

hæreditatem regni cœlestis, quod in immediata visione et fruitione Dei consistit, est donum simpliciter supernaturale, naturæ etiam insonti prorsus indebitum.

XLIX.

Sacra Scriptura luculentissime testatur Jesum Christum verum Deum esse, dum substantialem ejus cum Patre unitatem asserit (Joan. X, 27-39; Philip. II, 6, 7); dum propriissime usurpata appellatione ipsum vocat sive Deum (Joan. XX, 28; I Joan. V, 20; Tit. II, 13; Rom. I, 5); sive Filium Dei (Joan. III, V). Quæ veluti compendio complexus est Joannes in exordio sui Evangelii.

L.

« Cum Sancta Matre Ecclesia confitemur, unigenitum Dei Filium, in iis omnibus, in quibus Deus Pater existit, una cum Patre æternaliter subsistentem, partes nostræ naturæ simul unitas, ex quibus in se verus Deus existens, fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere, per se et essentialiter informantem, assumpsisse » generatione proprie dicta ex Beatissima Virgine Maria, quæ ideo proprie et veraciter prædicanda est θεοτόκος.

LI.

Jesus Christus, Deus homo, una est hypostasis sive persona eademque divina in duabus naturis divina et humana, inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter permanentibus subsistens. Quare hypostasis Christi formaliter inspecta composita est.

LII.

Sufficit virtualis distinctio obtinens inter essentiam divinam et personalitatem Verbi, ut intelligatur Verbum sub-

stantiali sua unione cum humanitate hanc formaliter terminare non in ratione naturæ, sed in sola ratione hypostaseos. Ex eo autem, quod Incarnatio efficienter est opus totius Trinitatis, nullatenus inferri potest legitime eam etiam terminative esse tribus Personis communem.

LIII.

Cultus latriæ, quo sanctissimam Trinitatem prosequimur, pari jure deferendus est tum huic homini Christo, tum humanæ Christi naturæ, tum corpori Christi, ac præ cæteris humanitatis partibus Cordi ejus amantissimo. Quamvis autem in cultu SS. Cordis Amor Jesu sit præcipuum hujus cultus objectum spectata intrinseca dignitate, terminatione cultus et intentione colentium, ipsum physicum Cor Jesu est præcipuum objectum, spectata attentione colentium et directione obsequiorum cultus, adeo ut objectum integrum sit Cor physicum Jesu, ut amori ejus vario connexionis vinculo unitum.

LIV.

Omnes et singuli actus salutares ab initio fidei usque ad consummationem perseverantiæ sunt quoad substantiam supernaturales, ideoque ad eos eliciendos absolute requiritur, etiam in justis, gratia actualis non modo interna, sed etiam intrinsece supernaturalis, eaque duplex, scilicet *a)* gratia *excitans*, quæ præter immediatam illustrationem intellectus complectitur immediatam inspirationem voluntatis, et *b)* gratia *adjuvans*, quæ est ipsemet influxus supernaturalis in actum salutarem exercitus.

LV.

Si gratia adjuvans sumatur prout est actus salutaris principium, realiter identificatur, cum gratia quidem excitante, quatenus ipsius influxus est moralis, cum supernaturali vero principio excitantis gratiæ, quatenus ipsius influxus

est physicus. Quamobrem per gratiam excitantem, dummodo hæc accipiatur non solum *formaliter*, sed etiam *principiative*, liberum arbitrium constituitur in actu primo proximo omnino completo ad actum salutarem eliciendum.

LVI.

Datur in præsenti ordine Providentiæ gratia *vere* et *mere* sufficiens, talis videlicet, quæ completam et relate ad præsentes circumstantias prorsus expeditam facultatem præbeat peccata vitandi actusque bonos eliciendi, quæ tamen propter humanæ voluntatis resistentiam suo frustretur effectu.

LVII.

Christus secundum naturam divinam potestate auctoritatis independente, secundum naturam humanam potestate excellentiæ per se et immediate instituit aliquos ritus sensibiles, qui ex rebus et verbis tamquam ex materia et forma intrinsece constituuntur, gratiamque vel primam vel secundam omnibus obicem non ponentibus conferunt *ex opere operato*. Tales autem ritus soli jam vocati Sacramenta, usu hujus vocis a significatione generica ad specificam contracto, sunt credendi nec plures nec pauciores quam septem.

LVIII.

Cum virtus sacramentorum derivetur tota et immediate ex meritis Christi, ministri vero non influant in eam nisi quatenus legatione fungentes pro Christo hac sua vicaria potestate utantur, ut fiat actio sacramentalis, sequitur ad valorem sacramentorum non requiri ex parte ministri fidem vel probitatem, sed generalem intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

LIX.

Sermone Christi apud Joannem cap. VI promissam esse ac præparatam institutionem Eucharistiæ, in qua Christi

caro et sanguis vere, realiter et substantialiter continetur, manducatur ac bibitur, ex verbis ipsis et contextu demonstratur.

LX.

Ipsa verba confectionis Eucharistiæ : *hoc est corpus meum*, non solum realem in Eucharistia Christi præsentiam enuntiant, verum etiam demonstrant modum, quo corpus Domini fiat præsens, per mirabilem scilicet et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* appellat. Unde traditionalis consensus ecclesiasticæ prædicationis in illud peculiare dogma instar commentarii authentici haberi debet præ verbis institutionis in Scriptura consignatis.

LXI.

Ex fontibus revelationis certissime constat, Apostolis eorumque successoribus collatam esse a Christo Domino potestatem omnia peccata post Baptismum commissa vere remittendi et retinendi per potestatem judicialem, cui omnes fideles peccatores ad obtinendam lethalium peccatorum veniam se subjiciant.

LXII.

Ex indole hujus potestatis remittendi peccata, qualis in revelationis monumentis apparet, idoneo argumento demonstratur, institutam etiam esse a Domino distinctam atque integram peccatorum remissionem, et omnibus post Baptismum lapsis ipsam jure divino necessariam existere.

LXIII.

Ex celebri Nectarii facto adeo nihil colligere possunt hæretici contra catholicum dogma de necessitate confessionis, ut ex ea potius illud magis confirmetur. Neque magis proficiunt ad S. Joannem Chrysostomum provocantes.

LXIV.

Sententia absolutionis, quæ est forma sacramenti Pœnitentiæ, est sententia efficax remissionis peccatorum ; ideoque sensus hujus formulæ : *ego te absolvo*, non est : *ego te absolutum ostendo vel declaro*, sed sensus est, quem verba ex se præferunt, in significatione practica et efficaci. Quæ quidem significatio, prout est efficax et practica, inest verbis ex institutione divina.

LXV.

Actus pœnitentis, contritio, confessio et satisfactio, sunt partes essentiales seu constitutivæ hujus sacramenti, uti constat ex his verbis Conc. Trid. sess. XIV, cap. 3 : « Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. » Hanc quoque sententiam clare et pluries docuit S. Thomas.

LXVI.

Licet peccata, semel per Pœnitentiam remissa, non redeant *simpliciter*, redeunt tamen *secundum quid*, in quantum sequens peccatum ex prioribus remissis aggravatur ratione ingratitudinis. Quæ tamen ingratitudo non constituit speciale peccatum, nisi adsit formalis contemptus beneficii divini.

LXVII.

Remisso autem per Pœnitentiam peccato, opera prius in charitate facta reviviscunt quantum ad meritum vitæ æternæ et quidem probabilius ad totum præmium essentiale eis proprium.

LXVIII.

Etsi matrimonii usus bonus sit et meritorius esse queat, status tamen virginitatis seu cœlibatus, nedum sit illicitus, præstat statui matrimoniali.

LXIX.

« Cum Matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter N. L. Sacramenta adnumerandum sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt. » Trid. sess. XXIV.

LXX.

Distinctio seu verius distractio vi cujus contractus nuptialis a Sacramento disjungitur, probari non potest : « cum exploratum sit in matrimonio christiano contractum a Sacramento non esse dissociabilem ; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso Sacramentum. Nam Christus Dominus dignitate Sacramenti auxit matrimonium ; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure » (1).

LXXI.

Soli Ecclesiæ et quidem jure proprio competit potestas statuendi impedimenta christianorum matrimonia sive dirimentia sive directe impedientia.

LXXII.

« Oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel ad malum ad minus ex parte intentionis finis... Unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum, bonum esse vel malum » (2).

(1) SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Arcanum divinæ sapientiæ*, 10 Februar. 1880. (2) S. Thom. 1, 2, q. 18, a. 9.

Vidit S. Facultas Theologica,

D. Mercier, S. Fac. p. t. Decanus.

E. H. J. Reusens, S. Fac. p. t. a secretis.

Vidit Rector Universitatis.

C. F. J. Pieraerts.

220.15
C 865 CRETS, G. JOSEPH 27361
AUTHOR
De Divina Bibliorum Inspiratione
TITLE
Dissertatio Dogmatica
DATE LOANED | BORROWER'S NAME
STORAGE - COSA
27361